



5.3.4. 833.

LIBRARY  
UNIVERSITY OF  
TORONTO

34455



34455

THESAURI PRECVM  
AC VARIARVM EXER-  
CITATIONVM SPIRI-  
TVALIVM.

EX

*probatis Authoribus collecti:*

LIBER PRIMVS.

*Morny St. Lucis Ord. Benedicti*

DE ORATIONE

*In genere, Varijsq; eius commodis, speciebus,  
partibus, conditionibusq; ad eam  
requisitis.*

CAPVT I

VE PIVM CHRISTIANVM  
ad orandum excitare debeant.

I.

*Scriptura Sacra multiplex exhortatio.*

[Nter omnia Euangelij præcepta, vel Con-  
silia; nullum est aliud, ad quod toties, ac  
tot repetitis verbis, tantoq; affectu adhor-  
tatur Apostolos suos Christus, atq; ad oran-  
dum: nimirum tanquam ad rem perma-  
gnam.]

A 4

omni

momenti, & in qua versatur cardo trāquilla  
& veræ Christianæ vitæ, atq; adeò totius salu-  
lutis nostræ, Sed quando longum esset om-  
nes Scripturæ sententias, in quibus exigitur  
vt oremus, sigillatim recensere, suffecerit v-  
vna; & quidem ea, quæ est apud *Lucam cap-  
ite 18.* vbi Dominus adducta parabola de Iu-  
ce iniquo & vidua, docet Discipulos suos  
quòd oportet semper orare, & non deficere  
Quem secutus Apostolus, discipulus videlicet  
Magistrū, iubet *sine intermissione orare 1. The*

2. *Summa nostra necessitas.*

Nam cum tota vita nostra omnibus horis ex-  
posita innumeris sit penè afflictionibus, Peri-  
culis, aduersitatibus, ac tentationibus: Et  
nobis quotidie pugna instituenda sit cum  
infestis, crudelibus ac coniuratis hostibus  
nempe, Mundo, Carne, & nequissimis Da-  
monibus, qui nos semper circumstant, nos  
à dextra & leua, à fronte pariter, & à tergo  
oppugnant, ac mille artibus & imposturis  
ducere, & in exitium pertrahere moluntur  
(qui sumus nostræ nature in vitia nimium  
procliuēs, adeoq; ad resistendum imbecilles)  
opus est iugi ad Dominum oratione, vt nos  
respicere, iuuare, tueri, ac in omnibus diri-  
gere, & docere dignetur.

Quid enim possumus sine auxilio Dei, aut  
quomodo ille auxiliabitur non inuocatus? In-  
uocatus autem quid denegare poterit? qui to-  
ties iubet orare, & recte orantibus promittit  
exauditionem, *Pete ( inquit ) Math 7. &*

Luc: 11. & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsantis aperietur.

3.

## EXEMPLVM CHRISTI ET

Sanctorum.

I AM ad orandum nos apertè incitant exempla Christi, & Sanctorum omnium. Nam Christus Dominus, cuius omnis actio nostra instructio est, quamuis solus absq; vilo neq; innocens fuerit, tamen vt exemplum nobis in se præberet assiduè, & efficaciter precandi, frequentissimè ad orandum secessit, pernoctando etiam in oratione, teste Luca. Luc: 6.

Quid autem commemorem Sanctos Dei, qui nobis propositi sunt in exempla rerum agendarum? His enim solemne erat, cum in terris vitam agerent, vt in omni necessitate ad Orationem, velut ad vnicum solatium, remedium, & asylum confugerent, quiduis sperantes se precando posse impetrare. Nam si quid auspiciari vellent, quod salutare, ac faustum esse euperent, in oratione auspiciabatur, quo Deus coeptis eorum aspiraret. Si rebus necessarijs indigerent, vel in negotijs arduis, & perplexis, sapientia, iudicio, & ingenio opus esset: ea oratione à Deo impetrabant. Si faciendum opus (quod sine gratia, & inuocatione Domini, nequit succedere) Oratione impetrabant successum, incrementum, & benedictionem. Si periculum aduentum, si ta-

perentur ad carceres, ad supplicia, ad mortē oratione impetrabāt Spiritū fortē, & imperterritū. Si diutius perseverandum in aduersis; Oratione obtinebant constantiam, & patientiam, imò, liberationem frequenter, & salutem. Porro si Deum peccatis populi offensum, irasci animaduverterent, & proinde fortiter timerent, ne iusto iudicio manus domini sciret in populum, oratione iustam iram Dei auertebant, Dominumq; placabant.

Breuiter, in difficilibus periculis, in magnis & grauibus tentationibus, atq; in omni, vt dixi, necessitate, ad orationem, veluti ad sacrā anchoram festinabant: & quò maior esset aduersitas, eò vehementius oratione insistebant. Lege Sanctorum vitas, vel ab Aloyſio Lipomano, Episcopo Veronensi, collectas, vel à Laurentio Surio Carthusiano,

4.  
ORATIONIS DIGNITAS,  
*Et magnus olim in Ecclesia orandi seruator.*

QVID verò aliud est Oratio, quàm familiare colloquium cum Deo? Summæ autem dignitatis est, hominem qui puluis, & cinis est, cum Deo colloqui, atq; ad ipsum quouis loco, ac tempore liberum habere aditum, illiq; omnes angustias animi tutò exponere atq; aperire posse.

Certè comedere, bibere, somnum capere & eiusmodi humanæ vitæ obire munia, nobis est cum



est cum brutis animantibus commune. Loqui verò, disputare, conferre de rebus varijs, res publicas & priuatas administrare, cæteraq; id genus rationis officia gerere; & exequi, nobis est cum malis, cum infidelibus & paganis affine. Orare verò Deum, cum illo colloqui, & fermocinari, non modò nos supra bestias & paganos, ac quoscunq; mortales homines, ad ipsam Angelorum celsitudinem extollit: Sed ad ipsius quoq; Dei maiestatem & præsentiam eleuat.

Proinde nihil præstantius, nihil homini Christiano vtilius, quàm precari Deum, quo nimirum exercitio olim creuit, propagata, collecta, & constabilita est Ecclesia sancta, & religio Christiana. Id quod & Acta Apostolorum *Act. 2. Colof: 4. 1. Thef: 5.* & Paulinæ Epistolæ liquidò demonstrant. Erat enim tunc si vnquam aliàs, seculum prorsus aureum, dum calente adhuc sanguine Christi, Christianismus quotidie latius vigebat, florebat, diffundebatur, dum populus etiam Laicus, totus addictus Deo, semper versabatur in laudibus diuinis, & gratiarum actione, assiduè, videlicet, & quidem cum alacritate, & deuotione spiritus, orando, & obsecrando Deum, idq; domi, & foris, adedq; inter epulas, & inter opera manuum. Vidisses tunc artificem in officina operantem, se, suamq; salutem precando Deo commendare. Idem factitabat arator ad stiuam, Nauclerus ad clauum, Nauita ad remum, Fossor ad glebam, Textor

ad stamen, Vxor ad colum, Seruus deniq; ad  
heri negotia amandatus, vsq; ad eò omnia per  
strepebant laudibus Diuinis.

5.

ORATIONIS VIRTVS, BRE-  
*ui tabella explicata.*

Oratio	{	Purgat animam à peccatis.
		Poenā peccatis debitā submouet.
		Præteritas negligentias sarcit:
		Diuinam gratiam impetrat.
		Prauas concupiscentias extinguit.
		Passiones animi domat.
		Tentationes superat.
		Hostes prosternit.
		Calamitates lenit.
		Mœrorem pellit.
		Lætitiā infundit.
		Pacem conciliat.
Hominem Deo coniungit.		
Coniunctum Deo, ad æternam gloriam subleuat.		

Hæc ferè Lud. Blosi. Cap. 17. Canonis  
vitæ Spiritualis.

6.

TESTIMONIA SCRIPTURÆ  
*de orationis efficacia.*

Elias



Elias Propheta trium annorum  
& sex mensium sterilitatem: plu-  
uiam rursus, & fertilitatem à  
Deo obtinuit. 3. Reg: 17.

Moyſes vicit Amalechitas Exo. 17.

Samuel vicit Philistæos 1. Reg: 7.

Daniel inter leones exultat. Da-  
niel. 6.

Tres pueri in fornace tripudiant.

Daniel. 3. (nē 2.)

Jonas è ventre Ceti liberatur Io-

Ezechias è graui morbo conuale-  
ſcit. 1. Reg: 20.

Anna sterilis fit ſecunda. 1. Reg. 1.

Oratione } Eccleſiæ, ſoluuntur vineula Petri  
Actor: 12.

Viſum cæcis,	} <i>Discipu- li Chriſti reſtitue- runt.</i>
Greſſum claudis,	
Sanitatem ægrotis	
Mortuos vitæ.	

Publicanus Euangelicus peccato-  
rum veniã impetrat. Luc. 18.

In cruce diſſentus Latro Paradi-  
ſo donatur. Lucæ 23.

Moriens in cælum ſuſcipitur B.  
Stephanus. Act. 7.

## CAPVT II.

De Speciebus Orationis.

## ET PRIMVM DE ORATIONE

*Vocalis.*

**O**RATIO autem est duplex: vocalis & mentalis simul, & mentalis sola. Quæ enim oratio solo motu labiorum, contra mentis in Deum eleuationem fit: non oratio est, sed quædam potius Dei irrisio. Proprium orationis est, mentem humanam in Deum eleuare, illique coniungere. Deus est Spiritus, qui ergo eum adorant, & cum eo agunt, mente & spiritu non voce tantum, & labiorum motu id agere debent.

*Triples genus Orationis Vocalis.*

Vocalis autem oratio triplex dici potest.

Prima est, quæ fit ab rudibus, & ignaris eorum quæ voce dicunt; vt quando Latinæ lingue ignari recitant 7 Psalmos Latinè, aut B. Virginis officium, aliasq; eiusmodi preces. Tales Deum orant, grataq; illi est eorum oratio, quia (quod necessario supponimus) mentem habent in Deum eleuatam, mente Deum cogitant, cum eo agere se sciunt, & si nec verba, nec sensum ipsum orationis, & precationis quam faciunt, intelligant. Satis illis est, quod quæ recitant, bona sint & sana, à scripturis, à SS. Patribus, ab Ecclesia approbata; quæ à Deo intelligi, & cognosci non dubitant.

Secunda oratio est, in qua & verba intelliguntur, & ipse eorum sensus; sed cursim ea fit, nusquam inhxerente mente, vt consolati-

one

one aliqua pascatur; & si quæ consolatio ex  
vna sententia percipitur, in progressu statim  
extinguitur. Hæc oratio bona est, & superi-  
ore in qua nec verba, nec sensus percipitur,  
& melior & perfectior, magis scilicet mentem  
afficiens, minus orantem fatigans, ea passim  
à Christianis vsurpatur, & laicis & sacerdoti-  
bus, siue cum Litanias aut septem Psalmos,  
aut Rosarium, aut officium Beatae Virginis,  
aut maius ab Ecclesia propositum recitant.

Tertia oratio est, quando inter orandum  
non modò verba, & sensus ipse cursim perci-  
piuntur, sed in singulis verbis, & sententijs,  
quæ spirituales aliquã considerationem con-  
tinēt, mens inhæret, eas expendit, & quasi gur-  
stat & regustat, non sollicita vltius progredi,  
sed libenter cupiens ibi consistere, vbi accō-  
modatum sibi pabulum inuenit, sic recitare  
licet orationem Dominicam, Psalmum Miferere  
& quascunque alias preces, psalmos, can-  
tica, in singulis vocibus nonnihil inhærendo,  
expendendoque quid spiritualis ibi mellis, &  
solatij, doctrinaeque insit.

Hoc orationis genus comparari potest plu-  
uiæ puluerulentæ, quæ minutis guttis deci-  
dit & densis, ac proinde à terra paulatim im-  
bibitur, & ad viscera eius penetrat, eamque  
benè irrigat, & foecundat. Quia enim talis o-  
ratio in consideratione affectuque vnus alteri-  
usue rei manet, aliquid post se menti impres-  
sum relinquit, quo reficiatur & pascatur; &  
vt ita dicamus, irrigetur, & impinguetur.

Duplex

Duplex autem illud orationis genus, simile est imbri, siue pluuiaë maximis guttis cum impetu decidenti, quæ superficiem tantum terræ madefacit, ipsam verò non irrigat. Antequam enim, à terra imbibatur, ad demissionem locum defluit. Vocalis enim ea oratio exterius, & sensibiliter tantum afficit orantem; & quia continuo altera alteri succedit, nullus solidus affectus manet, in quo mens hæreret & exultare possit. Tertium ergo istud vocalis orationis genus, quod meditationis species quedam est, & plane meditatio, si sola mente fiat, merito, & sæpè vsurpandum est ab veris Christianis, & ijs omnibus, qui (vt habet Psalmista) *gustare & videre volunt, quàm suavis sit Dominus.*

*QVÆ IVVARE POSSINT ORATIONEM VOCalem Et fructuosa, & Deo gratia sit.*

**C**V M primum orationis vocalis genus, superuacaneum sit, nisi mens optima aliqua cogitatione de Deo eiusque beneficijs & amoribus occupetur; occupatam autem soleat Deus sæpè afficere, & solatio aliquo recreare: Cum etiam secundum orationis genus percurrento tantum, & verba, & sententias obferuet, ac propterea facile euascat eius gustus: Cum denique in utroque genere mens facile fatigetur, & huc illuc dissipetur, vel quod non intelligit quæ dicat; vel si intelligit, non ex se ea, sed ex aliorum dictis, & orationibus

promat



promat (etſi recitando ſua quaſi facit, & à ſe quodammodo profecta, Deo offerat & proponat) propterea curandum eſt ſeriò, & diligenter, vt mens in Deum benè conuerſa, & intenta ſit, in eoq̄ue defixa, pabulum ſibi conueniens habeat. Quod vt facilius aſſequi homo poſſit, hæc illi obſeruanda erunt.

Primum ante orationem præparandus eſt animus; in eo autem hæc præparatio ſita videtur, vt ſibi perſuadeat is, qui orationem facere inſtituit, agere ſe velle cum Deo, cum cõpellare, infirmitates ſuas illi exponere, opem eius implorare, &c. Oportere itaq̄ue in tantè maietatis cõſpectu, & præſentia animo eſſe præſentiſſimo, menteq̄; in Deum attentiſſima. Atq̄; hæc perſuaſio, & propoſitum ſubinde in decurſu orationis repeti, & ſubijci menti debet.

2. Danda eſt opera, vt ſenſus, viſus potiſſimum, & auditus benè comprimantur, & abſtrahatur ab omnibus nõ neceſſarijs. Quocirca demiſſis oculis, vel clauſis ex parte, vel certè ijs in crucem aliquam, vel imaginem, vel locum certum defixis, non huc illuc effuſis, ac circumſpicientibus orandum eſt.

3. Inferenda viſ eſt aliqua imaginationi, cohibendaq̄ue à rerum non vtilium cogitatione. Eſt enim imaginatio equi iuſtar indomiti, huc illuc perpetuò diſcurrentis, niſi freno aliquo coercetur, & alicui rei certæ, velut pabulo adhæreat. Ad eius itaq̄ue leuitatem, & impetum comprimendum, quando quis le-

git Officium B. Virginis imaginari debet constitutum se apud B. Virginem eiusq; Filium; etiam itaq; representare sibi debet ante mentis oculos, certò apud se statuens eam oranti adesse, etiamsi minus externis oculis videatur. Sicut cæcus aliquis persuadet sibi adesse eum quo cum agit & loquitur, etiamsi eum non videat. Item sacerdotes, aut beneficiati quando Dominicæ diei, vel feriarum legunt officium, proponere sibi possunt Deum Patrem in solio excelso sedentem, circumstantibus Angelis, & Sanctis. Diebus verò festis, eius Sancti qui colitur, præsentiam, quasi illi coniuncti sint, & cum eo Deum laudent & admirentur. In auditione rei sacræ, percurrere licet mysteria, quæ in eo representantur. In recitatione Rosarij, mysteria conuenit expendere, in ijs mentem defigere, & quasi animo proficisci per ea loca in quibus facta sunt, aut certè præsentem se ijs dum fierent, fuisse, esseq; modò, dum eadem recolat memoria. Item de cæteris precepcionibus esto iudicium.

4. Dum orationes vocales recitantur, expedit eas subinde aspergere, & quasi condire propria aliqua mentis colloctione, vt & ipsa ex se Deum compellat, ac per se, sine adminiculo alterius, cum ipso agat, & loquatur; quod fieri potest, parùm aspirando ad Deum, petendo peccatorum suorum veniam, illi se, suaq; commendando, &c.

5. Cauendum, ne istæ orationes ex libris recitæ, ab idiotis potissimum & ignaris eius

idioma-



adiomatibus in quo leguntur, nimium producantur, ac loco solatij, & spiritualis gaudij fastidium adferant, fatigentq; orantem potius, quam excitent. Siquidem semper curandum est, vt (quod ait scriptura) melior sit finis orationis, quam principium: hoc est, vt magis incalescamus Dei amore, & virtutis desiderio sub orationis exitum, quam in illius exordio.

Postremò danda omnia opera, vt ad finem vsq; deducatur omnis oratio. Solet enim diabolus efficere, vel conari certè, vt interrompamus orationem, ac imperfectam relinquamus, quo nimirum & perseverantiæ in orando fructu, & cæteris orationis effectibus careamus; nostramq; Deus orationem rejiciat, tanquam maneam, & imperfectam, ac propterea se indignam, qui perfectissimus est.

*Vide præterea qua infra Cap: 4. n. 9. de Attentione in oratione dicentur. Itemq; cap: 5. toto.*

## CAPVT III.

### DE ORATIONE MENTALI.

*Orationis mentalis præstantia  
& descriptio.*

**M**entalis Oratio est, quæ sola mente fit absq; exteriori vocis sono; quando nimirum mens hominis sine externa voce, quæ interuncius illi est, & interpres quidam, per se cum

cum diuina mente & spiritu agit, & quasi familiariter, sermocinatur, illiq; coniungitur. Meditari igitur est mente in Deum itare; est pium mentis affectum in Deum dirigere; est ascendere animo de terrenis ad cœlestia; est res supernas mente inquirere; est animæ desiderium ad inuisibilia extendere. Quapropter duabus alis nititur Meditatio, intellectus & voluntatis operatione. Intellectus enim res, quæ sumuntur meditandæ, expendit, obseruat, cognoscit, inter se confert ac simul atq; satis eas vidit & excussit, voluntati proponit, eas vt optet & amet, earumque visione excitetur & inflammetur in Deum. Quocirca orationis mentalis finis non est mente discurrere, conceptus pulchros eruere, res benè capere & cognoscere (quæ operationes sunt intellectus) sed affici ijs cognitis, eas amare, velle, desiderare, quæ voluntatis operationes sunt. Vnde Propheta regius: *In Meditatione mea exardescet ignis*; hoc est seruator quidam, & animi promptitudo, ac celeritas exsuscitabitur, ea vt fugiam, quæ obliunt; amem verò & complectar, quæ profunt; vt desiderem æterna, inuisibilia cœlestia; negligam verò temporalia, visibilia, & terrena.

Genus hoc orationis vt nobilissimum, Deoque gratissimum, à sanctis Patribus fuit olim omnium maximè vsurpatum, qui noctes sæpè diebus coniungebant de cœlestibus rebus meditando, cum non possent satiari præ magnitudine diuinæ voluptatis, quam per-

sentiebant in diuinarum rerum commentationibus. Sed & experiebatur quotidie magis, quam potens esset & efficax ista oratio, non ad recolenda modo Dei beneficia, sed & quaerenda à Deo impetranda. Sic Isaac Patriarcha, egrediebatur foras ad meditationem inclinatum die. Sic Moyses 40 dies & noctes in monte cum Deo fuit. Sic Anna mater Samuelis loquebatur in corde suo cum Deo, filium impetrare volens, tantumque labia mouebantur, & vox penitus non audiebatur, ait Scriptura. Sic Prophetæ; Sic Ioannes in solitudine; sic Christus in deserto & montibus; sic Apostoli noctibus sæpè integris; sic veteres illi Anachoretæ, monachi, Eremitæ, sic BB. Augustinus, Benedictus, Dominicus, Thomas, & quicumque sanctitate fuerunt, & recondita Dei cognitione, gustuque cœlestium, rerum admirabiles; sic B. Virgo conferens hæc, ait B. Lucas, Luc. 2. conferens in corde suo; hoc est, de auditis visisque apud se meditabatur,

*QVÆ PARTES QVIS VSVS  
& praxis mentalis Orationis*

**C**VM mentalis oratio tantæ sit præstantiæ & utilitatis, ex re esse videtur, quis eius sit vsus, quæque illius Partes, paucis explicetur.

1. Pars est lectio. Antequam enim quis ad meditandum accedit, legere debet, & inspicere ea, de quibus instituenda est meditatio: aut certè meditationis materiam sibi proponere, an-

re, antequam ad eam aggrediatur. Materia verò ad meditationem accomoda sunt primum omnia verba Diuinæ Scripturæ, & præsertim Euangeliorum, [Epistolarum Canonizarum, & Psalmorum. Deinde vita, & Passio Domini nostri, Diuæ Virginis, & Sanctorum, res gestæ. Ad hæc mysteria Creationis, Redemptionis nostræ; Dei beneficia omnia, & quatuor Nouissima, quorum omnium fructuosissima est consideratio. Postremò virtutes omnes & vitia; illarum enim pulchritudo & utilitas, horum verò deformitas, & incommoda fructu maximo expendi possunt & debent.

2. Pars est præparatio, de qua in oratione vocali diximus. Quibus adiiciendum in meditatione, vt petat homo intellectum suum illuminari, & voluntatem accendi ad ea verè cognoscenda, & confectanda, quæ menti Deus suggererit, quæq; ipse homo, Dei gratia iuuante, conceperit. Et hæc quidem præparatio, vocari solet Oratio præparatoria.

3. Pars est ipsa meditatio, vt nimirum homo seclusa omni varietate, & distractione cogitationum, ad ipsa meditationis puncta accedat, circa ea mente discurrens, ea discutiens, expendens, videns quasi & palpans. Tum verò ijs expendis, & visis, voluntatem mouere debet, & inflammare ad ea vel admiranda, vel amanda, vel optanda & complectenda, & ad gratias de ijs agendas; vel certè ad ea vitanda penitus & declinanda. Quòd si in primo puncto



aut secundo affici mentem, recrearique animum sentiat, non sit sollicitus ad secundum, tertiumue punctum pergere, sed in eo, quantum satis est, immoretur. Meditationem excipit sæpè, aut comitatur Contemplatio, quãdo nimirum mens res ita cognoscit & intelligit, ita ijs afficitur & gaudet, vt eas quasi videre, & in ijs Deum ipsum complecti tenereque videatur. Vnde profluunt de repente animi exclamationes, admirationes, gratiarum actiones, suspiria, gemitus, aliaque id genus commotæ, & inflammatae in Deum mentis symbola & affectus.

4. Pars est ipsa petitio seu postulatio, quæ interiori aliquo mentis colloquio perficitur. Quando enim res ipsa satis expensa est, tunc quid à Deo petendum sit, satis euidenter suggerit, & demonstrat. Vnde Colloquium illud, ex ipsa meditatione pendet, & sequitur. Peti autem in vniuersum possunt maius lumen, maiorque Dei & nostri cognitio. Tum verò peccatorum remissio, infirmitatis curatio, concupiscentiæ diminutio, imperfectionum omnium condonatio. Postremò denique virtutum conseruatio, & incrementum, eorumque omnium, quæ nos Deo cariores & beatiores efficere possunt, consecutio. Atque hæc de meditatione breuibus. Quam ea plena sit suauitatis, quantus fructus ex ea redundet, vt ipse & experientia docebunt magis, quam quæuis humanæ rationes & verba.

DE ADIVMENTIS AD RECTE  
*meditandum idoneis.*

**P** R I M V M est Locus idoneus, id est, ab omni strepitu remotus, iuuat etiam, si sit obscurus.

2. Tempus certum & stabile, quod citra iustam causam non immutetur. Horæ autem aptissimæ ad meditandum sunt matutinæ ante inchoata studia, vel alia negotia. Conuenit autem in meditatione expendi integram horam, vel certè mediam.

3. Situs corporis modestus & deuotus, vultu genibus flexis. Quod si diu non potes, pedibus insistas, ita tamen vt ad genu flexionem paulo post redeas. Conuenit aliquando ad exemplum Christi, maxime si magnus aliquis motus insurgat, prono corpore ad breue tempus meditari. Deniq; is situs vsurpandus est, qui plus iuuet attentionem & deuotionem.

4. Vt si quo in puncto senseris te spirituali sensu vehementius moueri, non illico transi-lias ad aliud, sed in eo nonnihil immoreris, donec gustui satisfeceris. Et si ante percur-  
 tria meditationis puncta, hora elabatur, non sis sollicitus ad cætera progredi: poteris id facere sequenti vice, repetitis breuiter ijs in quibus gustum spirituale sensisti. Imò sæpè vtile est, vnã eandemq; meditationem, variato tantum Colloquio repetere.

5. Quia vis meditationis potius in exerci-  
 tatione affectus, quam intellectus posita est



scire debes hunc affectum ordinariè debere esse leuem, quia diutius continuari potest, & capiti pectoriue noxius non est. quem diuina gratia adiutus facile excitabis sedula consideratione personarum S. Trinitatis, Christi, B. Virginis, & circumstantiarum, non verbis, sed cordis affectu, dulciter eos alloquendo. Quo affectu Angeli diuinæ maiestatis conspectu suspensi continenter canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

6. Si autem Deus aliquando immitat tibi vehementiorem affectum, v. c. vt prorumpant lacrymæ humiliter eum admitte, & quã diu Deus dederit, continua. Sed hic diuturnus esse non debet, maximè si spontè à te concitatus sit, ne lædatur caput. Prodest autem plurimum hic affectus in quibusdam casibus. 1. si confessionem generalem de tota vita, vel de toto anno facturum, optares te excitare ad contritionem veram & perfectam, quam Theologi dicunt valere ad expiandam omnem culpam & poenam. 2. si quando graui tentatione contra fidem, castitatem, vel vocationem pulsaberis. 3. quando aduerteres te in studio pietatis vel vocationis tuæ omnino refraxisse. 4. si quando aggrediendum esset opus magnum ad Dei gloriam, multis difficultatibus implicatum.

7. Quod si contingat te inter meditandum omni gultu, solatioq; destitui, non ideo animum despondeas. Si enim tua culpa id acciderit quia imparatus in meditationem irru-

isti, humilia te, culpam agnoscendo & breui sequetur serenitas. Si verò non tuâ culpa, cogita permissum à Deo, vel vt disceres gustum illum, non studio nostro parari, sed dono Dei obtineri, vel vt Deus probaret an ex puro Dei amore sanctum hoc opus, & non consolationis tuæ causa, exerceres. Itaq; tempore defolationis dic: Ego non incepti hanc meditationem meam, propter meum solatium, sed ex merito amore Dei; quare eandem ex eodem amore perficiam.

8. Si verò multis agiteris distractionibus, nec ideò abrumpe meditationē: sed cogita, si obrepant te inuito, nullum admitti peccatum. Tantum vbi aduerteris te distrahi, resiste illis, licet sæpius redeant. Neque enim minus grata erit ob hunc laborem meditatio tua, quam si cum deuotionis sensu eam perfecisses. Prodest etiam in hac pugna proflire ad colloquia, & submisse agnoscere te tuis viribus nihil posse; vel etiam grauiter te accusare, tanquam mortalium ignauissimum, qui non possis etiam ad breue tempus cum Deo loqui, & illicò senties auxilium Diuinum.

9. Denique non parum ad fructuosam meditationem instituendam valet, si Deum in omnibus actionibus tuis, vt verè est, cogites præsentem. si crebro per diem iaculatorias vturpes orationes: si libellos spirituales libenter lectites: si crebro ad sacram mensam confessione facta accedas: si familiaritate piorum: vtare, si sensus externos, ac imprimis

linguam

linguam coerceas: si charitatis & pœnitentiæ  
 exercitia diligas, si bona proposita in medita-  
 tione facta opere compleas.

## CAPVT IV.

*Ad Orationem qua necessaria.*

I.

FIDES.

ORATIO, Vt utilis sit, & efficax, ante omnia fieri debet in vera fide, vt nimirum certò credamus Deum Patrem audire nostras Orationes, ac perspectam habere nostram necessitatem: Ipsum deniq; posse, & velle nobis donare, quod iuxta voluntatem ipsius petitur, vt cum propheta Dauid verè dicere possimus. *Psal. 24. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos.* Fide enim opus esse, inter multa scripturæ sacræ Testimonia, vel hoc vno luculenter satis ostendit B. Iacobus, Cap: 1. *Si quis (inquit) Vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluentem, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hesitans. Qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Qui hælitat, ideò nihil accipit, quia non est animo constanti, firmo, & tranquillo, quò fit,*

vt gratia cœlestis haud possit illi se insinuare, quemadmodum vnda maris, quando vento mouetur, ac circumfertur, non facillè formam vllam recipit.

2.

## S P E S.

**P**Ræter fidem, qua credimus Deum posse & velle præstare, quod iuxta ipsius voluntatè petitur, opus est etiam spe, ac fiducia, qua certò, quod petimus, expectemus, quaq; promissam Dei gratiam, quodammodò nobis vendicemus. Qui cùm omnipotens sit, præstare potest, quod promissit: & cùm verax sit, quod promissit, præstat. Promissit verò se preces nostras exauditurum, Matthæi 7. *Petite & dabitur vobis.* Marc: 11. *Omnia, quacumq; orantes petitis, credite, quia accipietis.* Luc: 11. *Omnis, qui petit, accipit.* Ioan: 16. *Si quid petieritis Patre in nomine meo, dabit vobis.*

De quibus verbis, & si grande est nefas dubitare, nimirum à Christo, qui est ipsa æterna veritas, pronunciatis, videas tamen non patios, qui in spem certam, suas à Deo preces exaudiri, assurgere non queant. Id quod ipsis hinc euenit, quòd non ex animo auerrant, se à peccato, vnde viuens in animo peccandi affectus, velut nubes, obsistit, ne ad Deum oratio eorum transeat. Confirmat hæc Propheeta Regius, *Iniquitatem* (inquit Psalm: 65.) *si assexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Elaias cap: 3. *Cùm extenderitis manus &*  
*stras*



*stras auertam oculos meos: cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim gestrae, (anguine, id est crassis peccatis) plena sunt.* Ioan: 9. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* Peccatores intellige, qui ex animo non dolent, quod Deum offenderint: qui vitam suam corrigere nolunt, sed in peccatis obstinati perseverant. Ceterum, qui agnoscunt, in quibus sunt malis, & cupiunt ab his liberari, idq; toto pectore Deum orant, adeo non repelluntur à Deo, vt suauissimè etiam inuitentur, *Venite (inquit) ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt: 11. Et apud Prophetam, *Eliam, cap. 55. Omnes sitientes Venite ad aquas, & qui non habetis argentum (hoc est vlla merita bonæ vitæ) properate, Venite, & emite absq; argento.* Qui locus declarat, quàm sit ipsius Dei parata voluntas ad exaudiendum, & recipiendum in gratiam peccatorem, iam toto corde resipiscentem. Quem pusillanimis quilibet, vt hinc fiduciam concipiat, debet sibi proponere.

## 3

## CHARITAS.

**O**Ratio, vt cœlos penetraret inflammari quoque debet ardore charitatis. Nam vt omnia opera bona: citra charitatis donum tepent, atq; a deo in speciem tantum fiunt: ita maximè friget Oratio, nisi alis geminæ Charitatis, & Dei & proximi, subuehatur.

Charitas erga Deum requirit, vt mandata

eius obseruemus, quemadmodum id Christus ipse docet, Ioan 14. *Qui habet (inquit) mandata mea, & seruat ea, ille est; qui diligit me.* Et 1. Ioan: 3. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quae sunt placita, coram eo facimus.*

Ad charitatem verò ergà proximum primo pertinet, vt acceptam ab eo iniuriam libentes, ac faciles condonemus, monente nos ita Christo Domino: Marci 11. *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, Et Pater Vester, qui in caelis est, dimittat Vobis peccata Vstra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater Vester, qui in caelis est, dimittet Vobis peccata Vstra.* Ad hæc, vt proximorum incommodis indolentes, pro ipsis non secus, ac pro nobis solliciti, supplicesq; Deum obsecremus. Iac 5. *Orate pro inuicem & saluemini.* Et 1. Tim: 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, &c Breviter, huc spectat, vt misericordiae operibus, tum corporalibus, tum spiritualibus iugiter insistamus. Matth: 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et ad Tobiam vox Angeli est, Cap. 12. *Bona est oratio cum ieiuniis & Eleemosyna &c.* Quæ duo tanquam indiuitos comites orationi adiunctos, in Sacris literis passim reperimus: vnde & inefficax (vt rectissime dictum est à B. Cypriano)*

Peñno



*Petitio est, cum precatur Deum speris oratis.*

4.

## SCOPVS ORANTIS.

**E**orum quæ à Deo petuntur, duplex omnino ratio est. Nam quædam ad Dei gloriam seu honorem & nostram salutem promovendam pertinent, cuiusmodi sunt Virtutes, Fides, Spes, Charitas, Gratia, Peccatorum remissio, & cætera id genus, quæ confidenter citra ullam exceptionem à Deo expetenda sunt, 1. Ioan: 5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quocumq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Alia verò adiphora sunt, seu indifferentia, vt diuitiæ, honores, dignitates, sanitas, pax, æeris tēperies, & similia corporis, vitæq; præsentis comoda, quæ sub hac conditione appeti debent, quatenus Dei gloriæ, nostræque aut proximorum saluti conducunt, seruiuntq;. Alioqui enim meritò nobis respondebitur, quod Zebedæi filijs adhuc carnalibus, Matt: 20: *Nescitis quid petatis.* Aut illud Iac: Apost. Cap. 4. *petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, et in cõcupiscentijs vestris insumatis.* Cùm igitur huiusmodi aliquid petimus, quod, an Deo placeat, ignoramus, hoc, vel simili modo oremus oportet: *Domine, si mihi, quod peto, non conducit, fiat in omnibus tua sancta voluntas.*

5.

## HVMILITAS CORPORIS.

**L**uculenter nos docent Scripturæ sacræ testimonio-

stimoniam externum illum corporis gestum, ac habitum in orando, supplicandoque Deo adhiberi solitum, Deo cum primis (si absit hypocrisis) haberi gratum: nobis verò ut exaudiamur, apprimè vtilem, ac penè necessariū.

Salomon Rex Israëliticæ gentis inclytissimus, in dedicatione templi, fixis in terra genibus, extensisque ad cœlum manibus, orasse legitur. 3. Reg. 8.

Moyse item eiusdem populi Dux, & imperator, Exod: 17. pugnante populo, manus in altum ad lassitudinem vsq; sustulit.

Propheta Daniel Cap: 9. *Posui* (inquit) *faciem ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari, in ieiuniis, sacco & cinere.*

Sic Niniuitæ ieiunarunt: induti sunt sacco à maiore vsq; ad minorem. Ion. 3. Rex ipse de folio suo descendens, abiecto vestimento, indutus fuit sacco, sedensq; in cinere, clamauit ad Dominum, qui misertus est eius.

Apostolus Paulus, *Flecto*, (ait ad Ephes. 3.) *genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* B. Iacobo Apostolo, testantur Abdias, Chrysostomus, Eusebius, & alij, genua, ob orandi studium & assiduitatem, in morem camelorum occaluisse.

Publicanus Evangelicus apud Lucam, Cap. 18. à longe stat, pectus tundit, nec ad cœlum oculos audet tollere. iam & Christus Dominus, cuius omnis actio, nostra est instructio, nunc subleuatis in cœlum oculis, nunc in terram procidens, orasse legitur. Pla-

cent igitur Deo piæ huiusmodi ceremoniæ, quæ citra hypocrisin, ex animi vel humilitate, vel pietate proficiuntur.

D. Augustinus lib. de cura pro mortuis habenda, dicit, orantes de membris sui corporis facere quod supplicantibus congruit; cum genua figunt, cum manus extendunt, cum lolo prosternuntur, & si quid aliud visibiliber faciunt. Tametsi enim his indicijs Deus non indigeat, vt hominis animum videat, ista tamen multum valere ad hominem excitandû, esseq; indicia internæ compositionis animi. Nam licet Deus sit Spiritus, qui externis rebus non mouetur: nos tamen, quia sumus homines vestiti corpore, omnem illi debemus cultum, non mente tantum, sed etiam corpore; vt corporis cultus interno cultui mentis respondeat.

Itaque genua flectimus exemplo Salomonis & Christi, & in terra prostrati iacemus. (Luc: 22.) tanquam rei mortui, Deo, quem superiorem nostrum & Dominum agnoscimus reuerentiam summam & subiectionem exhibentes.

2. Stando cum publicano (Luc. 18.) oramus duabus de causis, I. vt significemus nos iam cum Christo à morte peccati resurrexisse. Vnde à Paschate ad Pentecosten apud veteres (Tertul. de coro. mil.) Stationes erant, & Dominicis diebus per annum, quibus stationibus præmittebatur ieiunium Sabbathinum, & quadragesimæ. Quia tunc cum fiducia co-

ram Deo stamus quando pœnitentiæ opera, peccatorum remissionem attulerunt. 2. vt nos paratos declaremus ad ea præstanda, quæ præcipiuntur. Sic statur ad Euangelium, & cantica ex Euangelij defumpta, vt sunt Benedictus, & Magnificat, & Nunc dimittis: tum quia per verbum Euangelij, qui peccatis prostrati iacebamus, erecti sumus, tum vt promptos nos declaremus, ad obtemperandum diuinis iussis.

3. Oculi in cœlum eleuantur, vt cogitationem nostram in cœlis versari declaremus

4 Subinde oculi demittuntur, ad significandum diuinæ seueritatis timorem, & internum pudorem, ex turpitudine peccatorum conceptum

5. Manus attolluntur, partim vt cor significetur habendum ad Dominum: partim vt ait B. Chryf. hom. 79. ad pop. Antioch. quia dona quæ petimus e cœlo sunt expectanda.

6. Iunguntur manus, vt animus declaretur esse collectus nec diuersis cogitationibus distractus.

7. Tunditur pectus, tum vt peccata detestemur, tanquam pœnas de nobis exigentes: tum vt cor lapideum tusionibus emolefeat.

8. Qui manus in modum crucis extendunt significant se cum Christo crucifixos, cuius crucem & passionem representant. Hoc modo ferè se componunt Sacerdotes in sacro Missæ officio, in quo Christi patientis gerunt personam.



## 6.

## HUMILITAS SPIRITVS.

**O**PORTet etiam, vt in humili Spiritu oremus, vt videlicet mentis nostræ impuritatem agnoscentes, nos in oculis Dei verè miseros, pauperes, ac nudos esse fateamur, nec in fortitudine, viribus aut diuitiarum multitudine gloriemur. Huiusmodi enim humilium oratio semper placuit Deo: vnde & scriptura hanc Spiritus humilitatem multis testimonijs commendat. Eccles: 35. *Oratio humiliantis se, nubes penetrat.* Esai. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum corde?* Psalm. 39. *Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles Spiritu saluabit.* Psalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.* psalm. 103. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum,*

Exauditionis igitur spem, non in nostræ innocentiae, aut bonæ operationis reponamus fiducia (cùm nemo sit innocens, qui iustificari queat in conspectu Domini) sed propriam agnoscamus indigentiam, & imbecillitatem, & humiliter confitentes peccata nostra, Dei bonitatem, & misericordiam imploremus: memores, Phariseum sua bona iactantem, reprobatum, Publicanum verò agnoscentem & proferentem delicta, & Dei misericordiam flebili voce implorantem, iustificatum descendisse de templo.

## FERVOR SPIRITVS.

**I**AM præter superiora omnia, vel in primis opus est in orando Deum, feruore spiritus, vt nimirum ea, quæ petimus, attento animo, magno cordis affectu, ardentiq; feruore, ac voto petamus. Non enim exaudit Deus preces frigidas, legnes, & oscitantes, quæq; lumis duntaxat labijs admurmurantur. Affectus est, piusq; animi votum ac desiderium, quod Deum mouet, ac flectit, non vocis clamor, proluxa loquacitas, aut inanis ille labiorum strepitus.

Nam cum Deus spiritus sit, spirituali cultu, ardentiq; cordis affectu, ac desiderio, & in veritate, citra omnem fucum, hypocrisin, aut laudis humanæ respectum, adorari à nobis, ac coli debet. Atq; hoc illud est, quod Christus Matth. 6. iubet, orare Patrem in abdito cubiculo, oclusis foribus, hoc scilicet à nobis exigens, vt oraturi, inutiles omnes cogitationes, quæ orationis quiete in interturbant, & nos ab attentione, mentisque in ipsum Deum eleuatione impediunt, omni studio & diligentia excludentes, ad solum Deum respiciamus, neminemq; nisi nos ac Deum peccata nostra & Dei bonitatem consideremus.

Id porrò futurum est, si exemplo Publicani attendamus Magnitudinem, potentiam, ac Maiestatem eius, quem alloquimur, tum in quibus ipsi versetur malis: quæ simul iuncta,  
ad hu-

ad humilitatem nos erudiunt mentē congregant, phantasmata pellunt, Deum flectunt, orantemque reddunt exaudibilem. Rectè igitur monet Hēbreus ille sapiens. Ecclesiast. 18.

*Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.*

S.

## ORANDI ASSIDUITAS.

VT iam, quod petimus, à Patre cœlesti obtineamus, opus est animi constantia, & orandi assiduitate. Disidentia enim proximum est, cùm quod semel aut iterum petimus, non accipientes, mox velut delassati, aut desides, ab orationis instantia resiliamus. Vnde Seruator noster Christus, Lucæ 18. vt ad hanc assiduitatem nos prouocaret, iubet nos semper orare, & non deficere. Et hunc secutus B. Paulus 1. Theff: 5. *sine intermissione* (inquit) *orate.* Et alibi Col: 4. *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione*, vt nimirum orationis improbitate obtineatur, quod meritum non valebat: ad exemplum illius viduæ apud Lucam, Cap: 18. quæ iudicis duritiam, nec Deum, nec hominem verentis, tamen orationis instantia, & quadam veluti importunitate deuicit. Quin & ipsius Christi exemplum hanc perseuerantiam vel maximè commendat, quem prolixius orasse, ac interdum in oratione pernoctasse, testatur Luc Cap. 6. Eius igitur doctrinam & exemplum sequentes, perseueremus oportet in petendo. Si non

primo,

primo, secundo, nec item tertio præstetur; quod petimus, non licet desistere, Qui enim dixit: Matthæi. 7. & Lucæ 2. *Petite, & dabitur vobis.* Omnino dabit, quod promisit, si ut accipiamus, expediat. Si vero illud non expedit, dabit aliud, quod conducatur, & expediat. Quamobrem dilationem Domini patienter ferentes, voluntati eius nos totos permittamus, nec tempus certum, nec auxiliij modum illi præscribamus.

Nā & protrahit interdū Deus vota nostra.

I. Ut probet & exerceat fidem, patientiam, longanimitatem, & perseverantiam postulantium, quibus probatis vtilius postea tribuat, & magnificentius coronet.

II. Ne apud imperitiam nostram, ac inconsiderantiam vilescat, quod leui opera sit impetratum, sed ut munus diu desideratum, & quasi emptum carè, tum magnificiamus, tum cautius conseruemus.

III. Sæpè numero Deus differt quæ petimus, dare, non quia velit nos præterire, sed ut cunctatione donandi, assiduitatem orandi perpetuam doceat. Sic enim & liberorum amantes patres in liberos negligentes se gerūt, quos ad lusus pueriles currentes, sæpè magnis promissis apud se retinent.

Qui explicatorem huius totius argumenti tractationem requirit, consulat eos, qui ex diuinis literis naturam, & conditiones veræ orationis diligenter sunt persecuti: in quibus sunt B. Cyprianus concione 6. de oratione

Domi-



Dominica, Ioannes Chrysoſtomus libris duobus de orando Deum. B. Baſilius de institutione Monastica, Laurentius Iuſtinianus, cum alibi, tum libro de ligno vitæ, & libro de perfectionis gradibus. Sed præ cæteris lege obſcuro, quæ D. Chryſoſtomus habet, Homilia 79. ad populum Antiochenum, ubi de Oratione.

**O**pus est, ait, nos & mensam petentes, & desistentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus, nunquam in ebrietatem decidet; aut insolentiam, nunquam erapula disrumpetur: sed orationis expectationem pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appostis sumet, & multa quidem animam, plena vero benedictione corpus implebit. Et paulò post: Ne nos excusemus dicentes, quòd non sit facile querpiam orare, secularibus negotijs implicatum, prope se domum non inuentientem oratoriam. Nam & ubicunq; sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Licet & forum petentem, & ambulanti per se, prolixas facere orationes. Licet & in officina sedentem, & suentem pelles, animam Domino dedicare. Licet & seruo, & ementi, & ascendenti, & descendenti, & astanti coquo, cum ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere prolixam, & solertem.

Idem Libro I. de Orando Deum.

**Q**uemadmodum corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est, ac sordidum: sic ani-

sic anima nisi se ipsam incitet ad orandum, mor-  
 tua est ac misera, & grauius olens. Quin insuper,  
 quod oporteat quauis morte tristius existimare, si  
 quis deprecatione priuetur, pulchre nos docet Da-  
 niel Dan. 6. ille Propheta magnus, qui malue-  
 rit emori, quam triduo duntaxat arceri ab o-  
 rando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex Persarū,  
 Et impietate admitteret: tantum illud obseruabat,  
 si quis intra triduum quicquam petere deprehende-  
 retur ab illis Deorum, aut hominum, praterquam  
 ab ipso. Sed Propheta ne tantillum quidem tempo-  
 ris sustinuit ab orando cessare. Itaque cum Sidero  
 quempiam non amantem orandi studium, nec hu-  
 ius rei seruida, Sehementiq; cura teneri: continuo  
 mihi palam est eum nihil egregia dotis in animo  
 possidere. Rursus, Sibi quem conspexero, insatia-  
 biliter adhaerentem cultui Diuino, idq; in summis  
 damnis numerantem, si non continenter orauerit;  
 coniecto talem, omnis Virtutis firmum esse medita-  
 torem, ac DEI templum. Et paulo post: Ar-  
 bitror itaq; cunctis esse manifestum, quod simplici-  
 ter impossibile sit, absq; preceationis presidio eum  
 Virtute degere, cumq; hac huius Vita cursum per-  
 agere. Et enim, qui fiat, Et quis Virtutem exerce-  
 at nisi continenter adeat, & supplex accidat et  
 qui Virtutem omnem suppeditat, ac largitur homi-  
 nibus? &c.

9.

### ATTENTIO IN ORATIONE.

**O**Ranti Deum necessaria est attentio ad o-  
 rationem, ne mens huc illucque vagetur,  
 est au-

est autem attentio triplex. Prima ad verba: vt ea rectè efferantur: secunda ad significationem: vt homo intelligat ea quæ profert: tertia ad Deum, qui oratur; & rem ipsam, quæ petitur. Atq; hæc postrema est præstantissima, quæ doctis simul, & indoctis conuenit Deo quæ est acceptior, vt pote cum quo cor hominis coniungitur. Hæc enim attentio haberi potest ab illiteratis, dum Latinè orant, tametsi verbum nullum orationis intelligant; quia sufficit vt Deus intelligat, qui oratur, vtque ad eum mens & desideria ferantur.

Porrò in oratione tribus de causis hominè vagari contingit. 1. Sponte sua, dum cogitationes externas accersit, aut aduenientes sciensq; at aduertens admittit, in ijsq; heret. Quo in genere etiam sunt illi, qui opus aliquod orando præstant, quod peculiarem mentis attentionem requirit: veluti est scribere, legere, rationes subducere, &c. Alia opera externa, quæ attentionem peculiarem non requirunt, non impediunt orationem: vt sarcire, ambulare, secare, &c.

Hoc porrò primum diuagationis genus ex se naturaq; sua est peccatum mortale, propter voluntariam atq; deliberatam irreuerentiam. Tametsi enim ad orationes, quas spontè profers non obligeris: ad hoc tamen teneris, vt non nisi reuerenter cum Deo agas, sicuti qui non tenetur conuenire aut alloqui Regem: tenetur tamen conueniens Regem honestè se gerere, non exprimens manu scabiem, non

ungues scindens, non alia id genus inhonesta agens. Vnde qui hoc genere euagationis sacris diebus Missæ officium audit, vel preces horarias, ad quas obligatur, recitat; nullo pacto satisfacit præcepto Ecclesiæ.

2. Negligentia sua irrepunt, & in hærent homini externæ cogitationes, qua in re est peccatum veniale; tanto sanè grauius quanto negligentia est maior. Veluti in illis, qui externos sermones miscent precibus suis.

3. Homini inuito alienæ cogitationes incidunt: quas cum primùm sentit, dolet atq; repellit: in quibus nullum omnino inest peccatum. quippe quæ à sola dæmonis arte, vel humana fragilitate proficiuntur. Et hæc distractiones quatumuis suauitatem orationis impediunt; non tamen vel meritum, vel fructum, qui est, impetrare quod postulatur.

*REMEDIA DENIQUE CONTRA  
huiusmodi distractiones in oratione  
esse possunt qua sequuntur.*

Quamuis enim homini in rebus huius vitæ occupato difficile sit, omnes prorsus mentis euagationes in oratione deuitare: possunt tamen remedia quædam poni, quibus molestia hæc nonnihil diminuat.

Primum est, vt cor atq; animum suum rebus nullis huius mundi apponat, sed ijs vtatur vt peregrinus rebus diuersorij, in quo vna nocte verlat; iuxta B. Paulum: 1. Cor. 7. *Reliquum est, vt qui habent viros, tanquam non habentes*



*habentes sint; & qui emunt, tanquam non possidentes. & qui stantur hoc mundo, tanquam non stantur.*

2. Nunquam committere, vt interdiu animus nimium dissipetur, etiam in occupationibus externis quibuscunq;. Ad quod iuuabit, primò, obseruare pauca illa, quæ de modo vespere incumbendi, & mane surgendi inferius dicemus. 2. Omnia sua agere, tanquam in diuino conspectu, ob oculos habendo Deum, qui in scripturis dicitur, non abesse procul ab vno quoq; nostrum. Act. 17. Ita Dauid de se dicebat: *Oculus mei semper ad Dominum.* Psa. 24. 3. In promptu habere breues orationunculas, quas subinde interdiu, etiam in maximis occupationibus, ad Deum eiaculetur, cuiusmodi esse posset versiculus vnus alicuius Psalmi, aut petitio vna Dominicæ orationis. Vide infra lib: 2. Cap. 3.

4. Interdiu frequentius animum ad se reuocare, ab eoque factorum rationem exigere, maximè post graues, & diuturnas occupationes, confabulationes, aliaq; negotia, quæ diffrahere vehementer solent.

5. Vt oraturus diligenter se ad orationem præparet, cogitetq; seriò id agere, atq; ex animo; non autem ex consuetudine, aut tanquam rem non magnopere curandam.

6. Vt ante orationem petat ex corde à Deo gratiam attentionis; rogetq; Angelum eiusiudem, vt dæmonis tentationes & distractiones impediat. Post orationem verò ne-

gigentiarum veniam petat, & roget Deum, ut orationem licet frigidam & multis vanitatibus permixtam, deterfis maculis, ad thronum suum admittat, eiq; effectum largiatur salutarem. Vide infra lib 2. cap. 4. n. 7. Hinc enim frequenter vagamur, quia distractiones aut non conamur aduertere, aut nihili facimus, sicq; crebra euagatione habitus vitiosus inducitur, qui postea vix magno labore depelli potest.

7. Conuetudinem assumere, certis locis orationis, animum colligendi: veluti post quolibet decadem Rosarij, & post finem Psalmi. Cuius rei ut recorderis, iuuabit ad versum, *Gloria Patri & Filio, &c.* ad finem orationis, *Per Dominum nostrum, &c.* simileſque precatiunculæ, reuerentiam, corporis aut capitis inclinatione, vel manuum coniunctione, aut alio externo gestu exhibere, taliq; motione reuocandi animi meminisse.

## CAPVT V.

*DE MODO STABILIENTI COR-  
dis, & cum spiritali fructu Sacrandi ora-  
tioni Vocati, his qui quod orant in-  
telligunt accommodato.*

**O**Ratio, quæ non solum voce, sed & mente ad Deum effunditur requirit preparati-  
onem animi, antequam inchoetur; attentio-  
nem,

nem, in ipso decursu orationis, & instaurationem defectuum, post eius finem.

*De preparatione.*

**I**n præparatione primum est, cor abstra-  
re, quo ad eius fieri potest, ab omnibus cu-  
ris, scrupulis, perturbationibus, & phantasijs  
inutilibus, & illud colligere ad vacandum om-  
nino Deo, cætera omnia diuinæ providen-  
tiæ committendo, nec alia in rem mentem oc-  
cupando.

Secundum est, considerare, ad quem, &  
qua de causa, qui orat, accedat. Aperiendo  
ergo fidei oculos, animaduertat se in conspe-  
ctu immensæ Maiestatis & sanctitatis consti-  
tutum, in medio innumerabilium Angelo-  
rum & Sanctorum, (quorum officium, lau-  
dandi & orandi Deum, licet indignus est su-  
biturus) vt cultum exhibeat, ac omne bonum  
sibi ac proximis impetret, considerando De-  
um (quod in ipsa oratione sæpè fieri oportet)  
tanquam patrem & redemptorem nostrum a-  
mantissimum, optimum, sapientissimum, mi-  
sericordissimum, & qui semper, & ubiq; præ-  
sens est, & videt ac penetrat vniuersa. Sic  
commotus aliquo sancto affectu inchoare stu-  
deat orationem.

Tertium est, cordis munditiam & bene o-  
randi gratiam petere, & ad honorem ac bene-  
placitum Dei, nostram proximorumq; vtili-  
tatem, sacrificium orationis simul cum me-  
ritis Iesu Christi & Sanctorum, (& eius præser-  
tim, de quo meminit eò diè Ecclesia) dirigere.

*De attentione in ipso decursu Psalmodia.*

**A**ttentio ad verba quamuis non sit potissima; tamen (in his quidem, qui intelligunt quod orant) utilis est & ad sensum Psalmorum, & reliquorum, quæ dicuntur, accomodanda; vt referantur omnia ad pium erga Deum affectum.

Tria ergo exigit hæc attentio. Primum est, cum reuerentia magna assistendo Deo accomodare se ad verba psalmi: si laudat, laudare, si gemit, gemere: si minatur, timere; si iubet, paratum se ad obediendum præbere. Et vt adulatores, id quod in corde non habent, foris tamen præferunt: ita nos in corde sentire conemur, quod ore proferimus, dilectionem erga Deum & Dei amicos, honorem eius exoptando, inimicis eius indignando, eius perfectiones extollendo, miseriam, peccata & infirmitates nostras ostendendo, in ipso spem nostram collocando, ad eius obsequium nos offerendo, amando quod amat, detestando quod detestatur.

Secundum est, adiungere in animo nostro aliqua verba vel cogitationes ad verba orationis, quam dicimus, vt affectum excitent, & exercent: vel amoris, vt cum occurrit, *Deus*; addendo, *pietissimus, amantissimus*; vel reuerentiæ; vt *Altissimus, Sanctissimus*; vel humilitatis, vt cum dicitur, *michi*, addendo, *Misero peccatori, &c.* Interdum non solum cogitatio sed affectus etiam adiungitur; qualis est, si agitur de beatitudine, suspirare illius desiderio



desiderio : si de damnatione vel peccatis ; gemere, quòd in tali statu vel ipse fuerit, vel certè proximi eius : si de virtute ; desiderare imitationem.

Tertium est , renouare attentionem , ex consuetudine initio, Horarum & Psalmorum, & quodcumq; se distractum animaduertit : atq; excitare affectum honoris Dei, in fine cuiusq; Psalmi, cum dicitur, *Gloria Patri &c.* & confidentiam in Christum in orationibus, cum dicitur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.*

*De his qua iuuant ad hanc attentionem.*

**A**D hanc attentionem iuuat : Primò, expositionem vidisse Psalmorum, non tam variam, quàm ad affectus excitandos & exercendos accommodatam

Secundò, obseruare quis loquatur, an Deus, an Ecclesia, an quiuis fidelis, an poenitens, an aspirans ad perfectionem.

Tertiò, obseruare, cui affectui seruiat Psalmus, & quia sæpè variantur & miscentur idipsum notare.

Quartò, ad horum praxim (quia in libro precatorio omnia scribi non expedire) argumentum certè in principio cuiusq; Psalmi & verbum aliquod ad declarationem faciens, in ipso contextu attingi potest. Persona verò quæ loquitur, & eius affectus, tam in principio, quàm in decursu (cum variatur) in margine notari etiam posset.

*De affectibus Psalmorum.*

**Q**uia in affectibus Psalmorum præcipuus est Psalmodiæ fructus siue quis priuatim, siue in choro; siue submissa, siue alta voce oret, idcirco breuiter percurramus omnes, atq; ad duodecim reuocabimus.

*Tres existunt ex laude Dei.*

Primus est dilectio, cum prædicatur Dei bonitas: quo reducitur actio gratiarum, pro acceptis beneficijs.

Secundus est admiratio, cum agitur de sapientia, maiestate, & potentia Dei.

Tertius est congratulatio, cum narratur aliquid bene gestum à Deo, & successus aliquis felix.

*Tres ex memoria boni nostri.*

Primus, desiderium, quo afficimur ad abscens bonum nostrum, & proximorum, & id petimus siue de liberatione à malis, siue de consecutione bonorum agatur. Huc reducitur exhortatio proximorum & instructio.

Secundus est, confidentia in Dei auxilio, tam de huiusmodi malis euitandis quam de bonis consequendis.

Tertius est, gaudium de iisdem malis euitatis, & bonis adeptis.

*Tres ex nostra miseria commemoratione.*

Primus, timor, cum agitur de malis futuris imminetibus, tam nostris, quam proximorum.

Secun-

Secundus, dolor, cùm agitur de præteritis & præsentibus.

Tertius erit humilitas, cùm agnoscimus infirmitates & defectus nostros.

*Tres ex reprehensione malè agentium.*

Primus, Zelus vindictæ, contra iniurias & damna illata.

Secundus, Indignatio aduersus nequitiam: quo reducitur conquestio.

Tertius monet malè agentes, vt resipiscant, ex his affectibus aliquando aliqui miscentur, vt congratulatio & gaudium, desiderium & confidentia, dilectio & confidentia, &c.

Omnes autem Psalmi & Scripturæ, ad huiusmodi affectus trahi possunt.

*De instauratione.*

**P**ost absolutam orationem huiusmodi, vt instauretur imperfectio, & defectus, qui in ea nobis acciderunt, tria obseruare cõuenit.

Primum veniam humiliter petere distractionis, tepiditatis & aliorum defectuum admissorum.

2. Cum magna cupiditate Deum honorandi, & ei placendi, augere exiguum opus, & suppliciter obsecrare, vt orationem nostram ad ipsius honorem oblatam, Christi & totius Ecclesiæ meritis subnixam, admittere, omnemq; eius imperfectionem clementer supplere dignetur.

3. Cum magna spe, & fiducia per eundem Christum Iesum, & sanctos eius à diuina boni

tate petere, vt valorem & efficacitatem oblatæ orationi tribuat, ad nostram proximorūq; (eorum potissimūm quibus magis obstricti sumus) salutem constituendam.

## CAPVT VI.

DE PROCESSIONIBVS ITEM Q;  
*statis temporibus precum horariorum.*

### PROCESSIONES.

ANtiquus est ille in Ecclesia orandi modus, quo in processionibus clerus & populus precatur Deum. In quibus præfertur crux Christi, quia videtur educi exercitus sub crucis vexillo militans: tum sequitur Clerus, cuius ordo, vt est Deo coniunctior, vt pote per quem ad alios spiritualia dona deriuantur, ita debet sanctitate vitæ cæteris præluere. In hoc ordine verò præcedunt iuniores: seniores autem & digniores sequuntur: quia in Ecclesia officium superiorum non in externo honore, sed in labore & ministerio consistit, vt iuxta verbum Christi, Matth. 20. *Qui voluerit maior fieri, sit minister.* Luc. 22. & præcessor sit ministrator. Post sacerdotes & præfules statim subsequitur sæcularis magistratus, tanquam Ecclesiæ rerumq; sacrarum defensor, qui coniunctus esse debet cum ordine Ecclesiastico, vt fidem propugnet, Pastores Ecclesiæ iuuet, atq; in omnibus rebus honorem

Dei soli.



Dei solius quærat. Præcedit autem reliquos ciues, vt sicut dignitate, ita & moribus vitæ præluceat, doctorq; sit aliorum. At verò inter vtrosq; **DOMINVS IN MEDIO POPVLI SVI:** vt duos condat in semet ipso, in vnum nouum hominem faciens pacè inter Deum & sanctam plebem, Ephes: 2.

1. Iste modus orandi in Ecclesia antiquissimus, varijs de causis seruatur. 1. Vt sciamus, fidem publicè profitendam esse: quia *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom: 10.

2. Ne pudeat nos publicè benè agere, sed ita luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent patrè nostrum, qui in cœlis est. Matth. 5. Admonemus igitur & excitamus hac publica oratione omnes ad orandum Dominum, pro suis totiusq; Reipub: necessitatibus.

3. Declaramus nos credere, Deum nullis locorum angustijs contineri, sed vbiq; ab omnibus adorandum esse, non ab hominibus tantum, sed ab vniuersa creatura, quam cum Propheta Dauide varijs Psalmis ad laudandum communem Dominum prouocamus.

4. Protestamur nos Christum Dominum & ducem crucifixum sequi, paratos ad omne ipsius voluntatem, tanquam fideles milites, sub vexillo crucis

5. Precamur Dominum, vt in loca singula, domosq; nostras ingrediens, gratiam suam illis largiatur. Ecclesiæ precibus motus,

quæ locis illis funduntur.

6. Celebamus memoriam variorum discursuum & processionum Christi Domini pro salute nostra susceptarum, qualis fuit in die-Palmarum, quando in urbem Hierosolymitanam cum maxima pompa fuit inuectus: & in die ascensionis suæ in coelos, quando discipulos in montem eduxit, & videntibus illis est subleuatus in coelum.

Ex his facillè videre est, quanta reuerentia fit in supplicationibus procedendum, sine fabulis, sine cursitatione, sine vlla vanitate, aut mentis oculorumq; euagatione, sed animo collecto, atq; ad Deum eleuato, Deum precando pro necessitatibus ecclesiæ, pro tota Reipub. in qua versamur; pro peccatoribus, qui malitia sua excœcati, iram Dei non cessant prouocare.

Orandum est autem & postulandum, per Christi labores, quos multis itineribus pro nobis sustinuit; per merita sanctorum, quorum sacras reliquias aut imagines circumferimus; per Dei misericordiam, qui hanc Reipub. ad fidem perduxit & in Catholica religione conseruauit.

*Stata tempora precum horariarum.*

**E**Cclesia Dei diuersas interdum & noctu horas obseruat, quibus ad Deum preces fundit, in memoriam & gratiarum actionem singularium quorundam beneficiorum, quæ temporibus

poribus illis accepit. Nam præter mysteria passionis, quæ singulis horis acciderunt; alia etiam collata sunt beneficia, peculiaria, in quorum memoriam illis horis preces dicuntur.

Nocte celebratur memoria natiuitatis Domini precibus matutinis, quibus adiunguntur laudes: quia Christus in aurora victor ab inferis resurrexit. Eodem noctis tempore captus est Dominus, ductus ad Annam & Caipham, multaq; in ædibus horum Pontificum vsq; ad ortum solis perpressus.

Exorto sole, hoc est, hora diei prima, traditus est Dominus in manus gentium; à Pontificibus ad Pilatum adductus ad crucifigendum.

Eodem tempore Ioan. 21. post resurrectionem prouidit Ecclesiæ de lumino Pastore Vicario suo, cui oues suas, id est, vniuersam Ecclesiam regendam commisit. Quod beneficium quam sit eximium, facile perspicietur, si consideretur, ab hoc capite pendere Ecclesiæ vnitatem; eiq; promissam esse fidei constantiam, datamq; amplissimam potestatem ad salutem Christianorum. Matth. 6. Luc. 21.

Hora tertia, post solis exortum, varijs modis pro nobis illusus est Dominus, flagellatus, coronatus, populo propositus, ab eoq; ad crucem postulatus. Eodem tempore missus est Spiritus Sanctus Apostolis, Act. 2. Cuius beneficij magnitudo ex eo apparet, quod in eius memoriam solemnis festiuitas Pentecostes sit instituta. Vnde merito hæc hora inuocat Ec-

eleſia auxilium Spiritus Sancti hymno Ambroſiano. *Nunc ſancte nobis ſpiritus, ſcum patri cum filio dignare promptus ingeri, noſtro reſuſus pectori.*

Hora ſexta in meridie Chriſtus Dominus, perforatis manibus pedibusq; eſt ſublatus in crucem. Eadem hora recolitur gentium ad fidem Chriſti conuerſio. Quia ſub meridiem Chriſtus Samaritanam gentilem forminam ad fidem adduxit. Ioan 4. & filium Reguli gentilis à febre liberauit: B. Paulum doctorem gentium conuertit. Actor, 9. B. Petrum viſione ad Cornelium Centurionem ethnicum miſit. Act. 10. Deniq; in cruce exaltatus, teſte D. Ioanne Damasceno. Lib. 4. orth. fid. cap. 13. facie ad occidentem conuerſa, Eccleſiam gentium reſpexit.

Hora nona, quæ tertia eſt poſt meridiem, Chriſtus conſummatis omnibus, in cruce pro ſalute noſtra Spiritum emiſit, & ſtatim ad inferos descendens, diabolum, ne in nos læuaret, ligauit, viresq; eius fregit, ne nobis obſeſt.

Hora vespertina, ſole ad occaſum declinante, Chriſti latus eſt à milite perforatum, vnde ſanguis & aqua profluxit: & paulo poſt factum corpus de cruce depositum, eſt ſepulture mandatum. Eodem tempore, Chriſtus, poſt reſurrectionem diſcipulis poteſtatem dedit remittendi peccata. Ioan 20. Vnde hac hora celebratur memoria Eccleſiæ productæ ex latere Chriſti, & remiſſionis peccatorum in Eccleſia relictæ.



Sub noctis initium, Christus in vltima coena discipulis, eorum pedibus lotis, sacrum suum corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini reliquit, Missæq; sacrificium instituit. Eodem tempore putatur in vtero virginis incarnatus, humanam naturam assumpsisse. Fit etiam hac hora peculiaris memoria dolorum B. Virginis Mariæ; quæ inspectam Christi filij sui passionem, domum reuersa, serio secum magnoque dolore reuoluebat.

## CAPVT VII.

### DE DEVOTIONE,

#### *Quid sit deuotio?*

**E**X vsu, frequentiq; exercitio orationis & vocalis, & mentalis, de quibus hactenus egimus, nascitur deuotio, quæ aliud nihil est, quam actio quædam voluntatis vltro se offerentis (quod ipsum deuouendi verbum indicat) ad seruitutem Dei, tanquam vltimi finis sui. Ab hac oblatione proficiscitur, vt D. Thomas 1. 2. q. 83. art. 2. ratiocinatur, promptitudo quædam ipsius illius voluntatis ad alaeriter complectendum, & hilariter exequendum quicquid cognoscit pertinere ad seruitutem Dei. Hæc autem prompta voluntas oritur, vt diximus, ex ardenti precationis studio, ex meditatione de Deo, beneficijs in nos collatis; quæ actiones sanctæ, deuotionis sunt causæ,

& quia causæ, nomen etiam deuotionis illis, sæpè attribuitur, vt nimirum quis deuotus dicatur quando orat, meditatursq; libenter, & feruidè. Quia etiam ex illa promptitudine voluntatis in Dei obsequium, & ex feruida oratione & meditatione sæpè emergit dulcedo quædam; quam degustat animus, cum desiderio incenditur benè viuendi, placendi Deo, aggrediendi aliquod opus ad illius obsequium pertinens, sit vt ea dulcedo, vulgi vsu vocetur deuotio, cum non propriè sit deuotio, sed deuotionis effectus fructusq; quem communicare subinde & sæpè ijs solet Deus, qui expediti & prompti sunt ad illi obsequendum, & ex animo famulandum.

*Pueris & adolescentibus maximè  
conuenit deuotio, & qui illius  
sint effectus*

**D**Vplex consideratio maximè deuotionem procreat & accendit. Prior est, quòd Deus sit auctor, & parens vitæ nostræ; cui autem potius reddenda vita sit, quàm ei, qui eam dedit? Altera priore etiam grauior, quod ipse Deus sit finis, & vltimum, æternumq; bonum nostrum, pro quo sine, & bono à nobis perdito restituendo, dedit nobis filium suum vnigenitum qui pro nobis & sanguinem, & vitam suam expoluit, vt non dubitemus illi nostram deuouere, & pro eius gloria exponere. Hic ergo iam apparet in quo perfecta ecratur

natur deuotio: vt nimirum homo tanto amori vicem rependat, atq; illi vitam ac se totum, quantus quantus est, deuoueat, qui pro ipso se totum, vitamq; suam ante tradidit, & deuouit.

Hanc sui deuotionem tametsi omnis sexus, omnis conditio, omnis ætas Deo debeat, præcipuè tamen adolescentes debent. Non enim solum deuouenda est vita, sed quam primùm etiam, & in ipsis inijs deuouenda. Ipse quidem Deus ita eam postulat, vt à quibusdam dicari sibi voluerit, antequam nasceretur, quod D. Ioanni Baptistæ, Hieremiæ, Samueli & alijs accidit. Ab alijs, ab ipsis incunabulis, quod D. Nicolao, & nonnullis contingit. Ab alijs ipsa pueritia, quod D. Thomæ Aquinati, B. Gregorio magno, S. Benedicto, Paulo primo Eremitæ, Ludouico regi, Dominico, Edmundo, Remigio, & sexcentis alijs contingit, qui à prima pueritia pietatis studiosissimi, & planè dedicati Deo fuerunt. Isti sunt pueri & adolescentes à quibus Deus cor petit: isti sunt paruuli, quos vult ad se venire Christus, & à nemine prohiberi. Isti sunt pusilli, quibus scandalum a quoquam dari vetat.

Isti sunt, de quibus Propheta: Thren: 3. Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Quinimò eorum adolescentium multos sibi sacros in tenera sæpè ætate ab hoc mundo eripit, ne fortè succedente ætate à Deo deficient. Raptus enim est, ait de quodam scriptura, ne malitia mutaret intellectum eius.

Deuotionis autem huius effectus sunt admirabilis erga Dei, B. Virginis, & Sanctorum cultum affectus; diligens accuratumq; audientiae sapere rei sacrae & verbi Dei studium; diligens sui custodia; erga omnem virtutem studium ingens; mirifica erga res sacras propensio; in obeundis Sacramentis vigil semper & excitatus animus; in oratione, req; omni ad Dei gloriam pertinente interior quidam sensus & affectio; singulare quoddam desiderium perfectionis suae promouendeq; in se & proximis suis omnibus, religionis, pietatis, & amoris Dei; deniq; zelus ardens honoris Dei defendedis; & iuuandarum animarum; in quibus omnibus & singulis exercitijs vir deuotus eam subinde haurit voluptatem, vt aeternam quasi felicitatem, caelique delicias praegustare videatur. Claudat hunc locum precatio suavissima, quam a Deo edocta sancta quaedam virgo tradidit, ab quouis deuoto adolescente merito quotidie usurpanda.

Adoro te, sancta Trinitas Deus meus: gratias ago pro custodia, prouidentia, & bonitate tua, & omnibus beneficijs tuis, quibus caelum terram, maria, & omnia, quae in eius sunt, in tempore, & in aeternitate imples. Offero tibi animam meam cum omnibus viribus suis; dignare hanc oblationem accipere Deus meus. Offero tibi cor meum in cor, & in amorem vni geniti filij tui, vt tibi semper seruiat, te amet, te reuereatur. Offero tibi voluntatem meam; fac de me quod tibi placet: ne relinquant me

Domi-



Domine in me, vt fim totus in te. Laudo te, & gratias ago tibi pro infinitis beneficijs in me collatis, & in gratiarum actione rogo beatam Virginem Mariam, omnes spiritus coelestes, omnes beatas animas, vt tecum tibi gratias agant, suauissime Domine mi. Impetrent mihi misericordiam tuam pro omnibus peccatis meis, & pro omnibus creaturis, quas ego tuæ diuinæ maiestati commendo, & à me ipso repudio, conformans me per omnia voluntati tuæ. Domine mi, tolle à me quicquid tibi displicet in me, & da mihi quicquid tibi placet? dirige & posside me secundum beneplacitum tuum. Amen.

## CAPVT VIII.

*Deliberatio de statu Vita, quando & quomodo instituenda.*

**H**Is quæ diximus de oratione vocali & mentali, & de deuotione meritò subiiciemus deliberationem status, in quo quisque reliquam vitam decurrere velit. Maximoperè enim conducit adolescentibus maturè, aut certè non nimium tardè constituere secum, quo in genere ac statu velint totum vitæ tempus transigere, ac denique mortem Christianam obire. In primis igitur adolescens existimare debet: in hac electione, cardinem totius vitæ, atque omnium actionum, ipsiusque æternæ vitæ ver-

ti. Deinde verò periuadere sibi debet inquirendam, atq; intelligendam Dei voluntatem, num in hoc, aut illo statu velit Deus salutis nostræ negotium nos agere. Perspicuum enim est non omnes à Deo ad vnum, idemq; vitæ genus vocari. Tertiò deniq; hæc deliberatio non leui & præproprio, sed maturo consilio neq; tamen nimis tardo suscipienda est.

Triplex autem via est; siue triplex status in quo ad Deum perducimur. Sunt semitæ arctæ & angustæ: sunt latæ & spaciøsæ; sunt & mediæ. Arcta est semita, paupertatis, castitatis, & obedientiæ professio. Lata & spaciøsa, quæ diuini mādatis constat, hisq; absolutur, media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est; nec consilij omnibus inhæret, sed quædam amplectitur, & quædam non. Quosdam ad arctam capeßendam semitam diuina lux inuitat, quosdam ad latam, quibusdam vt in media sese teneant,, monstrat. Sed fit iam nescio quibus modis, vt quos monstrante luce, quæ cælitus menti infunditur, arctam religionis capeßere oportebat, latam, coniugij scilicet, ingrediantur; & quos in lata consistere, mediam, cælibem nimirum in seculo inuadant inuertanturq; omnia; vnde in seculo naufragium patiantur, qui in religione naue incolumi portum tenuissent, & in religione submergãtur, qui in seculo enataf sent, & in mixta via, quæ est cælibum, siue Ecclesiasticorum, siue secularium, pereant, qui in lata, vel arcta emerßissent. Quocir-

ca pro ratione harum viarum trium, tres dabimus admonitiones dignissimas quæ expendantur,

*Triplex admonitio, singulis Vita statibus seruicns.*

**P**rima est. Omni cura & diligentia obseruandum est, quo Deus, eiusq; inspiratio & lux nos impellant. Id autem obseruabimus, & cognoscemus sine dubio, si frequenti Sacramentorum vfu Dei nutum & voluntatem explorauerimus, parati ad id omnino sequi quod suggererit. Dicendum itaq; frequenter cum Samuele; Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Et cum Dauide; Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; & cum Sapiente; Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Paratus sum, Domine, in omnem euentum & voluntatem tuam. Vis me in terra mea consistere, vt inter notos seruiam tibi? Paratum cor meum. Vis vt de terra, de cognatione, de domo Patris exeam, atq; apud ignotos agam; Paratum cor meum ad omnem nutum tuum, ad læta & tristia ad suauias & aspera. Vis vt semel abdicatis omnibus, in religiosa paupertate, obedientiaq; tibi seruiam, idq; in hoc loco, apud hos vel illos aggrediar? da ostensionem, da significationem voluntatis tuæ; nihil moror, nec patriam, nec

cogna-

cognatos, nec magna quæ me manent. Si quid aliud iubes, vt vel cælibem in sæculo vitam, vel honestum coniugium subeam, da ostensionem, beneplacitum tuum indica.

2. Admonitio. Quia Deus regit omnia sapienter & ex consilio, ac per secundas ferè causas, vt noua edere miracula non debeat; idè vna cum frequenti hac numinis diuini exploratione, consulendi sunt viri prudentes, sani, & integri, confessarij potissimum, qui pernouerunt & vires & facultatem nostram, alijque doctrina & pietate præstantes, qui citra proprium vllum commodum, citra affectum nos iuuent, benè consulant, dirigant, & Dei voluntatem edicant. Atq; hoc ita necessarium est, vt si negligatur, nunquam benè res possit succedere. Non vult enim Deus proprio niti nos iudicio, sed suos; quòd edicere solet & ostendere per sacerdotum, bonorumque virorum sententiam & consilium.

Propterea Tobias Tob. 4. monebat filium, vt à sapiente consilium perquireret. Et sapiens. *Fili mi, ait, sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis.* Si sine consilio faciendum nihil est; quæ temeritas fuerit, & stupiditas, ne dicam, arrogantia, & amentia, sine prudentium, & sapientium virorum consilio statum vitæ aliquem arripere?

Tertia admonitio est, vt quicumque deligere sibi vitæ genus aliquod constituit, singulos status sibi ob oculos ponat, & quæ in ijs proposita, ac ferè obuia sint pericula, dispici-



at. Quid enim prodest homini, ait Saluator, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Subijciat ergo oculis suis vitam aulicam, militarem; mercatorum, item Iurisperitorum, & medicorum statum, singulorum horum vitæ generum difficultates discrimina examinet; proprias etiam vires ingenij, scientiæ, iudicij expendat? quid ferre reculent, quid valeant humeri, ne cum temere susceperit, ferre non possit, & tam grauius deinceps peccatis & periculis obruatur.

Quòd si deliberatio sit de statu Ecclesiastico seculari, cum onere procurationis reddituum, aut cura animarum, res est, vt S. Bernardus ait, Angelicis humeris formidanda. Nemo assumat sibi honorem, monet Apostolus, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Propterea huius tantæ rei electio postulat multas ad Deum preces, multa pietatis opera, consilia sapientium, maturam deliberationem. Denique ad hoc vitæ genus per vim potius trahi oportet, quàm vltro, cum æterna pernicie, ad id per ambitionem contendere

Cauendum maximè ijs omnibus, qui Ecclesiasticum statum capessunt, ne mundi, vel commoditatum terræ huius causa, illotis quasi manibus, ad sacerdotia, & beneficia, statumq; eum prouolent, nisi iacto fundamento tam ardui status: turpiter postea in mille vitia prolabi, ac demùm ad infernum corruere velint præcipites. Neque enim Ecclesiastica vita nisi propter Ecclesiam, Deumq; deligenda est. |

Si de religiosa vita est deliberatio, non ad amicitias & cognationes, non ad res humanas eiusmodi, sed ad Dei instinctum & motum, ad hanc potius, quàm ad aliam trahentis disciplinam, & vitam respiciat, deinde ad propensiones, inclinationesq; maiores naturæ suæ & ingenij; postremò illud vitæ religiosæ genus illud cœnobium, locumq; religiosum ducat alijs præferendū, in quo viget magis virtutis ardor, & spiritus primæ institutionis, & observatio religiosarum legum, siue antiquum sit institutum illud vitæ, siue novū.

*Conclusio tractatus de status generis q̄  
vitæ deliberatione.*

**N**emo dicat: Quotusquisq; est hominum qui vitam sibi aliquam delecturus hæc dispiciat & obseruet? In promptu siquidem responsio. Quanti sunt, qui in eo statu quem sibi, sine hac cautione & consideratione delegerunt, exitum felicem sortiantur: Docet quotidiana experientia multorum, qui quòd nulla habita vel Dei vel salutis suæ cura, ad coniugia, ad Ecclesias, ad Canonicatus, ad animarum ministerium, ad religiosa instituta pro uolarunt, in grauissimâ sæpè salutis suæ discrimina incurrerunt. Deinde quis non videat de eo maturè & seriò deliberandum & statuendum esse, quod in omnem vitam retinendum est? Propterea Tobias prudenter ad filium: Tob. 4. Fili mi, inquit, pete à Deo, vt

vias tuas dirigat, & consilia tua in ipso pmaneat. Peccant proinde ij qui suā vocationē sine timore Dei corrupto affectu, quod carnis impetum, mundiq; sequantur iudicium, leuiter auspicantur. Huc enim spectat Christi Domini præceptum, vt non secundario, sed primū, ac purē quærant regnum Dei, ac iustitiam eius, si nempe prosperum successum, & exitum in sua vocatione consequi cupiunt,

*Oratio pro loco, ac saluari  
Sua statu.*

**O** Domine Deus æterne, qui cuncta gubernas, disponis, & moderaris, inuoco paternam pietatem tuam, & peto, vt locum ac statum talem mihi prouideas, vbi congruenter ad tuam gloriam, & ad meam salutem tibi valeam famulari. Per Dominum nostrum, &c.





# LIBER SECVNDVS.

*De Quotidianis Orationum ac  
Pietatis Exercitijs.*

## CAPVT I.

EXERCITIVM VESPERTINVM.

*Modus vespere ritè incumbendi.*

**S**ICVT nocturna quies corporis valetudini vel prodest, vel officit: ita ad diurnam animi compositionem magni refert, quomodo vespere iucumbens, nocte quiescens, manè euigilans, atq; ex lecto conlurgens te habeas. Et quia matutina animi collectio, ferè ex vespertino tempore pendere solet, ideò de isto priori loco dicetur.

Primum igitur ad hominis vitam rectè formatam mandà vehementer iuuat, vt quoad eius fieri potest, certum sit tempus, & constans vespere incumbendi, & item manè surgendi: inter quæ duo tempora non multò amplius, quam septem circiter horarum spacium intercedat.

Nec verò vllò pacto tutum te fore existimabis, si antè quàm incubas, aliquo doloris sensu vitia, & negligentias illius diei expi-



are neglexeris, aut preces ad Deum tutorem  
tui amantissimum fundere omiseris. Quare  
primò omnium, tibi ab anima tua transactæ  
diei ratio repetenda est, per Examen conscien-  
tiæ, quod his quinque punctis continetur.

*Examinis conscientia pun-  
cta quinque.*

- I. Age Deo gratias pro omnibus beneficijs,  
potissimum verò eodem illo die acceptis.
- II. Pete à Deo gratiam, vt veram peccato-  
rum, transactò die commissorum, cogniti-  
onem & detestationem obtinere possis.
- III. Exige à conscientia rationem: de ad-  
missis præsentì die peccatis, totius diei horas  
singulas, à manè in vesperam, percurrente.
- IV. Humiliter pete à Deo veniam admissò-  
rum peccatorum.
- V. Serio propone in posterum, cum Dei  
gratia, vitæ emendationem, maximè in illis  
peccatis, in quæ sæpiùs, aut grauiùs eo die la-  
plus fueris.

*Potes autem examen hoc conscientia, huic, aut  
simili preceationis formula includere.*

1. **O** Piissime humani generis Parens, Deus  
æterne, immortales ago tibi gratias, pro  
collatis mihi indignissimo beneficijs.

Tu enim Pater benignissime vt aliquando  
cœlestis illius patriæ compos esse possim præ-

ter innu-

ter innumera alia beneficia ( nimirum , quòd ad imaginem tuam me creasti : quod tua similitudine decorasti , quòd immensis laboribus & doloribus , ex inferni faucibus eripuisti : quòd vitam æternam , si præceptis tuis morem gesserò , largiri paratus es ) & præter Angeli tui boni custodiã , etiam præceptores procurasti , qui in honesta , atq; ingenua educatione , & liberali institutione nos vera tui cognitione ac timore , sanctaq; fide Catholica imbuerent.

2. Accedat hodie ad tantum cumulum & illud quotidianum beneficium , vt quicquid hac die cogitando , loquendo vel operando peccasti , per passionem , & mortem tuam digneris mihi homini peccatori clementer indulgere.

3. *Hic examina conscientiam tuam ,  
discurrendo per singulas  
diei horas.*

DEINDE DIC.

4. **D**A Pater benignissime , vt ab ijs omnibus vitijs tuo sanguine expiatus tuis donis & gratijs ; non ad nominis tui probrum , & meam perniciem , sed ad gloriam tuam , meamq; & proximorum salutem , semper vti studeam. Obsecro dona mihi poscenti veniam delictorum. 5. Propono cum tua gratia ma-

iori diligentia, vitæque emendatione, commissa, & neglecta compensare. Atque oro, ut si hac nocte, hinc me discedere velis, clementer, pro tua misericordia mecum agas: sin verò diutiùs vitam meam prorogare cogitas gratiam largiaris, sobriè, iustè, & piè viuendi in hoc seculo.

*DEINDE MANIBVS IYNECTIS  
ante pectus, dic sequentes Ora-  
tiones.*

**I**N nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Benedicta sit sancta, & indiuidua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita seculorù secula. Pater noster. Aue Maria. Credo.

**C**onfiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini. B. Michaeli Archangelo, B. Ioanni Baptistæ SS. Apostolis Petro & Paulo. B. N. & omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor B. Mariam semper Virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Ioannem Baptistam, SS. Apostolos Petrum & Paulum, B. N. & omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis nostris, perducatur nos in vitam æternam.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem

nem

nē omnium peccatorū nostrorum tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. A.

**S**alue Regina, mater misericordiae: vita, dulcedo, & spes nostra saluae. Ad te clamamus exules filij Eux. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle: Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

*Ora pro nobis S. Dei genitrix,  
vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMVS.

**O**Mnipotens sempiternae Deus, qui gloriose Virginis matris Mariae corpus & animam vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur Spiritu Sancto, cooperante preparasti: da vt cuius cōmemoratione letamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, & à morte perperua liberemur. Per eundē C.D.N. Amē.

*Hymnus D. Ambros.*

**T**E lucis ante terminum,  
Rerum Creator poscimus:  
Vt solita clementia  
Sis praeful ad custodiam.  
Procul recedant somnia,  
Et noctium phantasmata:  
Hostemq; nostrum comprime,  
Ne polluantur corpora.

*Præsta*



Præſta Pater omnipotens,  
 Per Ieſum Chriſtum Dominum:  
 Qui tecum in perpetuum,  
 Regnat cum ſancto Spiritu, Amen.

Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi  
 nos dormientes: vt vigilemus cum Chriſto,  
 & requieſcamus in pace.

✠. Cuſtodi nos Domine, vt pupillam oculi.  
 ✠. Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Dignare Domine nocte iſta: ſine pecca-  
 to nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos:  
 quemadmodum ſperauimus in te.

Domine exaudi orationem meam: Et cla-  
 mor meus ad te veniat.

## O R A T I O.

Viſita, quæſumus, Domine habitationem  
 iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea lon-  
 gè repelle Angeli tui ſancti habitent in ea,  
 qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua  
 ſit ſuper nos ſemper, Per Chriſtum Domi-  
 num noſtrum, Amen.

O Ieſu mi dulciſſime,  
 Ieſu Rex amantiſſime.  
 Tu mecum quæſo maneaſ,  
 Hac nocte mecum dormiaſ.  
 Vt corpus ſomnum capiaſ,  
 Et nunquam cor obdormiaſ,

Præsentem absens videat,  
Et malum omne caueat.

Me Angelus custodiat,  
Et crucis signo muniat,  
Hinc Sathan procul fugiat,  
Et Iesus solus maneat.

Quos amo tecum colligas.  
In lecto cordis foucas,  
Nec me nec ipsos deseras,  
Sed benedicens protegas,  
Et in æuum custodias, Amen,

Maria mater gratiæ,  
Mater misericordiæ,  
Tu nos ab hoste protege:  
Et hora mortis suscipe, Amen.

Angele Dei, qui custos es mei,  
Me tibi commissum pietate superna,  
Hæc nocte illumina, custodi, rege & gubernas,  
Amen.

Deinde asperge te ac lectum tuum aqua benedicta, dicens:

Huius aquæ tactus, propulset dæmonis a-  
tus.

*Quid agendum dum lectum ingrediæris.*

**T**Andem facto signo crucis, lectum ingredi-  
dere dicens:

In nomine D. N. Iesu Christi crucifixi, cu-  
bitum eo. Ille me benedicat, regat, custodiat,  
& in vitam perducatur æternam, Amen.

Custodi me Domine vt pupillam oculi, sub  
vmbra

umbra alarum tuarum protege me,

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

In pace in id ipsum dormiam & requiescā:

In hæc verba indormias & requiescas in nomine Domini.

Danda autem est opera, ut finitis orationibus, & conscientiae examine, seruetur animus bene collectus cum Deo, ideòq; vitandæ sunt fabulæ, cogitationes externæ, tractationes negotiorum, & quicquid cum Deo coniunctionem impedire solet.

## C A P V T II.

### *Exercitium Matutinum.*

#### *MODVS MANE PIE SVRGENDI.*

#### *Dum primùm euigilamus.*

**V**Bi primùm euigilaueris, vel nocte vel mane: cauendum summo perè est, ne primitias cogitationum tuarum alius præter Deum habeat. Solet enim Diabolus primis diei cogitationibus vehementer insidiari: tum propter singularem superbiam suam, ut primitias diei ipse à te habeat, tum quod sciat, ab illis ferè reliquam diei constitutionem in homine pendere. Nam qualis quisque mane est, talis est frequenter reliquo die.

Prima igitur cogitatio nocturna, vel ma-

tutina, sit gratiarum actionis ad Deum, B. Virginem, Angelum custodem, ceterosque sanctos Patronos tuos, quorum te curæ & fi dei ea nocte commisisti: quod te cōseruarint, tibi adfuerint, Dæmonem fugauerint: oraq; humiliter, vt toto die, non te deserant, sed in actionibus omnibus iuuent. Si tempus surgendi nec dum aduenerit, occupa mentem cogitatione sancta, aut oratione. Cauetas autem, ne externæ cogitationes irrepant, maxime verò turpes, aut de negotijs, aut occupationibus futuris, quantumuis sub specie magnæ utilitatis, se se insinuent, aut ingerant.

Die igitur aut recogita apud te aliquid eorum quæ sequuntur.

Benedicta sit Sancta & indiuidua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Nonne Deus ter optimo maximo conditori, Redemptori, ac Conseruatori meo, subiecta erit anima mea; ab ipso enim salutare meum &c.

*Dum surgimus.*

**H** Ora surgendi illico surge factoque signo crucis cogita nouo te obstringi beneficio, ad per-



ad perfoluendas Deo præpotenti gratias, qui continuas pro salute & incolumitate tua agit excubias. Magnopere verò caueas, ne fabulas vllas tractes, aut quiequam ante orationem admittas, quòd mentem distrahere possit, & futuræ orationi impedimentũ præbere.

Dic igitur vt sequitur.

In nomine Patris & filij & Spiritus S. Amen.  
In nomine Domini N. I. C. surgo, qui me redemit suo sanguine precioso, ille me benedicat, & regat, & custodiat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hoc die illumina, custodi, rege, & gubernas, Amen,

Poteris etiam ruminare, ea quæ paulo ante diximus, vel his similia.

*Dum vestimur.*

**R**uminare iterum poteris, & petere à Christo, vt abiectis operibus tenebrarum, induaris arma lucis & iustitiæ, quo resistere possis omni tentationi diaboli.

Optimùm etiam fuerit interim vsurpatam ab antiquis Patribus breuem Dæmonis abrenunciationem vsurpare.

Abrenuntio tibi Sathana: adhæreo, tibi Domine Iesu Christe.

Iesus Nazarenus Rex Iudæorum titulus triumphalis, defendat nos ab omnibus malis.

Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis, miserere nobis.

Item si tantum temporis superfit non abs re fuerit, recitare etiam symbolum Apostolorum, tanquam fidei nostrae contra Diabolum, & omnes magistros tenebrarum protestationem.

*Post vestitum.*

**H**inc compositus ad orationem dices quae sequuntur, nisi forte alium habeas orandi modum tibi conuenientiore.

Pater noster, Ave Maria, Credo. Confiteor Deo omnipotenti, &c. vt supra cap. 1.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

**D**omine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti: tua nos hodie salua virtute, vt in hac die ad nulum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

**D**irigere, & sanctificare, regere, & gubernare dignare, Domine Deus, Rex caeli & terrae, hodie corda, & corpora nostra, sensus, & sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: vt hic, & in  
aeternum

æternum te auxiliante, salui, & liberi esse mere-  
amur. Saluator mundi. Qui viuis & regnas  
in secula, Amen.

*ALIÆ ORATIONES MANE DI-  
cende, si tantum oej super sit.*

*Ad Deum Patrem, pro custodia noctur-  
na gratiarum actio.*

**G**Ratias ago clementiæ tuæ, omnipotens  
sempiternè Deus, fons bonorum omnium,  
quod me indignum hac nocte conseruasti &  
ad præsentis diei principium incolumem per-  
duxisti. Tuam maiestatem reuerenter pro  
me saluent Beati spiritus, & sancti omnes,  
tuumq; gloriosum nomen ob collata tua in  
me infinita beneficia celebrent Sed & omnes  
te creaturæ pro nobis collaudent, vt quouis  
momento temporis, & in secula benedicaris,  
Amen.

*Ad Iesum Christum Redemptorem pro  
gratia rectè diem auspicandi.*

**D**omine Iesu Christe custodi me, precor  
hodierna die ab omni peccato, & conce-  
de gratiam ad laudem tuam, omnia feliciter  
auspicandi & absoluendi.

Commendo tibi sanctam Ecclesiam tuam,  
ac totius mundi populum cum Catholicis o-

mnibus, viuis ac defunctis.

Commendo meos parentes, fratres ac sorores, benefactores, amicos & alios pro quibus precari debeo.

His omnibus peto tuam gratiam, perfectionem assiduam, & vitam dari æternam, Misere mei Domine ac omnium peccatorum.

*Imploratio gratiæ S. Spiritus.*

Imple me spiritu tuo misericordissime Deus vt nihil cogitem, loquar, vel agam hoc die, nisi quod tibi sit acceptum & cedat ad nominis tui gloriam, & ad animæ meæ vel proximorum salutem.

Spiritus Sancte Deus illumina me in tenebris, in afflictionibus consolare, in tentationibus opitulare, in virtutibus promoue, aduersus vitia defende.

*Ad SS. Virginem Deiparam.*

Gloriosa Dei mater & Regina cœli; patrona mea singularis, commendo me hodie maternæ pietati tuæ, vt ad filij tui gloriam, & salutem meam, proximique commodum, omnia quæ facturus sum, rite instituantur, atq; absoluantur.

In omni tribulatione & angustia nostra, Succurre nobis pijsima Virgo Maria.

*Ad S. Angelum custodem.*

Obsecro te angelice Spiritus, custos ac tutor meus fidelis, vt in via pacis prosperitatis & salutis, te duce hodie dirigar, atq; ab  
omni



omni spiritu malo grauiq; tentatione defendar. Peto etiam te fauente præsidium dari, vt secundum Dei voluntatem, vitia fugiam & virtutes Christianas exerceam, quoad nostrum communi Domino, in cœlesti patria assistam ac feruiam, Amen.

*Ad obtinendam cœlestem Benedictionē.*

**D**iuina Maiestas & vna Deitas, Pater filius & Spiritus Sanctus, ab omni mortali peccato & scandalo, ab hostibus visibilibus & invisibilibus, à subitanea mala & æterna morte, à periculis corporis & animæ nos liberet, & Catholicos omnes vbiq; locorum in vera fide & obedientia sancta custodiat.

Dominus nos benedicat &c. vt supra.

*Puncta Matutini Exercitiij quinque.*

**D**eniq; in his quinque quæ sequuntur, putes potissimum esse animum breuiter exercendum, pro fœlici auspicio totius diei.

1. Vt gratias agas Domino Deo: sanctissimæ matri virgini, Angelo eustodi & omnibus Sanctis, quibus te commendare, solitus es, de nocte citra noxiam animæ & corporis transacta. Quod si qua forte noxa admissa foret, ex anima roges veniam, proponasq; emendationem. Dic igitur, si multa meditari nescias hæc ipsa verba: Gratias ago Domino Deo meo, Sanctissimæ Matri Virgini, Angelo eustodi, & omnibus Sæctis patronis meis de nocte hac citra noxiã animæ & corporis feliciter

transacta. Quod si qua admisa est, rogo ex animo veniam, proponoq; emendationem.

2. In gratiarum actionem offeras te totum diuinæ bonitati, cogitationes & actus, sermones & studia, & totius diei occupationes & negotia vt de te tuisque omnibus, secundum suum beneplacitum statuatur, vitam tuam ad sui nominis gloriam dirigat bonis suggestionibus intellectum illustret, seruire charitatis affectum ad se moueat, sensusque sermones & actus tuos ad animæ tuæ salutem componat. Dic igitur hæc ipsa verba. In gratiarum actione offero me Domine totum &c. vt de me meisque statuas, &c. illustres &c. moueas &c.

3. Roges Dominum, vt hodierno die, ab omni peccato te custodiat, ne cogitatione, verbo, vel opere aut omissione diuinam eius Maiestatem vlllo pacto offendas. Dic igitur. Rogo Domine vt &c. me custodias & ne &c. offendam.

4. Proponas firmiter, quod eum Diuino auxilio hodie, peccata omnia vitare, ac maxime consueta tua ad quæ propensiores, deponere contraque actiones & studia tua, ad diuinam gloriam referre velis, denique in virtutibus te exercere, ne dies hic sine bono opere transeat. Quam ad rem non parum proderit, meminisse illius Christi. *Theaurizate vobis Theuros in caelis.* Matth. 6. Meminisse item id fieri singulis bonorum operum cuiusvis generis actionibus. Meminisse quanto olim solatio sit futurum vbi tandem aperto gazophylacio

lacio tuo coram Deo, inuenturus sis omnia simul collecta, quæcunq; singulis diebus totius vitæ tuæ eo bona congefseris? Quanta enim inde merces speranda.

5. Consultum præterea fuerit, quo tota inde dies melius tibi decurrat, vt omnes diei horas obiter percurras & quid toto die boni factururus sis vel alioqui legitime negotiaturus generatim tecum supputes, ac Deo offeras.

Nota ad extremum nos, hic de ijs potissimum loqui, qui longius meditando, vel tempus non habent, vel commoditatem. Nam qui ea habent nil possunt præstare vtilius tempore matutino quam vt præterea, aliquam sibi vel horulam, vel certo horam partem pijs meditationibus faciendis designent. De modo meditando egimus supra lib. I. cap. 3. De multiplici meditando materia, infra agemus lib. 7. & 8.

### CAPVT III.

#### EXERCITIUM DIURNVM.

*Quid subinde per diem reuocari in memoriam debeat.*

QVo sit homo per diem magis sibi præsens, meliusq; actiones suas moderetur in rem est reuocare subinde in memoriam, quæ bene mane proposuit. Erit enim id taciti mo-

nitioris loco, quo circumspicte omnia sua exequatur. Illud verò etiam in primis vtile est vt bene viuendi propositum etiam explicite frequenter apud sese renouet.

2. Expediit vehementer, vt antequam negotium aliquod aggrediamur, vel quopiam eamus, paucis apud nos expendamus, quæ occurrere possint discrimina, & occasiones peccati. Vt contra ea nos muniamus & armemus.

3. Frequentissime per diem conuenit animum suum ad Deum, tanquam, vbiq; præsentem breui aliqua ceu eiaculatoria oratione conuertere, vt illum vbiq; nobis adesse cognoscamus.

### *Orationes eiaculatoria.*

Orationes autem eiaculatoriæ sunt breues aliquæ, & feruidę mentis in Deum eleuationes, seu preces; quas ex intimo cordis affectu ceu iacula quædam, & sagittas in Deum homo mittit, quibus penetret & quasi fauciet, sibiq; aperiat amantissimum illius cor & pectus benignissimum. Incredibile est, quam eiusmodi orationes, & Deo acceptæ sint, & homines accendant in Deum. Eas propterea sancti viri sæpè vsurparunt, vt videre est in Dauide, & B. Augustino (cæteros vt in præsentia omitteremus: ) ideoq; partim ex Psalmis, partim ex B. Augustini Confessionum libris pau- culas eiusmodi preces adferemus, quas pij omnes sensim & commendare memoriæ, & v-

surpare.



turpare, & quando volent, deijs meditari poterunt.

*Eiaculatorie Orationes ex Psalmis.*

Pſalm: 8. Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

17. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum.

37. Anima mea tibi (Domine) viuet, & ſemen meum ſeruiet tibi.

30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.

34. Dic animæ meæ, Dñe, ſalus tua ego ſũ.

47. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

56. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

72. Quam bonus, Iſraël, Deus his qui recto ſunt corde.

Ibid. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:

Ibid. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt ponere in Domino Deo ſpem meam.

82. Quam dilecta tabernacula tua Domine

Deus virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atrijs Domini.

Ibid. Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te.

Ibid. Melior est dies unus in atrijs tuis super millia.

102. Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

115. O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. (Ecclesiæ, scilicet & Mariæ.)

138. Fiat Domine cor meum immaculatum, vt non confundar.

*Totus integer hic Psalmus 138. plenus est eiusmodi ei aculatorijs precibus.*

131. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Ibid. Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui Syon.

38. Proba me Deus & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

142. Notam fac mihi viam Domine, in qua ambulem, quia ad te leuavi animam meam.

144. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

146. Magnus Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

*Eiaculatorie orationes ex B. Augustini Confessionum libris.*

Ex lib. 7. cap. 3. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Cap. 5. Quis mihi dabit Domine, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te.

Quid tibi sum ego, vt amari te iubeas à me; & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miseras? paruanè est ipsa miseria si non amem te.

Noli abscondere à me faciem tuam, Domine; moriar, vt eam videam.

Angusta est domus animæ meæ, quo venias ad eam, dilatetur à te, ruinosa est refice eam.

Ex lib. 3. cap. 15. O bone Deus omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes, tanquam singulos.

Ex lib. 4. c. 3. Quid ego sum mihi, Domine, sine te, nisi dux in præceps.

Aut quid sum, cum mihi benè est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur.

Cap. 9. Te nemo, bone Deus amittit, nisi qui dimittit. Et qui dimittit: quo it, aut quo fugit, nisi à te placato ad te iratum;

Cap. 16. O Domine Deus noster, in velamento alarum tuarum speramus, protege nos, & porta nos; quoniam firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas; cum autem nostra est, infirmitas est;

Lib. 5. c. 31. Laudet te Domine, anima mea; ut amet te, & confiteatur tibi miserationes tuas, & laudet te.

Lib. 6. c. 7. Taceat laudes tuas, Domine, qui miserationes tuas non considerat, quæ tibi de medullis meis confitentur.

Cap. 36. Væ animæ audaci, quæ sperauit si à te recessisset, aliquid se melius habituram, versa, & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus, Domine requies.

Lib. 7. c. 6. O æterna veritas, & vera caritas, & cara æternitas, tu es Deus meus, tibi suspiro die, ac nocte.

Cap. 37. 22. Mihi adhærere tibi, Domine, bonum est; quia si non mansero in te, nec in me potero.

Lib. 9. c. 3. Hei mihi, quàm excelsus es, Domine, in excelsis, & quàm profundus es in profundis? & nunquam recedis & vix redimus ad te.

Lib. 10. cap. 3. Cognoscam te, cognitor meus, cognoscam te, sicut & à te cognitus sum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, ut habeas & possideas sine macula, & ruga?

Cap. 6. Domine amo te, percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, ut amem te, nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles.

Cap. 27. Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua, & tam noua, serò te amaui. Ecce tu in

tus eras,



tus eras, & ego foris. Mecum eras, & tecum non eram.

Cap. 29. Vocasti me Domine, & clamasti, & rupisti surditatem meam.

Coruscasti, splenduidisti, & fugasti cæcitate[m] meam, flagraſti, & duxi ſpiritum, & exarſi in pacem tuam.

Tota ſpes mea Domine non niſi in magna valde miſericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis.

Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

O amator, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, caritas Deus meus, accende me. Continentiam iubes? Da quod iubes, & iube quod vis.

Lib. 11. cap. 14. Ecce Domine cœlum & terra clamant quod facta ſint. Tu Domine, feciſti ea, qui pulcher es, pulchra ſunt enim; qui bonus es, bona ſunt enim; qui es, ſunt enim: Sed nec ita pulchra ſunt; nec bona ſunt, nec ita ſunt, ſicut tu conditor eorum, cui comparata. nec pulchra ſunt, nec bona ſunt, nec ſūt.

Cap. 37. O quàm excellus es Domine, & humiles corde, ſunt domus tua.

Tu enim erigis eliſos, & non cadunt, quorum fortitudo tu es.

Lib. 12. cap. 15. Tu Deus diligenti te quantum præcipis, oſtendis ei te, & ſufficit ei & idè non declinat à te nec à ſe.

Lib. 13. c. 1. Non eguiſti me, Domine, nec ego bonum tale ſum, quo tu adiuueris; Non

ſic te

fic te colo, quasi terram; vt sis incultus, si te non colam: sed seruius tibi & colo te, vt de te mihi benè sit, à quo mihi è, vt sim cui benè sit.

Scio Domine quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed in me ipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est mihi.

EXERCITIUM QVOTIDIANVM.

*Quod semel minimum in die, quacunq;  
hora commoda utilissime pius qui-  
uis vsurpauerit.*

**B**ONE IESV, propitius mihi esto peccato-  
ri abominâdo. Peccaui, peccaui, peccaui,  
& malum coram te feci, ignosce mihi. Ego  
omnes iniquitates negligentias, & immortifi-  
cationes meas, depono in charissima vulne-  
ra tua, & abijcio in abyssum misericordie  
tuæ, meritorumq; tuorum. O vtinam vtinam  
nunquam te offendissem. Vtinam nun-  
quam gratiam tuam in me impediuissem. Pro-  
pono te adiuuante, corrigere me. Eia, dele  
omnia peccata mea, ablue me pretioso san-  
guine tuo. Sana me sacris vulneribus tuis,  
sanctifica me amara passione & morte tua. E-  
munda emunda me perfectè. Restitue mihi  
innocentiam quam in Baptismo contulisti, vt  
tibi vere placeam. Adoro, laudo, & glorifico  
te, benedico & gratias ago tibi Domine Iesu  
Christe, pro vniuersis miserationibus, & be-  
nifici-

neficijs tuis. Gratias ago tibi ô fili Dei viui,  
 Deus altissime, qui propter nimiam charita-  
 tem, qua dilexisti me, dignatus es homo fieri.  
 Voluisti pro me in stabulo natci, infans  
 panniculis inuolui, fasciis stringi, in præse-  
 pio reclinari, modico lacte Virginis matris ali,  
 paupertatem & egestatem tolerare, multipli-  
 cibus laboribus, & ærumnis triginta tribus an-  
 nis fatigari. Voluisti ludore sanguineo præ-  
 angustijs, suffundi, ignominiose comprehen-  
 di, indigne ligari, iniuste damnari, sputis sæ-  
 dari, colaphis & alapis cædi, veste alba rudi-  
 eulaq; velut amens indui, & illudi. Voluisti  
 flagris crudelissimè conscindi, spinis dire co-  
 ronari, clavis atrociter cruci affigi, felle & a-  
 ceto inhumaniter potari. Tu præclarus ve-  
 stitor siderum, nudus, contemptus, vulnera-  
 tus, & immensis doloribus afflicus, pro me  
 pependisti in cruce, pro me sudisti purissimū  
 sanguinem tuum, pro me mortuus es. Am-  
 plector vlnis animæ meæ venerandam cru-  
 cem tuam, & eam pro tui honore atq; amore  
 osculor. Præsta vt ad te pleno desiderio tem-  
 per adspirem, & in te dulcissime respirem.  
 Ecce Domine, ecce constituo me in infimo  
 loco infra omnem creaturam, quia indignus  
 sum, quem terra sustineat, substerno & sub-  
 jicio me omnibus hominibus. Complector,  
 complector omnes sicut possum sincero a-  
 more. Relinquo propter te omnia cæcua. Re-  
 spuo quicquid tu non es. Renuncio omni de-  
 lectationi sensuali. Renuntio omni vanitati

& impuritati: renuncio omni propriæ quæ-  
 sitioni & immortificationi. Resigno, resigno  
 me tibi funditus. Omnē voluntatē meā in tu-  
 am transfundo. Fiat Domine, fiat volūtas mea  
 in me, & de me, fiat voluntas tua in tēpore atq;  
 æternitate. Offero me paratum ad perferendū  
 cum auxilio gratiæ tuæ quicquid tibi placue-  
 rit. Eia suauissime IESV. mortifica, mortifi-  
 ca quicquid male ac sensualiter viuit in me,  
 quicquid vitiosum & inordinatum est, quic-  
 quid tibi displicet, mortifica in me omnē pro-  
 prietatem. Exorna me meritis ac virtutibus  
 tuis: Eia præpara tibi gratam & amœnam ha-  
 bitationem in me. Renoua spiritum, animā,  
 & corpus meum excellenti gratia tuā. Con-  
 forma me, sacræ humanitati tuæ. Efficce me  
 hominem secundum cor tuum. Expedi & de-  
 nuda mentem meam eamq; simplicem redde  
 & illumina. Concede mihi liberam ad te in-  
 trouersionem.

O Domine Deus, ô verum & incommuta-  
 bile bonum meum, imple me te ipso. Intro-  
 duc me in nudum animæ meæ fundum, &  
 transfer in te originem meam. Vni me tibi  
 intime, & totum in me transforma, vt delicias  
 meas in me habeas. Exaudi Domine, exaudi  
 me, non pro mea voluntate, sed pro tuo be-  
 neplacito. Eia doce, illumina, dirige, & ad-  
 iuuata me in omnibus, vt nihil agam, nihil lo-  
 quar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod ti-  
 bi sit acceptum.



O Maria, Maria Virgo dulcissima, miserere mei vilissimi peccatoris, saluto, saluto & veneror te. Eia impetra mihi plenam omnium peccatorum remissionem, impetra perfectam mei mortificationem, & abnegationem. Impetra veram humilitatem, patientiam, charitatem, & linguæ atq; sensuum continentiam. Impetra puritatem, simplicitatem, nuditatē, libertatēq; mentis, & introuersionem essentialē, vt sim homo, secundum cor filij tui.

O Sancti Sanctæq; Dei omnes, & Beati Spiritus Angelici quos Deus mellifluo vultu suo semper lætificat; orate pro me, saluto & veneror vos. Gratias ago Domino, qui vos elegit, & suis benedictionibus præuenit. Eia, impetrate veniam, impetrate gratiam, vniōnemq; Diuinam.

O clementissime & misericordissime IESV, miserere Ecclesiæ tuæ; miserere huius loci, huius congregationis. Concede vt sit hic humilitas, pax, charitas, continentia, & puritas. Concede, vt omnes digne emendemus atq; corrigamus nos, & timeamus te, & seruiamus tibi fideliter, & diligam⁹ te, & placeam⁹ tibi. Commendo pietati tuæ orania negotia, & omnes necessitates nostras. Miserere omnium hominum, pro quibus sacrosanctum sanguinem tuum sudisti. Eia, conuer-te & reuoca miseros peccatores. Da viuis veniam & gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemq; sempiternam, Amen.

## CAPVT IV.

QVOTIES INTERDIV ET QVAN-  
do orandum.

*Ac quomodo temporibus & occasio-  
nibus diuersis.*

**N**on hinc loquimur de statutis orationū ho-  
ris, quando pro cuiusuis vel officio vel de  
uotione, longius & ex professo huic pietatis e-  
xercitio incumbendum venit, sed de ijs ocea-  
sionibus, quæ passim die tota occurrentes, pro  
prium aliquam nouam nobis offerunt precan-  
di materiam licet breuem.

Orandum igitur esse, ante quascunq; ope-  
ras & actiones sancti Patres docuerunt. *Egre-  
dientes de hospicio, (ait D. Hierony: ad Eustoch,  
de custod. Virg.) armet oratio, regredientibus  
de platea, oratio occurrat antequam sessio, nec pri-  
us corpusculum requiescat, quam anima pasca-  
tur. Ad omnem actum, omnem incessum, manus  
pingat crucem.*

I.

*Orandum in egressione domus.*

**I**n egressione ergo domus, signo crucis fa-  
cto dici possunt sequentes versiculi, ex Psal-  
mis deprompti.

Deduc me Domine in via tua, vt ingrediar  
in veri-

in veritate tua, lætejur cor meum, vt timeat nomen tuum. Psal: 87.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, Psal: 24.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: vt non dominetur mei omnis iniustitia. Psalm. 118.

2.

*Orandum in egressu templi.*

**D**VM cœmeterium transis dic: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

In ingressu Ecclesiæ dices: Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

In aspersione aquæ lustralis: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me &c. vel.

Huius aquæ tactus propulset Dæmonis actus, &c.

Tum IESVS crucifixus, qui in nauis adorandus templum ingressis proponitur, demissis poplitibus, & capite, erit salutandus & adorandus, sequenti oratione.

Adoramus te Domine IESV Christe & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.

Tum summa reuerentia & demissione adorari debet venerabile Sacramentum sequenti oratione.

Aue

Aue verum corpus, natum ex Maria virgine ;  
 Vere passum imolatum, in cruce pro homine.  
 Cuius latus perforatum, vero fluxit sanguine.  
 Esto nobis prægustatum, mortis in examine,  
 O clemens, & pie IESV, fili Mariæ, miserere  
 nostri amen.

Vel dici possunt versiculi :

Tantum ergo Sacramentum veneratione cer-  
 nui, &c.

Genitori genitoque laus, & iubilatio, Salus,  
 honor, &c.

3.

*Orandum ante quamcunq; actionem.*

Ante quamcunq; actionem, animi potif-  
 simum, & ingenij dici potest :

Emitte Domine sapientiam de sede magni-  
 tudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret,  
 vt sciam quid acceptum sit coram te omni  
 tempore.

*Oremus.*

Tua nos, quæsumus Domine, gratia sem-  
 per præueniat, & sequatur, ac studijs nostris,  
 bonisq; operibus iugiter præstet esse intentos.  
 Per Christum Dominum nostrum Amen: vel:

Actiones nostras quæsumus Domine aspi-  
 rando præueni & adiuuando prosequere, vt  
 cuncta nostra oratio & operatio, à te semper  
 incipiat & per te cœpta finiatur. Per Chri-  
 stum Dominum nostrum. Amen.

Finito verò labore quouis sic ora: Tibi laus  
 & gloria



& gloria æterne Deus, quod gratia tua duce,  
hunc absolui laborem, quem tibi gratum esse  
concede, Per Christum D. N. Amen.

4.

*Orandum ad cuiusuis hora pulsus.*

Pia admodum est Leodiensis populi con-  
suetudo, vt audita quauis hora, aperto capi-  
te, Crucis signo se muniant, quod signum co-  
mitari posset hæc oratio, vel alia aliqua si-  
milis,

Omnipotēs faustū donet mortalibus horā.  
Nos cū prole pia, benedicat V. Maria: vel  
Maria mater gratiæ, mater misericordiæ,  
Tu nos ab hoste protege & hora mortis su-  
seipe: Amen.

Quæ orationeula subinde per diem vsur-  
panda est à bonis omnibus.

5.

*Orandum ante cibum & potum.*

Orandum quoque ante cibum & potum  
Bipartito, ait B. Basilius, Serm. 5. de instit-  
monach. diuidēda meridiana oratio est, ita vi-  
delicet, vt vna pars eibū præcedat, altera sub-  
sequatur. Potest autem nobis bipartita ea o-  
ratio esse benedictio mensæ ante cibum, &  
gratiarum actio post cibum. Nunquam, enim  
citra orationem sūmenda illa corporis refe-  
ctio est. Id docent & confirmant B. Ambro-  
sius. Lib. 3. de Virginib. & S. Chrysoptom.  
Lib. 1. de orando Deo. Qui etiam populum

Antioche-

Antiochenum compellans, homil. 99. Opus, inquit, est nos & mensam petentes, & deficientes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus nunquam in ebrietate decidet, aut insolentiam, nunquam crapula disrumpetur, &c. B. verò Hieron. Epist. ad Eustoch. (vt omittamus cæteros Patres) nec cibi, ait, sumantur, nisi oratione præmissa; nec recedatur de mensa, nisi referatur creatori gratia.

Ecclesiastici habent orationes sibi præscriptas in Romano Breuiario ante & post refecti onem dicendas.

Laici verò, & seculares accommodare se possunt ad patriæ consuetudinem; ita tamen, vt semper & præmittatur, & postponatur oratio Dominica, quia in ea, petimus panem quondianum, non tantum eum vt accipiamus, sed etiam vt acceptus nobis proficit, ac non officiat.

Deniq; si alia hic, non suppetat formula orandi seruetur sequens.

*Ante mensam.*

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

*Oremus.*

Benedic Domine nos, & hæc dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum Amen Kirie eleyson, Christe

Christe eyleon, Kirie eyleon. Pater noster.

*Post mensam.*

Benedicamus Domino, Deo gratias. Agimus tibi gratias Omnipotens Deus, pro vniuersis beneficijs tuis, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum Amen. Kirie eyleon, Christe eyleon, Kirie eyleon. Pater noster. &c. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsq; in seculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam, Amen.

Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

6.

*Orandum in quacunque demonis,  
aut carnis tentatione.*

Oratione quoq; necessariò opus est in quacunque tentatione. Tunc ergo aliqui ex sequentibus versiculis dici possunt cum impressione signi S. Crucis.

Deus in adiutorium meum intende: Dñes &c.

Esto mihi in Deum protectorem: & in locum refugij, vt saluam me facias.

In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Adiutorium nostrum in nomine, &c

E

Eripe

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Pone me Domine iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Cor mundi crea &c. Ne proicias me à facie tua &c. Redde mihi lætitiã, &c.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis, per Christum Dominum nostrum Amen.

Omnipotens & mitissime Deus respice propitius preces nostras, & libera corda nostra de malarum temptationibus cogitationum, vt S. Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Christum Dominum Amen.

*Dulce enim noster locus in pectore...*

*Namq; tuo constat nomine nostra salus.*

*Illi triste nihil cadit inquam, misis Iesu,*

*Qui solet &sq; tui nominis esse memor.*

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ; tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, Amen.

Vide etiam infra lib. 6. Cap. 5. initio.

*Orandum ante, & post S. officium, preces horarias, &c.*

Quia monet sapiens: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum, meritò dicendas ante, & post recitationē Officii orationes pponimus

*Ante*



Ante ergo recitari potest Ecclesie oratio :  
Actiones nostras, &c. vt supra, vel sequens.

*Orationes ante Officium.*

Aperi Domine os meum, ad benedicendum  
nomen sanctum tuum ; munda quoque cor  
meum ab omnibus vanis, pueris, & alie-  
nis cogitationibus : Intellectum illumina, af-  
fectum inflamma, vt digne attentè, & deuo-  
tè, hoc officium recitare valeam, & exaudiri  
merear ante conspectum diuinæ maiestatis  
tuæ. Per Christum, &c. vel.

Domine I E S V Christe, ego humiliter pro  
tuo honore obedire, & tibi fideliter seruire, te  
que pure laudare in vnione illius perfectissi-  
mæ attentionis, qua tu Patrem orasti, & lau-  
dasti in terris, cupio : adiuua me igitur gratia  
tua, quia sine te nihil possum.

*Orationes post officium.*

Post recitatum autem Officium : Legi solet  
Laudate Dominum omnes gentes, lauda-  
te eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos miseri-  
cordia eius, & veritas Domini manet in æter-  
num.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Tunc subiici potest altera ex sequentibus  
orationibus.

Bone I E S V, propitius esto mihi peccatori:

ego tepidum, & distractum seruitium meum, commendo mellifluo cordi tuo emendandū, & perficiendum, tibiq; ipsum offero ad salutem omnium, in vnione illius perfectissimæ attentionis, qua tu Patrem orasti, & laudasti in terris. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissimè, Amen. Vel  
 Sulcipe clementissime Deus precibus & meritis beatæ Mariæ, semper virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, officium seruitutis nostræ; & si quid dignum laude egimus, propitius respice: & quod negligenter actum est, clementer ignosce. Qui in Trinitate perfecta uiuis, & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*Alia oratio deuotissima, ante vel post officium aut missam dicenda.*

**A**Doro te benedicta, gloriosa Trinitas, vnus Deus, te laudo, tibi gratias ago, pro vniuersis beneficiis tuis, tibiq; hoc obsequiū quod agredior (vel confeci) offero, ad laudem & gloriam nominis tui, & gloriosissimæ humanitatis Iesu Christi Domini nostri. Tu illud suscipe, in vnione sanctarum precum & interpellationum, quas idem Dominus, & Mediator noster fecit existens olim in terra, & iam in cœlo facit; & in vnione precum & laudum, quas omnes Sancti in cœlo, & iusti in terra nunc faciunt. Cupio illud factum à me ea attentione,

tentione, ac reuerentia, ea intentione, ac sensu, quem Spiritus sanctus, & Ecclesia inclusit, & intendit. Cedat id etiam ad laudem B. M. virginis & omnium Sanctorum, & præcipue Patronorum meorum, & quorum hodie memoria in Ecclesia recolitur, & quorum reliquias habeo (vel quorum Reliquiæ hic sunt) Profit idem Ecclesiæ tuæ, & omnibus fidelibus viuis & defunctis, & præsertim illis, qui sunt mihi peculiariter commendandi. Profit etiam mihi indigo, & indigno, & sit efficax gratiarum actio, pro beneficijs tuis, & potissimum pro beneficio passionis Iesu Christi Domini nostri, (vocationis meæ & conseruationis in eadem, &c.) sit placatio offensæ maiestatis tuæ, sit remissio peccatorum meorum, sit satisfactio pro pœnis mihi debitis, sit supplementum negligentiarum & omissionum mearum, sit extirpatio passionum, & imperfectionum mearum, sit impetratio omnium necessitatum temporalium & spiritualium, & donorum ac virtutum, deniq; gratiæ ac gloriæ incrementum, Amen.

*Orandum ad pulsum matutinum,  
meridianum, vespertinum.*

Nec omittenda est ea oratio, quæ manè, meridiè, & vespere solet fieri ad pulsum quibus temporibus dari consuevit. Salutatur autè ijs temporibus beata virgo Maria, vt per exi-

nia beneficia ijs horis collata, quibus illa ad-  
fuit, misericordiam nobis impetrare dignetur  
à filio. Nam pulsu matutino, renouatur me-  
moriam Resurrectionis Christi, qui rediuius  
ex inferis statim sanctissimæ matri apparuit.  
Pulsus meridianus datur in recordationem  
Passionis Christi, cui virgo præfens interfuit.  
Vespertinus autem in memoriam Incarnati-  
onis Christi in utero virginis: siue id postre-  
mum mysterium manè completum sit, siue  
meridie, siue vesperi: non incongruè tamen  
vesperi eiusdem memoria proponitur, quod sub  
totius mundi vesperam nouissimis & postre-  
mis conditi orbis temporibus, in ultimo se-  
culo & promissum olim & completum postea  
fuerit. Singulis autem hisce temporibus in me-  
moriam horum trium mysteriorum reciten-  
tur terni sequentes versiculi adiuncta singulis  
salutatione Angelica.

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & con-  
cepit de spiritu Sancto. Ave Maria &c. Ecce  
Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum  
tuum. Ave Maria, &c.

Verbum caro factum est, & habitauit in  
nobis. Ave Maria, &c.

Manè verò hisce versiculis, & salutationi  
Angelicæ subiici potest sequens oratio, in me-  
moriam resurrectionis Dominiæ.

Domine I E S U Christe, qui rediuius ex  
mortuis, diem illum expectatissimum, quem  
fecit Dominus, mortalibus reuexisti: fac nos  
à morte peccatorum excitatos, in nouitate vi-

tz ambula-



te ambulare, vt in resurrectione illa nouissima, tecum omnes manifestemur in gloria, Qui viuis & regnas in secula seculorum. Amē.  
Meridie verò.

Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.

**R**espice quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster **I E S V S** Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum; Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorū, Amē.  
Vesperī autem.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante Christi filij tui Incarnationem cognouimus, per Passionem eius & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Sunt tamen qui singulis illis horis: manè, inquam, meridie & vesperti, tribus illis versiculis, & triplici Sulationi Angelicæ subijciant iam dictam orationem, Gratiam tuā, &c. Nec incongruè, cum in ea Collecta mentio fiat & Incarnationis, & Passionis, & Resurrectionis, quæ tria sunt mysteria, quorum meminisse tribus hęc horis debemus.

9. *Orandum particulariter ante studia inchoanda.*

Studia aggressurus, easdem orationes dicet, quas superius ante quamcunq; actionem dicendas

cendas posuimus. vel dic sequentes.

*Oratio D. Thomæ Aquinatis ante  
studia.*

**C**reator ineffabilis Domine meus, & Deus meus, qui de thesauris tuæ sapientiæ nouem Angelorum choros condidisti, & eos super cælum Empyreum miro ordine cellocasti, atq; elegantissimè partes vniuersi distribuisti: tu, inquam, qui verus fons luminis, & sapientiæ diceris, atq; supereminens principium, infundere digneris, super intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplices à me remouens tenebras, peccatum scilicet, & ignorantiam, in qua natus sum. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atq; in labijs meis, gratiam tuæ benedictionis infundas.

Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, & loquendi gratiam copiosam: ingressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum Amen.

*ALIÆ ORATIONES ANTE STUDIA  
dicenda.*

*Die Dominico.*

**I**n nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Benedictus sit Deus Pater, vnigenitusq; Dei Filius, Sanctus quoq; Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam

☞ Clementissime Pater, infunde nobis per meritum Christi Filij tui, Spiritus sancti gratiam, qua intellectus noster liberalibus disciplinis plenius illustretur, quas in Diuinum tuum honorem aliquando, & spiritualementem nostram vtilitatem, conuertere possimus. Qui viuus & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

*Die Luna.*

**I**N nomine Patris, & Filij, &c.

☞ O Sapientia, quæ ex ore altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterq; omnia disponens, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Verbum patris æternum, & sapientiæ fons effusissime, Domine Iesu Christe, docilitatem mentibus nostris, & intelligentiæ lumen infunde, vt feliciter nobis cedant hæc literarũ studia, quibus adiuti, ad clariorem, æternæ veritatis tuæ agnitionem, & perfectum bonitatis tuæ amorem, peruenire possimus. Qui viuus & regnas Deus in secula seculorũ, Amē.

*Die Martis.*

**I**N nomine Patris, & Filij, &c.

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda

fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

**G** Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti spiritus cogitationes cordis nostri, vt te perfectè diligere, & dignè laudare, omniaque nostra Studia semper ad tuam gloriã referre valeamus. Qui viuus & regnas De<sup>s</sup> in secula seculorũ, A.

*Die Mercurij.*

**I**N nomine Patris, & Filij, &c.

O quàm gloriolum est regnum, in quo cõ Christo gaudent omnes Sancti: amicti stolis albis sequuntur agnum quocunque ierit, laudantes Deum & dicentes: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarũ actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

**G** Omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbique adiuuent, vt dum eorum merita recolimus patrociniã sentiamus.

Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, vt nos mereamur ab eo in studijs nostris iuuari, & saluari Qui viuus, & regnat in secula seculorum, Amen.

*Die Iouis.*

**I**N nomine Patris, & Filij, &c.

O Sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mēs

impletur



impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito, esurientes repleas bonis, fastidiosos diuites dimittis inanes.

☞ Tua nos Domine quæsumus gratia semper præueniat & sequatur, ac studijs nostris bonisq; operibus iugiter præstet esse intentos. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Die Veneris.*

**I**N nomine Patris, & Filij, &c.

Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

☞ Domine Iesu Christe, qui pro mundi redemptione, vt qui in tenebris erat illuminaretur, mortem in crucis patibulo sustinuisti, illam quæsumus lucem in animas nostras, corporaque infunde, per quam ad æternam lucem, & te veram sapientiam peruenire mereamur. Qui viuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen.

*Die Sabbati.*

**I**N Nominē Patris & Filij, &c.

Sub tuum præsidium contugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, & benedicta Domina nostra.

✎ Omnipotens sempiternæ Deus, qui curam de omnibus in te confidentibus semper habes, præsta quæsumus, vt per intercessionē Beatissimæ Virginis Mariæ, Matris vnigeniti Filij tui, Domini nostri Iesu Christi, tuam in nostris Studijs, & omnibus necessitatibus, gratiam sentiamus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat, in vnitæte Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen

## CAPVT V.

*MODI VARIJ VARIJ ALIA E-*  
*xercitia spiritualia rite peragendi, seu quo-*  
*tidie, seu quando occasio detur.*

**O**peræ precium videtur hic simul pro directione singulorum dierum, quasi in compendio proponere, vnde hoc libello nostro omnis generis, Exercitia Spiritualia, ac Methodi aptæ, ad ea ritè peragenda sumi possint: vt qui vel quotidie, vel certe frequenter in ijs se exercere cupiunt, ad manum habeant, vade paruo negotio faciles modos eorum inueniant.

Methodo-

*Methodus rite meditando.*

Sunt igitur, qui quotidie sese pijs aliquibus meditationibus exercere cupiunt. Ij Methodum rite meditando inuenient supra lib. 1. cap. 3. Materiam verò copiosam, omnis generis meditationum, infra lib. 7. &c.

*Methodus rite Missam audiendi.*

Sunt qui quotidie, vel ex officio debent, vel ex deuotione solent interesse Sacrosancto Missæ sacrificio. Ij Methodum rite audiendi sacri inuenient lib. 3. sequente toto.

*Methodus rite confitendi ac penitendi.*

Sunt qui frequenter utpote octauo quoque die confitentur. Hi inuenient Methodum rite confitendi lib. 4. toto, & quantum ad examen conscientie atinet, & quantum ad dolorem de peccatis, & quantum ad ipsam confessionem, ac consequentem vitæ emendationem.

*Methodus rite communicandi.*

Sunt qui quotidie communicant (vt Sacerdotes quotidie communicantes) vel certe frequenter. Ij Methodum rite communicandi inuenient infra lib. 5. toto.

*Methodus rite orandi, officium precum horumarum.*

Sunt

**S**Vnt qui vel ex obligatione, vel ex deuotione quotidie officium diurnum precum horariarum Deo persoluunt. Ij modum rite orandi vocaliter inuenient lib. 1. superiore, partim cap. 2. vbi docetur quæ iuuare possint orationem vocalem, vt fructuose fiat, partim cap. 4. vbi de Attentione orationis agitur, ac varia remedia deinceps contra mentis euagationem assignantur.

*Methodus rite audiendi Verbum Dei.*

**S**Vnt qui frequentes amant exhortationes concionales, puta Dominicis omnibus, & Festis; imò alij etiam frequentius in Congregationum piarum conuentibus. Ij Methodum rite atq; vtiliter audiendi verba Dei, sequentem poterunt obseruare.

Quia per prædicationem verbi diuini, vniuersus orbis fidem Christi accepit, certissimum est in verbo Dei magnam inesse vim, ad animos commouendos, si nullus obex obijciatur. Rom. 1. *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti.* Sed sicut liquores pro conditione vasis suscipiuntur & retinentur (nam si vas sit fordidum, minus purum erit vinum, quod infunditur; si capax sit, plus vini recipiet; si plenum rimarum, aut non probè obturatum, effluet vinum, vel vis vini deperibit;) ita pro conditione auditoris frequenter sese habet verbum Dei, quod percipitur.



Modus igitur cum vtilitate audienti concionem, erit iste.

*Ante Concionem.*

1. Ut ad templum vel locum prædicandi veniens non ita te habeas, atq; accedens ad rem prophanam, sed tanquam auditorus Deum ipsum per suum ministrum tibi loquentem.

2. Ingressus in templum, Deum ante omnia preceris pro peccatorum remissione, vt vasculum ad suscipiendum diuini verbi liquorẽ purgetur. Deinde roges tibi aperiri aures cordis vt audias; & oculos mentis, vt videas; tibiq; accomodes ea quæ dicuntur.

3. Primo proposito statuas perficere quæcunq; tibi ea concione intelliges dicta.

*In Concione.*

4. Animo collecto atq; præsentem concionatorem audias, non vt sua, sed vt Dei verba prominentem. Proinde neq; eloquentiam; neque actionem, neq; artificium humanæ Rhetoricæ vel considera, vel admirare: sed totus in eo esto, vt Spiritum haurias verbi diuini. Ita autem perueniant verba Dei ad intellectum, vt simul affectum moueant. Hoc enim differt concio à lectione sacra, quòd ista intellectum potissimum instruat, illa vero ad commouendos affectus præcipuè referatur. Cauendum est porrò auditori diligenter, ne illa quæ audit ad alium vllum, quam ad seipsum referat. Hoc

enim

enim non esset audire sibi concionem, sed potius lectionem, aut humanam admonitionem alteri referendam.

*Post Concionem.*

5. Concione peracta, si statim exeas templo ad fabulasq; tete conuertas, effluet quicquid instillatum fuerat. Proinde utilissimum erit, si eodem in loco, quantum fieri potest, non nihil in oratione subsistas, & auditi verbi præcipua capita, ea maxime quæ tibi conueniunt repetas; modumq; consideres illa perficiendi. Neq; hac repetitione contentus, quotidie de auditis cogites atq; in praxim redigas: quæ facienda intellexisti & proposuisti. Non enim *auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* Rom. 2.

*Methodus bonæ lectionis libellorum spiritualium.*

Sunt qui quotidie lectioni spiritualium libellorum operam suam dant, vel certe frequenter, & festis maxime, Dominicisq; diebus. Ij Methodum rite ista faciendi & obseruationes sequentes attendent.

Librorum sacrorum, piorumq; lectio Dominicis præsertim, festisq; diebus, usurpanda est. Si enim externis occupationibus, ac negotijs, chartisq; vel forensibus, vel domesticis, aut studijs prophanis, integras hebdomadas damus, meritò dies festos Deo, & salutis animæ nostræ dicatos, pijs studijs auditioni ver-

bi Dei, & sacrae lectioni tribuere debemus. Nolumus hoc loco ingentes utilitates, quae eiusmodi sacrorum librorum lectionem consequuntur exponere, satis enim multi multa haec de re scripserunt, & quotidiana ipsa experientia plus satis id confirmat.

Danda autem in primis est opera, quo quae utilissima instituatur lectio tota.

1. Ut non multa simul legantur, aut obiter percurrantur.

2. Ut quae lecta fuerint & notata, ad nos ipsos accomodemus, & ad salutem nostram referamus.

3. Vna dispiciendum est, quae ratione suis temporibus ea quoque possimus in aliorum utilitatem conuertere.

4. Prodest non mediocriter, ut in aliquibus egregijs sententijs haereamus diutius & quae lecta fuerint, expendamus, & iuuenemus ea, ut oblectent magis, & bene comparato stomacho gratiora accidant.

5. Plus semper in lectione inquirendum, quod mores nostros ad virtutem instruat, quam quod intellectum acuat ad disputandum, vel linguam expoliat ad eloquendum.

6. Lectionem debet praecedere & subsequi, immo nonnunquam comitari & interrumpere oratio, ut nimirum non tantum erudiatur intellectus per lectionem, sed & inflammetur affectus per orationem.

*Modus rite actuanda ac sepius interdii,  
maximeq; mane & vespere iteranda  
vera contritionis.*

*Rationes item variae, ex quibus cognosci queat,  
quam necessarium sit talem frequentare a-  
ctum, eiusq; consuetudinem in orbem  
totum Christianum introducere.*

*IN QVO SITVS SIT ACTVS VE-  
ra Contritionis*

**C**ontritio res tam pretiosa est, vt qui verè  
eam habuerit, tametsi grauissima, quæuis  
peccata commiserit, mox omnis culpæ veni-  
am consequatur, restituatur gratiæ, & amici-  
tiæ Dei, & virtutes infusas, ac dona Spiritus  
sancti per peccatum recuperet. & si eum absq;  
confessione (quod eius faciendæ occasio illi  
defuerit) mori contingat, particeps futurus  
sit salutis, vitæ, & gloriæ sempiternæ

Hæc Contritio, præsupposita vera & Ca-  
tholica fide in IESVM Christum Dominum  
nostrum principaliter, nititur amore Dei su-  
per omnia, & tres actus continet.

Primus est, dolor super omnes dolores de  
offenso Deo, quoniam is est, qui est, & tam  
dignus, qui super omnia ametur, & colatur,  
Qui dolor confirmatur & augetur in animo  
hominis: Primum ponderatione boni, quod  
quo-



quouis peccato mortali amittimus, quæ est gratia & amicitia Dei bonum maius omnibus alijs bonis, cuius proinde amissio, maiorem dolorem nobis inurere debet, quam diuitiarum, sanitatis, honorum, vitæ, & omnium aliorum bonorum etiam simul sumptorum. Secundo ponderatione mali, & damni quod peccatum mortale, quodcunq; nobis affert, quandoquidem facit nos inimicos Dei, mancipia Sathanæ, turpes, & abominabiles instar Dæmonum, & condemnatos in æternum; quæ maiora mala sunt, quam omnia alia mala, damna & tormenta huius vitæ simul sumpta. Quare maiorem etiam nobis dolorem vel vnicum peccatum mortale admittimus causare debet. Quod si vel vnicum tam magnum: quantum debent causare, innumera?

Secundus actus est, firmum propositum nunquam amplius vllius rei intuitu peccandi, hoc est, neq; amore vllius boni, quod peccando sperem assequi, neq; timore vllius mali, quod nolenti peccare metuam superuenturum: quandoquidem, vt iam dictum est, bonum quod peccando perdo, maius est omnibus alijs bonis, quæ peccando possum assequi simul sumptis; & mala ac damna peccati maiora sunt omnibus malis ac damnis, quæ nolenti peccare quacunq; ratione superuenire queant, simul item sumptis.

In hoc autem generali proposito non pec-

candi

candi includi debet. Primum actualis remissio, & ex corde omnium offensarum, quæ mihi fortè à quoquam proximorum meorum fuerant illatæ: deinde etiam firmum propositum satisfactionis, ac restitutionis proxima occasione faciendæ, si fortè aliqua me eius obligatio teneat. Adhæc propositum obseruantia: totius legis Dei, atq; omnium eorum quæ ex particulari obligatione officij mihi incumbunt: euitandi item omnes occasiones peccandi, & confitendi sacramentaliter, saltem quando præceptum me obligauerit, ac deniq; complendi pœnitentiam, quæ mihi fuerit imposita. Pro pleniori autem satisfactione pœnæ temporalis peccatis debitæ, tota vita, omnia opera, & afflictiones Deo sunt offerendæ.

Tertius actus est, petitio & spes veniæ, atq; etiam gratiæ ad se emendandum, & perseuerandum vsq; ad mortem. Hæc autem niti debet bonitate & misericordia infinita

Dei, & meritis pretiosissimi sanguinis, Passionis, & mortis IESV Christi  
Domini nostri.

PORRO EXERCITIVM HVIVS  
*excellētissimi actus est quale sequitur.*

a. *Actus fidei.* Domine (a) mi IESV Christe, verus Deus & homo, Creator &  
 b. *Amoris Dei super omnia.* Redemptor meus; (b) Quoniam tu is es, qui es, & quia amo te supra omnia: (c) Pœnitet me ex toto corde, quod te offenderim: & (d) propono firmiter, nunquam amplius peccare, & omnes peccandi occasiones deuitare, confiteri & implere pœnitentiam quæ mihi iniuncta fuerit. Condone simul amore tui  
 c. *Doloris de præterito.* (ex corde omnes offensas, quibus læsus forte sim, à quouis proximorum meorum, & si quid quispiam habeat contra me, unde iurè coram te queratur, propono ex animo me proxima occasione ipsi satisfacturum.

c. *Adpœnam temporalem peccatis debitam pensitas in hac vita delendam.* (e) Omnia deniq; opera mea & afflictiones, ac totam vitam tibi offero in satisfactionem meorum peccatorum. Et (f) quemadmodum suppliciter à te peto: sic confido in bonitate tua, & misericordia infinita quod ea merito tuæ pietosæ passionis, & mortis, mihi remissurus, & gratiam largiturus sis,  
 f. *Petitio, & spes veniæ, emendationis & perseverantiæ.* ad me emendandum, & ad persecutandum usq; ad mortem, Amen.

## RATIONES.

*Propter quas conueniat similem actum frequen-  
tissime exercere, & ubiq; in morem  
inducere.*

**P**rima Ratio est, quia cum initiū sapientiæ sit timor Domini, primum omnium ad quod hic timor nos extimulat, est vt cum Deo nos reconciliemus. Hoc autem fit contritione. Prima ergo & principalis nostra cura quotidie esse debet, vt hanc quam sæpissime exerceamus.

Secunda: quia reliquæ omnes bonæ, laudabiles & sanctæ deuotiones contritione nitī debent, vt absq; qua non sufficiant coram Deo ad effectum nostræ saluationis, cum contra hæc sola sufficiat absq; reliquis, si illis locus non sit. Dignū est ergo & iustum est, vt huic magis quam vlli alteri assuescamus, vt quæ tanti momenti sit, & tam necessaria.

Tertia: quia reliquæ deuotiones aliquando per imprudentiam tam excelsiuè à nonnullis deprædicantur: vt simpliciores errore decepti quodammodo putent solis illis certam se salutem assecuturos: atq; ita de emendatione vitæ, & morum minus solliciti sunt. Contra, hæc deuotio actus contritionis, tam utilis & necessaria est, vt in eius commendatione, nullum sit periculum excessus, quia cum ea peccatum mortale stare non potest: imo necessarium quasi est, vt vbi eius exercendæ continuatio durat, ibi quoq; vitæ emendatio subsequatur. |

Quarta:



Quarta: quia iuxta quorundam, eorundemque grauissimorum Theologorum opinionem, valde probabile est, in hora mortis solam attritionem non sufficere, sed obligari quemuis sub præcepto, ad procurandam veram & perfectam contritionem, propter eaque in 7a & 8a ratione dicentur. Qui autem in vita integris & sanis viribus, huic exercitio non assuevit, difficulter admodum id præstabit in illa hora, plena tot doloribus, anxietatibus & miseris. Conuenit ergo, vt dum salu sumus, nos animemus omnes ad hanc artem tam necessariam, cum gratia Dei, quotidie apprehendendam, & sæpius exercendam, vt minimum autem, cum mane lectulo consurgimus, & noctu dormimus; atq; vt eandem doceamus, quotquot poterimus.

Quinta: quia cum nulla planè hora de morte securi sumus, & infallibilis articulus fidei sit, neminem qui mortaliter peccauerit posse saluari, nisi vt minimum habuerit veram contritionem cum proposito continentis tempore debito: consequens est, ad assicurandam ex hac parte nostram salutem, nihil magis esse necessarium, quam vt semper, & omni momento contriti inueniamur.

Sexta: quia etiam iuxta communem doctrinam Theologorum, Sacramentum Pœnitentiæ ex attrito faciat contritum, non omnibus tamen semper tempus & occasio suppetit recipiendi Sacramentum: multoties etiam accidit, vt pœnitentes, cum ad confessio-

nem veniunt, non solum non veniant vere contriti, sed nec cum illa quidem attritione, quæ iuxta iam dictam doctrinam Theologorum necessaria est, ut ex attritis fiant contriti. Quamobrem valde necessarium est, ut omnes quotidie contentur cum gratia Dei exercere verum actum contritionis: quia fortassis multi etiam vel sic vix pertingent ad veram, & cum Sacramento iustificantem attritionem.

Septima: quia quamvis doctrina hæc communis, quod Sacramentum ex attrito faciat contritum, valde secunda sit & certa moraliter: absolute tamen non est de fide. Quam ob causam in negotio tanti momenti, quod est ~~salus nostra æterna~~, non debet homo esse contentus hac certitudine, sed omni meliori modo, quo cum Dei gratia potuerit, conuenit eam afferare, exercendo nimirum verum & perfectum actum contritionis: quo cum, & cum proposito confitendi, quod includit, certum est certitudine fidei, hominem saluatum iri.

Octaua: quia quamvis Dominus DEVS noster peculiari & planè paterna prouidentia cum sanctissimis suis sacramentis concurrat, cum ijs præsertim quæ sunt necessitatis, ne in præiudicium eorum qui illa recipiunt, ex parte ministri ordinariè in illis contingat error vel defectus: negari tamen non potest, absolute loquendo contingere posse. In tali autè casu vera hominis contritio quemcunque defectum Sacramenti supplet, qui absque culpa

pœnitentis interuenerit; absque contritione autem nulla res totius mundi cum sufficienter supplere potest.

Nona: quia, vt ex supradictis colligitur, absq; contritione nulla res totius mundi sufficienti certitudine assecurat nostram salutem: è contra autem, omnibus cæteris abjç; nostra culpa deficientibus, hæc sola cum proposito confitendi debito tempore, sufficienter illam assecurat. Quare nulli rei maiori studio debet homo incumbere, quam procurandæ veræ contritioni: consequenter cum iuxta D. Paulum 2. ad Corinth: 5. officium Prælatorum, Concionatorum & Confessariorum sit, reconciliare animas Deo; omni dubitatione remota, in hoc vnum maximè quæ reliquis omnibus, omni sollicitudine, & diligentia intendere debent, vt oues sibi commissæ, semper ambulent coram Deo verè contrito corde, vt quo immediatè Deo reconciliamur.

Decima: quia cum Deus faciat voluntatem timentium se, & propter solos decem iustos paratus fuerit parcere Sodomæ & Gomorrhæ; nullum dubium esse potest, quin (si hanc tam sanctam, necessariam, & Deo acceptabilem doctrinam, tum frequenter quotidie ipsi exercuerimus, tum alios docuerimus) sua diuina Maiestas etiam flagella temporalia peccatis nostris debita clementer sit amotura, & omnibus benedictionibus, tam temporalibus, quàm spiritualibus, quas optare & sperare possumus, perpetim nobis benedictura sit.

Vndecima : quia ad seriò emendandam vitam, ad extirpanda vitia, ad ardentè castigandum corpus mortificationibus, & pœnitentijs, ad proficiendum in virtutibus, ad patienter & hilariter perferendas aduersitates, ad liberaliter condonandas iniurias, ad crescendo quotidie in amore Dei & proximi, in gratitudine pro acceptis beneficijs, & in continuo exercitio omnis generis operum misericordiz; vno verbo, ad perseverandum vsque ad mortem in omni bono, nullus fortior & efficacior stimulus inueniri potest, quàm viuus, seruens & continuus spiritus, verè & perfectæ contritionis : quem paulatim magna cù suauitate consequuntur, qui quotidie læpius huiusmodi actus exercent : sicut contra multorum, qui magnos in spiritu progressus fecisse videbantur, nonnunquam post multos annos virtuosæ vitæ, tandem miserabiliter redeunt ad vomitum; & irreparabiliter cadunt, ea potissimum ex causa, quòd malè securi & negligentes, paulatim sua culpa perdiderint hunc spiritum contritionis, & sancti timoris Domini, & contra consilium Spiritus sancti de peccato condonato voluerint sine omni metu esse. Quare expedientissimum est, multis quotidie vicibus hunc spiritum veræ contritionis per frequentes actus in nobismetipsis innouare.



*Aliquot me dia, quibus citò & facili negotio hac tam laudabilis, & sancta consuetudo per totum orbem introduci possit.*

**P**rimum. Si quisque firmiter apud se statuat, bis minimum in die, vt dictum est, hunc vsum frequentare, imponendo sibi certam pœnitentiam, quoties ab eo defecerit; & patres ac matres, familias hoc ipsum doceant suos liberos, famulos & omnes domesticos.

Secundum. Si procuraretur, vt Domini temporales, & Prælati maximè Ecclesiastici mandent Magistris Scholarum, vt discipulos suos, secundum vniuscuiusque capacitatem, hunc salutarem vsum edoceant, & ijs qui legere & scribere addiscunt, formulam actus contritionis frequenter legendam & describendam proponant, vt sic procedente ætate semper menti inhæreat.

Tertium. Si Parochi, Concionatores, & Confessarij, hoc ipsum pro concione, & in confessionibus auditoribus & pœnitentibus inculcent, & confessarij etiam aliquando pœnitentibus formulam actus contritionis per aliquot septimanas manè & vesperi recitandam, pœnitentiæ loco imponant, vt sic eam paulatim memoriæ mandent, & huic sanctæ consuetudini initium dent.

Quartum. Si Domini vasallorum, & Episcopi eurent chartulas actus contritionis, vti item examinis conscientie, suo sumptu

magno numero imprimi, & gratis suis subditis per idoneas personas, præuia conuenienti declaratione, & commendatione rei tanti momenti, distribui.

Quintum. Si superiores communitatū, vt generales & Capitanei triremium, nauium, militum, hospitalium, carcerum, &c. efficiant, vt quotidie mane, & vesperi, sub pulsu Salutationis Angelicæ, omnes iunctim alta voce iuxta formulam præscriptam, hunc actum exercent.

Sextum. Si Religiosi & Clerici, quoties moribundis assistunt, tum illos ipsos serio in hoc actu exercent, tum etiam data formula, circumstantes exhortentur, vt dum adhuc sani sunt, tam salutari, & necessario vsui assuescant.

Multa præterea alia media pro varietate personarum, & occasionum hominibus zelosis honoris Dei, & boni animarum sese offerent, quibus hoc ipsum institutum in Christianitate promoueri possit.



LIBER TERTIVS.

DE SACROSANCTO MISSÆ  
SACRIFICIO,

Et Exercitijs sub eodem.

CAPVT I.

Multiplex vtilitas Sacros: Sacrificij  
huius.

*Quàm merito quotidie Sacerdotes celebrent.*

**Q**Vam Sacerdotibus vel quotidie, vel sæpè certè Missam celebrare conueniat, sequens B. Bonauenturæ sententia demonstrat. (*Tract: de prepar: ad Missam*) Sic enim ille Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, priuat Sanctam Trinitatem laude & gloria. Angelos letitia, peccatores Venia, iustos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Spirituali Christi beneficio, seipsum medicina & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates. Sic ille.

*Quam merito pij omnes quotidie Missa Sacrificio intersint.*

**C**Hristus Dominus in vltima cœna sacrificium Missæ Ecclesiæ suæ instituit, vt fideles munus aliquod haberent, quod Deo Patri offerre & dare pro varijs beneficijs ac donis

possent. Quia enim varia quotidie dona à Patre cœlesti accipimus, & ex nobis nihil nisi peccata rependimus, placuit Christo, nobis hoc sui corporis sacrificium relinquere, quod in gratiarum actionem pro donis, atque in satisfactionem pro peccatis Deo redderemus. Qua ex re faciliè colligere licet, quanta sit Missæ sacrificij utilitas, quo nimirum impetratur & applicatur quicquid nobis passione, sanguine & morte sua Christus acquisiuit. Atque ut ex multis pauca referantur.

1. Missæ sacrificio non solùm aguntur, sed etiam referuntur gratiæ Deo pro beneficijs ab ipsius bonitate acceptis. Cùm ergo quotidie innumera bona ab eo habeamus, æquum est, ut quotidie gratias, pro donis illius diei, quas possumus maximas referamus. Si enim is, qui pauperi in eleemosynam dat exiguam stipem, ingratitude & rusticitatem eius accusaret quia quantam posset gratiam non haberet: ita merito ingratitude apud Deum accersitur, qui hoc genus gratiarum illi quotidie, cùm potest, non refert, quod Deo maximè placere nouit.

2. Remittuntur venialia peccata, quibus quotidie Deus offenditur.

3. Impetratur gratia, ad mortalia peccata cum dolore confitenda, & in posterum vitanda. Si ergo infinitis venialibus peccatis quotidie animam nostram aspergimus, in multaque pericula singulis momentis incidimus, mortalibus peccatis Deum offendendi; opti-

mè no-



mē nobis contulemus, si sacro Missæ officio quotidie aduersus pericula omnia nos muniamus, & à peccatis purgemus.

4. Datur gratia rectè viuendi, confertur auxilium viuīs omnibus atque defunctis. Quia sacrificium est efficacissima oratio, propter Christum instar mortui præsentem, ad quæuis tum nobis tum alijs impetranda.

5. Solet Dominus etiam in temporalibus rebus illi magis fauere, quem videt ante omnia spiritualium rerum & diuinī honoris curam gerere. Non enim facilè patitur Deus, vt is temporalium rerum damna sustineat, qui ipsius honoris est in primis studiosus.

6. Sicut parenti gratum est, si summo manè ante omnia à filio visatur & salutetur: ita mirificè placet Christo, vt quotidie in sacro Missæ officio eum videas, salutes, adores.

7. Sicut in vetere lege (Num: 21) aspectus serpentis ænei sanitatem adferebat vulneratis, & in nouo testamento (Act: 5.) vmbra Petri curabat ægrotos: ita dubium non est, quin Christi corpus, dum in Missæ sacrificio quotidie deuotè conspicitur, magnam vim ad sanandam animam habeat.

8. In sacro Missæ officio, non solum offertur Deo Patri à Sacerdote, & à præsentibus cum Sacerdote Christi Domini corpus & sanguis, in verum sacrificium pro sua salute; sed quot quot adsunt, dignèque se parant, spiritualiter corpore Domini reficiuntur per os Sacerdotis. Tanta enim virtus est istius sacrificij, vt

quicumque præsentem intentionem suam cum Sacerdotis intentione coniungunt, & sacrificij esse participes cupiunt, simul cum Sacerdote de sacrificio manducant, cibi que spirituales fructum percipiunt, non secus ac membra corporis, ad quæ per os cibus transmittitur. Acquum est enim, ut qui Dominicæ mensæ in spiritu cum Sacerdote ministrat, in spiritu etiam cum sacerdote pascatur. Sicut namque conueniens non esset, ut is qui mensæ Regis ministrasset, famelicus sine omni cibo dimitteretur: ita non est existimandum, sine spiritali refectione relinqui eum, qui Missæ sacrificio adest, ut par est. Quinpotius, sicut in sumptuoso conuiuio, nemo ex familia fame laborat: ita in mensa hac Christi, ubi paratur cœna magna, nemo est præsentiu, qui nõ aliquid accipiat, dum modò os cordis ministrati, & porrigenti manui Christi non claudat. Et sicut in cella vinaria nouis uinis repleta, solus àè odore infectus inebriat: ita in loco, ubi sacrificium offertur, tanta est gratiæ copia, ut non solum ex eo dæmones pellat (ad quod D. Augustinus Lib: 22. de Ciuit: Dei, Cap: 8. aliquando in domo vexata à malo spiritu, sacrificium offerri iussit) sed etiam præsentem cõsolatione perfundat, ut meritò cum Dauide Psal: 83. clament: *Altaria tua Domine Virtutum, Rex meus & Deus meus.* Atque ideò semper pij libenter quotidiano sacrificio adesse solent: sicut de matre sua refert D. Augustin: Lib: 19. Confess: cap: 13. & Clerici  
ad hoc

ad hoc præcepto Concilij primi Toletani tenentur. Canon. 5.

## C A P V T II.

### EXPLICATIO MYSTERIORVM

*Sacrificij Missæ.*

#### QVID SIT MISSA?

**M**issæ Sacrificium, est repræsentatio sacrificij, à Christo Iesu in cruce peracti: in qua idem Christus (qui solus scriptum obtulit in ara crucis, per veram sanguinis effusionem & mortem) hic per Sacerdotem, tanquam ministrum, seipsum offert Deo Patri, sine sanguinis effusione, & vera morte, sed per vtriusque repræsentationem. Ideoq; sacerdos personam gerit Christi patientis, & tota Missæ actio similitudinē habet cum Christi passione.

### DE SACRIS VESTIBVS

*Sacerdotalibus.*

**S**ex sunt, quibus Sacerdos in Sacrificio induitur: *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula*: quæ duplicem habent significationem, alteram ad Christi personam, alteram ad conditionem Sacerdotis.

Quod ad Christi personam attinet, *Amictus*, qui caput tegit, significat velamen, faciei Domini impositum. *Alba*, vestem illam, qua ab Herode spretus, & illusus exijt. *Cingulum, Manipulus, & Stola*, varia vincula, qui-

bus Christum ligarunt diuersi Iudæi, & gentiles, Pontifices, & prophani, partim in horto, partim ad columnam, partim in varijs itineribus. Sinistra manus gestat *Manipulum*, quia ex intima dilectione cordis (quod in sinistra parte est hominis) Christus ista omnia pertulit. *Casula*, significat purpureum indumentum datum Christo in domo Pilati. *Tonsura*, tametsi non sit vestis, significat tamen Christi spineam coronam.

Ad mores verò Sacerdotis hæc referuntur, vt Sacerdos intelligat qualem se debeat exhibere, in tanti Sacrificij administratione. *Amictus*, quo caput velat, significat cogitationem rerum cælestium, æternæque salutis, qua protectus, de nulla re externa cogitet. Ideoque illum imponens sibi dicit; *Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos Diabólicos incursus*: omnes scilicet tentationes, & importunas cogitationes.

*Alba*, significat internam iustitiam, & externum operû candorem, quo sacerdos totus debet esse contactus. Latitudo, & longitudo, significat bonorum operum copiã. *Cingulum*, quod Albam eleuat, est castitas, & puritas in omni sacerdotis actione, vt nihil carnale, sensuale, aut quouis modo impurum sese immisceat. *Manipulus*, in brachio sinistro, est pœnitentia, quæ non timore seruili, sed vero amore filiali est peragenda. *Stola*, significat magnum desiderium coniunctionis cum Deo: quam coniunctionem per peccatum primorum



rum parentum amissimus. Ac proinde crux Stola formatur in pectore, vt si necdum per gloriam Christo coniungi possumus, saltem nunquam ex corde nostro recedat passionis eius memoria. *Casula*, significat perfectam obedientiam, quæ consistit in charitate Dei, & proximi. Hæc virtus, quia est nobilissima, sed difficillima, idcirco ex nobilissimo panno casula conficitur, intexta cruce, quam cum Christo gestemus. *Tonsura*, duo significat: Primò, vt sacerdos res istas perituras pro nihilo ducat, ijsque non adhæreat: sed Dominum habens pro patre, seu portione suæ hæreditatis, coelestia sola desideret. Secundò, vt tanquam Regem sese agnoscens, passionibus omnibus suis dominetur.

DE IPSA MISSÆ ACTIONE.

**M**issæ cæremoniæ multa significant; nos tamen contenti erimus hac breui explanatione, qua omnes ad Dominicam passionem referuntur.

Sacerdos ante pedes Altaris demissa inclinatione peccata sua confitens, repræsentat Christum in horto ( assumptis totius humani generis peccatis, vt pro ijs satisfaceret ) Deum Patrem orantem.

Quæ ad dextrum Altaris cornu aguntur (vbi Prophetiæ legi solent) significant ea, quæ in domibus Iudæorum, nempe Pontificum, Annæ, & Caiphæ perpeffus est Dominus. Locus Euangelij ad Aquilonem, vnde venit o-

inne malum, refert prætorium Pilati Gentilis, aliorumq; Ethnicorum conatus, à quibus passus est Christus. Nam Lucifer, seu Diabolus, qui volebat ad Aquilonem transferre sedem suam, & esse similis altissimo, præcipuè ab Ethnicis colebatur.

Hostia sacra, dum eleuatur, significat Christum in cruce sublatum: sicut calix cum Dominico sanguine, sanguinem, qui de cruce ex vulneribus dimanauit.

Crux, sæpiùs super hostiam, vel ante, vel post consecrationem, formata, varios, & occultos dolores Christi tam in arbore crucis, quàm in ipsa crucis gestatione ac crucifixione.

Oratio Dominica, quæ septem petitionibus constat, septem verba, quæ ad nostram salutem in cruce locutus est Dominus.

Fractio hostiæ in duas partes, separatio nem animæ à corpore: quæ anima ad inferos descendit, sicut pars vna in patenam deponitur. Atque vt ab altera, quæ adhuc digitis super calicem tenetur, particula vna exigua tollitur, quæ in calicem iniicitur: ita post mortem est Domino latus apertum, vnde ex intimo corde sanguis ad reliquum sanguinem in terram defluxit. Deponitur verò pars altera in patenam, quia Christi corpus de cruce depositum est.

Et quia per Domini mortem, data est illi omnis potestas in cælo, & in terra, & pax inter Deum, & homines composita: hinc est, quòd sacerdos, qui toto Canone huc vsq; agit

cum

cum Deo Patre, statim post hostiæ fractionē alloquitur Christum, pacem ab eo petens toti Ecclesiæ, quam nobis sua passione commeruit.

Sumptio Sacramenti, significat sepulturam. Nos enim, qui terra sumus, gestare in nobis debemus Dominicum corpus, vt illud postea per mutatos nostros mores in nobis resurgat, dum aliam vitam, viuendique rationem, in omnibus viribus corporis & animi, assumimus.

Liber ad dextrum cornu rursus deferitur: quia mortuo Domino, nec dum quiescerunt Iudæi, sed partim petiis custodibus sepulchri à Pilato, ijsque corruptis, partim Christianorum persecutione, Christi gloriam obscureare conati sunt.

In fine sacerdos redit ad Aquilonem, Euangelij lectione ibi finem impositurus Missæ officio: quia relictis Iudæis translata est prædicatio, gratiæque Euangelij ad Gentes.

### CAPVT III.

#### *MODVS AVDIENDI SACRIFICIUM MISSÆ.*

**T**otum Missæ officium in tres partes diuiditur, in Præparationem, Oblationem, & Communionem. Præinde qui Sacrificio adest, hæc tria præstabit.

Primo cum sacerdote, aut sacerdotis ministro,

nistro, deuotè pronuntiabit confessionem, accipietque generalem absolutionem. Ea enim dimittuntur peccata leuia, si animus ad deuotionem excitetur. Deinde *qui latinè intelligit, intentus sit ijs, quæ à sacerdote alta voce leguntur, & fructum sibi ex auditu Verbi Diuini decerpas, qui Verò minus capax est eorum, quæ à sacerdote leguntur,* aliquarum piarum precum, vel Rosarij B. Virginis lectione, aut si malit, pia de Christi vita meditatione; sese parabit, mentemque colliget, idque vsque ad finem Euangelij seu Offertorium.

Secundò, ab eo loco vsq; ad *Agnus Dei*, offeret hoc sacrificium Deo Patri cum sacerdote; primò quidem aliquid cogitans de Christi passione, crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quæ in hoc sacrificio repræsentantur. Nam Christus, licet totus sit sub vtralibet specie viuus, & verus Deus, & homo; tamen specie panis candidi, & insensibilis videtur habere formam mortui, & sanguis in calice sub specie vini, quasi effusus consideratur. Deinde verò offeret Christum passum, & mortuum pro se, omnibusque, pro quibus orare tenetur. Rogabit autem Deum Patrem, vt hanc filij sui mortem & passionem suscipere dignetur, in satisfactionem omnium peccatorum suorum: atq; propter illam, dare illi gratiam rectè viuendi, in studijs, virtutibusque proficiendi: & omnia sua prosperare ad Diuini nominis gloriam, suamque salutem. Deinde parentibus, consanguineis, præceptoribus, alijsque



alijſque ſibi commendatis, impetrabit eadem, ſingulorumque neceſſitates exponet. Memor quoque erit fidelium defunctorum, patriæ ſuæ totiuſque Eccleſiæ Dei.

Tertio ab agnus Dei, uſque ad vltimas orationes ſacri, præparabit ſe ad ſpiritualem communionem. Primò Deum rogans, vt plena remiſſione peccatorum, dignetur cubiculum cordis à ſordibus purgare: deinde petens, vt idem cubiculum velit auleis, atque tapetibus variarum virtutum ornare; tertio, quanta fieri poteſt humilitate, orans, vt per os ſacerdotis (cui celebranti intentione coniunctus eſt) in animam eius tranſeat, cum viſiter, iuuet, vitia deleat, infirma corroboret, & ab eo nunquam recedat.

*POSSUNT VERO OMNIA, QUÆ præſtanda ſunt ab ijs, qui cum fructu ſſ. Miſſæ Sacrificio adeſſe cupiunt, commodiſſimè, & breuiſſimè ad hæc tria capita reduci.*

I. Ab initio Miſſæ ad Eleuationem uſque, exercenda eſt Fides: vitam innocentiſſimam Chriſti Saluatoris, & ſacroſanctam ipſius immolationem memoria repetendo.

II. Poſt eleuationem, exercenda eſt Spes, per orationem petendo, vt nos ſibi coniungere per amorem, & imitationem crucis dignetur, vt faciat nos ſacrificij ſui participes.

III. Exercetur Charitas in fine Miſſæ, ſummas agendo gratias, pro tantis gratis & cha-

ritate

ritate nobis exhibita. Et hoc ordine sublequentes orationes sunt dispositæ.

## CAPVT IV.

### ORATIONES TEMPORE SACReri fundenda.

#### *Oratio ante Sacrum.*

**R**edemptor humani generis, Christe Iesu, tot, tantisque à te sumus aucti promeritis, tantisque post assumptam carnem beneficijs cumulati; vt prorsus de tuo erga nos amore, addubitare non possim. Hoc attestatur, tuæ vitæ, ac mortis, religiosissima, & cum omni æternitate adæquanda memoria. Hoc prædicant ista quæ tu extare volebas in humanum genus, monumenta Diuini amoris sempiterna. Passus es, Saluator clementissime, mortem ignominiosissimam, vitam propter me duxisti contemptissimam, nec vllis liberalitatis finibus, hæc tanta beneuolentia arceri potuit: sed vtilitatem tuam, abiectionem, ignominiam, omnibus omnium seculorum mortalibus notam esse, atque testatam voluisti. Immo verò, vt tuo beneficio, homo gratus & pius, in maximi beneficij memoria, esse possit, acerbissimam tuam mortem, & luctuosissimi funeris exequias quotidie de integro præcipis celebrari. Concede obsecro mihi tuam gratiam, ne ociosus sanctissimæ Oblationis tuæ  
alsi-

alsissimam: sed vt meritam tibi Deo immorrali gratiam, iustis honoribus persoluam. Concute terrenas animæ meæ cogitationes, & cõtere duritiem cordis mei, tantorum commemoratione beneficiorum.

*DVM SACERDOS FACIT*

*Confessionem.*

**S**ANCTISSIME, & PISSIME IESU, splendor ipse æternæ gloriæ, non indigneris, quæso, mihi seruo tuo, quod te aduentantem, puro, sancto, & immaculato non accipiam hospitio: sed ecce, in ipso ad tanta myſteria ingressu, inuito ad labes animæ purgandas: paralyticum, quem suum scelus, de sanitate, ac mente deturbauit, offero pristinae saluti restituendum: animam meam, misera ægritudine afflictam, ostendo.

Pudet me, Domine, deformitatis, inopiæ, & vilitatis meæ, & hoc cui conquerar, mi Iesu, nisi tibi ipsi, qui misericordissimus es medicus animarum. Ignosce mihi, omnium concupiscentiarum maculis notatissimo. Agnosco & confiteor, castissimam vitam à te mihi donatam, omni dedecore esse inquinatam. Quapropter obsecro, vt quicquid vanitas cogitationum, verborum leuitas, ac operum prauitas, maculis aspersit: tu precioso tuo sanguine eluere, ac tuo supplicio expiare digneris.

Da mihi omnia merita omnes virtutes, omnes iustitias, omnem denique decorem vitæ,

palsio-

passionis, ac mortis tuæ. Largire mihi quoque omnia pro merita ac virtutes Beatissimæ Virginis Mariæ, omnium Sanctorum tuorum & præcipuè quorum hodie festiuitas in Regno tuo celebratur.

*IN PRIMA MISSÆ PARTE AB  
Introitu ad Offertorium, vitam Christi (qua  
varijs caremonijs à Sacerdote represen-  
tatur) hac recites.*

*Oratione.*

**A** Mantissime humani generis Saluator, Christe Iesu, mundi creator, ac redemptor: vtinam ita mihi pietas esset in referendis gratiis iucunda, sicut tibi mea salus chara fuit, cum miserabilis nostræ, tum damnationis, tum calamitatis, misericordia captus, de regalibus sedibus, de mellifluo corde Patris, intra regionis miseræ fines descendisti, & hanc à natura communem lucem accepisti.

O Iesu amantissime, quantopere nos ab initio dilexisti. Procreasti nos, & hoc spiritu vitali donasti: & cum prorsus ab omni tutore orbati, nullius fidem implorare potuissemus, salutem hominum in tua esse tutela voluisti. Ac ne finis aut exitus aliquis tuæ erga nos beneuolentiæ reperiretur, maximis vinculis propinquitatis, & affinitatis, hominibus coniungi, & hominum agnatione, ac gente teneri es dignatus: adeoque pauper effectus es nostræ que miseræ ita gustasti amaritudinem, vt

ipio



iplo natiuitatis tuæ tempore, nec tantillum rei haberes hæreditariæ, vbi puerilia tua mēbra, hospicio accipi possint.

Vix dum in lucem susceptus eras, & adhuc inter castissima Matris tuæ brachia iacebas, necdum cuiquam verbū dixeras: cum crudelēs homines vitā, quā a Parente sanctissima acceperas, adimere quærebāt. Et cum triginta ferè aņos sub Matris obediētia latēs, in hominū ignoratione versatus fuisses, in profluente Iordanis aqua ablutus, atq; in sūma illa famis & solitudinis patientia, ab hoste es laceffitus.

Iesu dulcissime, hoc modo nostram es redemptionem exorsus: ita salutem nostram es operatus; his pænis atq; ærumnis infantiam tuam consecrasti: his calamitatibus vitam expoluisti, & vsque ad consumptionem tui ipsius, in laboribus, & aduersitatibus: in vigilijs & lachrymis: in orationibus & prædicationibus, in fame, & siti, in frigore & æstu, in itineribus: & persequutionibus, temetipsum pro nobis affixisti. Hæ fuerunt, amantissime Iesu, diuitiæ illæ: hæ merces, quibus viles nos homunciones comparasti: tanti nos faciens, vt amore nostri, vitam tuam non modò in pœnas & opprobria, sed in extremum etiam discrimen vltro offerres.

Adoro igitur te, Saluator noster: benedico te, & grātiās ago tibi, pro innocentia tua singulari, pro vita tua, & viuendi integritate sanctissima, pro doctrina saluberrima, pro peregrinatione laboriosissima pro discipulorum vocatione,

catione, pro beneficiorum erogatione, atque pro inestimabili dilectione.

Et per hæc omnia, ardentissimam charitatem tuam obsecro, vt me vilissimum, perfidia peccatorum à te distractum, in tuam gratiam reduces, & me innocentia ac misericordia tua, à libidinum impetu, & scelerum labe vindicare non desinas; seruum perpetuò fidelem me tibi efficias, regas tuque solus me, amantissime, secundum tuum beneplacitum, perpetuò possideas, Amen.

*AB OFFERTORIO AD ELEVATIONEM, considera Christum appropinquantem, & satisfaciat pro peccatis nostris, & nos reconciliet Deo Patri, & mereatur nobis omnia bona presentia, & futura: & prorumpere in hac aut similia Verba.*

**V**Erè pius, verè misericors es, Iesu clementissime. Quis enim hoc attentasset nisi tu offerri voluisses? Nam cum nihil pretiosius, nihil amabilius, & charius te ipso habuissemus: quis in te, pro peccatis & sceleribus nostris, animaduertere præsumpsisset? Sola nostræ calamitatis misericordia te cepit: sola charitas te induxit, vt cum propter paupertatem, & miseriam nostram, soluendo non essemus, & ab omni prorsus auxilio destitueremur: ipse precium factus, debitum nostræ preuaricationis sanguine tuo pretiosissimo perfolueres: nostram salutem, quam vitam tuam, chariorem duceres.

Quid

Quid enim tu vnquam commisisti? Quod scelus tuum? Quę noxa tua? Quę causa mortis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuę culpa occisionis. O mirabilis dignatio. Peccat iniquus, & punitur iustus: offendit impius, & damnatur pius. Quid Rex meus, & Deus meus: quid retribuam tibi pro omnibus, quę tribuisti mihi? Ecce quicquid optimum, charissimum, preciosissimum habemus, nimirum teipsum, tibi iterum atque iterum offerre volumus. Veni ergo, & de altissimo glorię tuę solio descende. Ecce proferimus tibi Deo rerum omnium Creatori, & Saluatori, primitias ex tuis creaturis, & donis, panem & vinũ aqua mixtum, in carnem & sanguinem tuum mox consecranda.

Digneris, summe Deus, hanc oblationem, placatus pro cuncto populo tuo, quem acqui-  
siuisti sanguine tuo, accipere. Et quoniam, benignissime Iesu, quanta nos beneuolentia complectaris antequã vinculis & verberibus, atque omni supplicio exeruciatus necareris, satis declarasti (cũ inter varia laudis & honoris præconia, quibus te a fello insidentem, plebs cum ramis arborum occurrens, excepit, vrbs imò magis animarum exitium & perniciem deslens, vim lachrymarum profudisti) Oro obsecroque, hanc tuam charitatem, tuasque lachrymas obtestans: da mihi, pari lætitia, te Christum in sacramento præsentem excipere: & ita ad complectendum te Seruatorem procedere per sancta desideria: sicut  
plebs

plebs illa deuota, in die Palmarum tibi obuiam prodijt.

Da etiam, nos ipsos, nostraq; omnia, pro tanto beneficio aspernari & contemnere: sicut illi vestimenta ante conspectum tuum sternerentes, abiecerunt in via, da deuotè dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt caeli, & terra gloria tua, Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini.

POST PRAEFATIONEM

*Oratio.*

**S**Vmme Sacerdos, & verè Pontifex, IESV Christe, tibi humani generis redemptori pro salute inprimis mea, supplico vt quoniam me ab initio in tua fide, & potestate posuisti, nullam partem, neque animi, neque corporis vacuam tua tutela relinquant, & omnem infestissimum hostium impetum à me propulses. Oro etiam, Domine, pro vniuersa sancta Ecclesia Catholica, pro omnibus Christianorù, Rectoribus, pro Episcopo praesertim, & Rege nostro, pro Religiosis, atque secularibus, cunctisque in te credentibus, qui tuo amori suum studium consecrarunt.

Præsta Domine, Rex æterne, tibi Deo dicitis continentiam, virginibus castitatem, coniugatis sanctimoniam, poenitentibus indulgentiam, viduis & orphanis tutelam, pauperibus auxilium, peregrinantibus reditum, ludentibus consolationem: optimis vt in bonitate

tem.



semper consistant, bonis & mediocribus, vt meliores fiant, prauè agentibus & delinquentibus, vt citò se ad meliorem frugè recipiant.

Obtestor te, Saluator dulcissime, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi ab omni æternitate placuerunt: per te Iesum, qui agnum Paschalem agnus ipse, iam iam pro nobis immolandus, cum discipulis comedisti: corpus tuum & sanguinem sub specie panis & vini sumenda eisdem tradidisti: id ipsumq; à nobis in tuæ dilectionis, nostræ redemptionis memoriam fieri præcipiens instituisti.

Oro te, bone Iesu, ignosce omnibus iniquitatibus meis, & quicquid negligentie, quicquid delicti, circa hoc tremendum Eucharistiæ Sacramentum admisi, id deleas charitate, qua te nobis donasti. Accende cor meum, flagrantissimo huius diuinissimi Sacramenti amore, & desiderio.

*AD ELEVATIONEM CORPORIS  
& Sanguinis Domini nostri Iesu Christi,  
S. Thomæ Oratio.*

**A** Doro te supplex, latens Deitas:  
Quæ sub his figuris verè latitas.  
Tibi se cor meum totum subijcit:  
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur:  
 Sed auditurolo in te creditur.  
 Credo, quicquid dixit Dei Filius:  
 Verbo veritatis nihil verius.  
 In cruce latebat sola Deitas:  
 Sed hic latet simul & humanitas.  
 Ambo tamen credens, atque confitens:  
 Peto: quod petiuit latro pœnitens.  
 Plagas sicut Thomas, non intueor:  
 Deum tamen meum te confiteor.  
 Fac me tibi semper magis credere:  
 In te spem habere, te diligere,  
 O memoriale mortis Domini:  
 Panis verus, vitam præstans homini.  
 Præsta meæ menti de te viuere:  
 Teque illi semper dulces sapere.  
 Pie Pelicane, Iesu Domine:  
 Me immundum munda tuo sanguine.  
 Cuius vna stilla, saluum facere  
 Totum mundum potest omni scelere.  
 IESV, quem velatum nunc aspicio:  
 Quando fiet istud, quod iam sitio?  
 Vt te reuelata cernens facie:  
 Visu sum beatus tuæ gloriæ? Amen.

ORATIO, QVA REPRÆSENTAT  
 homo Patris Passionem Filij, post Ele-  
 uationem.

*Ex meditationibus Diui Augustini.*

A Spice pie Pater, pijsimum filium pro me  
 tam impia passum. Respice clementissime

Rex

Rex, quis patitur: & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem ut seruam redimeres filium tradidisti. Nunquid non author vitæ hic est: qui ut ovis ad occisionem ductus, tibi que vsque ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire: Recole, totius salutis dispensator, quia hic est ille, quæ et si ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam: crucis ascendit patibulum, & in assumpta carne, triste tulit supplicium.

Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extensum. Cerne manus innoxias, pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inermis latus, crudeli perfossus cuspide: & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris infixæ clauis: & perface gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amoue à me, & fac me propitius, viam veritatis eligere.

Oro te, Rex sanctorum, per hunc sanctum sanctorum, per hunc Redemptorē mei, fac me currere viam mandatorum tuorum: ut ei valeam spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, ado-

lescentis filij charissimi caput, niuea ceruice  
 deflexa, preciosissimā resolutum in mortem.  
 Aspice mitissime conditor, dilectæ sobolis hu-  
 manitatem, & miserere super infirmi plasma-  
 tis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet  
 cruentum latus, tensa arent viscera, decora  
 languent lumina, Regia pallent ora, proce-  
 ra rigent brachia, crura pendent marmorea,  
 rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda.  
 Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis la-  
 cera membra, & memorare benignus, quæ in  
 ea est substantia. Conspicere Dei hominis  
 poenam, & relaxa conditi hominis miseriam.  
 Vide redemptoris supplicium: & redempti  
 dimitte delictum.

Hic est, Domine mi, quem propter peccata  
 populi tui percussisti: licet ipse sit dilectus, in  
 quo tibi bene complacuisse. Hic est ille inno-  
 cens, in quo dolus non est inuentus, & tamen  
 inter iniquos deputatus est. Te igitur oro, pa-  
 tere per hunc filium tuum exorari. Mement-  
 to etiam quæso, Pater sanctissime, omnium  
 credentium, qui Christianè, & piè lucis hanc  
 vsuram reddiderunt. Memento NN ne in iu-  
 dicio cum eis contendas, nec à sinistris eos  
 statuas, sed eos tecum in sempiternam re-  
 quietem suscipias, vbi te SS: Trinitatem  
 cum omnibus electis videant,

& celebrent. *Pater N.*

*A. M. Agnus Dei  
 qui tol. Gc.*



*INFRA COMMUNIONEM PRO  
consequendis Eucharistia fructibus.*

**O** Sacrum, & excellens conuiuium, in quo Christus sumitur. Christi corpus olim infantiae vagitibus afflictum, iuuentutis sudoribus vexatum, ieiunijs maceratum, itineribus fessum, affectum flagris, cum mortuis deputatum, denique in dextra Patris omnipotentis collocatum proponitur. O Iesu, & Christe benedicte, sis in æternum benedictus: qui in eminentissimo gloriæ tuæ solio, atque in Sacerdotis manibus, idem vis contineri, & meæ animæ cibus fieri non dedignaris.

Obsecro Domine, vt quam olim in naturæ communis fragilitate, ab hostibus teterrimis in crucem sublatum, salutem acquisuisti, hodie per hunc sacratissimum cibum animæ, redditam æ restitutam, accipere possimus. Medere, & Iesu, quotidianis conscientie meæ vulneribus. Noli, & benignissime Samaritane, seruum tuum misera ægritudine afflictum debilitatumque, in præteritis relinquere. Ecce ego ille idem, quem olim incolumitate donasti, nondum prorsus propter frequentes cum latronibus conflictus, ægrimonia leuatus: nec vnquam pristinæ restituatur sanitati, nisi prius tuo sanguine expiatus fuero. Rôgo, vt in communi nostro dolore, pietati, ac indulgentiæ tuæ seruias. Concede, ad meam hodie seruire salutem, & Patris tui placationem, quod pro omnium redemptione dignatus es impendere.

Amor qui te traxit è cœlo vt perditum Adam redimeres : ipse te commoueat , vt me eiusdem peccati socium , per hoc sacrosanctum Sacrificium à perpetua scelerum seruitute liberet. Resice vires meas , satia me , & exple hoc pane vitæ viuo , & vero , extingue in me omnem famem carnalium , & secularium desideriorum.

Redemptor mei , expelle à me spiritum superbix , & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Saluator mei , da mihi solidam fidem , spem congruam , charitatem continuam Rector mei , auerte à me , vanitatem , mentis inconstantiam , oris obscenitatem , oculorum elationem , ventris intemperantiam , opprobria proximorum , scelera detractionum , inanis gloriæ appetitum. Reseca in me , factor mei , temeritatem iniquam , pertinaciam , inquietudinem , somnolentiam , mentis stuporem , linguæ effrenationem.

Deus meus , misericordia mea , oro te , da mihi misericordiæ opera , pietatis studia : da mihi bonos imitari , malos cauere : virtutes amplecti , vitia extirpare. Da quod iubes , Domine , & iube , quod vis. Dilata os animæ meæ , vt te panem Angelorum , panem celestem capere possit : vt possim adolescere in virum perfectum , & occurrere in ætatem plenitudinis tuæ : ac post hanc vitam , pleno & dilatato ore , desiderabilissimæ Diuinitatis tuæ suauitate perfrui merear.

## POST COMMUNIONEM.

*Psalm, 102.*

**B**enedic anima mea Domino: & omnia que  
intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obli-  
uisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tu-  
is: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui  
coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: reno-  
uabitur vt aquilæ iuuentus mea.

Gloria Patri & Filio. &c.

*Ad finem Sacri.*

**D**omine Iesu Christe, qui ascendens in cœ-  
lum, omnium animos auocasti ad cœle-  
stia, & nobis maximam spem illa consequen-  
di dedisti: ecce & nunc viua hostia missus es,  
& oblatus pro nobis Patri Cogita quæso de  
nobis, & benedic animis nostris: vt non ad  
captandam vitæ huius vanissimam iucundi-  
tatem, sed ad regni perennis beatitudinem  
consequendam eamus, & ad cœlestia deside-  
randa, & quærenda, corpore reuertamur ad  
nostra, mente verò tibi vni omnium condito-  
ri consociati, nunquam à te diuelli nos, ac di-  
strahi patiamur. Denique præsta, vt cum vi-  
uis & defunctis, extremo iudicij die, in illa bo-  
norum multitudine, læti sub aspectum tuum  
venire possimus. Qui viuis & regnas Deus, p  
omnia secula seculorum, Amen.

LIBER QVARTVS.  
DE METHODO RITE CONFITENDI ac Pœnitendi, *Sic utriq; emendandi.*

CAPVT I.

QVID SIT PœNITENTIAE SACRAMENTUM, *quanta eius necessitas, quæ partes.*

Pœnitentia est Sacramentum a Christo institutum, in quo, ministerio Sacerdotum, remittuntur peccata actualia, & solvuntur omnia vincula ad culpam pertinentia quibus hominis conscientia, quodammodo fuit ligata; remittitur quoque pœna æterna, & pars pœnæ temporalis, vel etiam tota secundum dispositionem pœnitentis. Vnde colligi potest, quanta sit huius Sacramenti necessitas; quippe quod, vt Concilium Tridentinum decreuit, non minus necessarium est ad salutem eorum, qui post baptismum in peccatum mortale inciderunt, quàm sit necessarius baptismus ad salutem eorum, qui nondum sunt regenerati. Quocirca etsi pœnitentiæ radices primo adspectu videantur duræ, & amaræ, tamen propter maxima, quæ ex ea homo habet præsidia, fructus eius sunt dulcissimi, & suauissimi. Vt propterea merito debeat omnis Christianus, cui sua salus cordi est, quã primùm animaduertit se aliquod peccatum graue, &

mor.



mortale incurrisse, sine mora accedere ad hunc diuinæ misericordiæ fontem. Nam eū quatuor mala sint & damna, quæ animæ inferantur à peccato mortali, ijs singulariter occurrit, & medetur sola pœnitentia.

Primum malum est: Quotiescunq; homo est in peccato mortali, & denuò idem committit, illud etsi easdem circumstantias habeat, priore tamen efficitur grauius, & cōsequenter tertium est grauius secundo, & quartum tertio, & sic deinceps. Causa huius rei est, quòd quò Deus plus temporis concedit peccatori ad conuersionem, hòc magis creciscit eius ingratitudo, diuino beneficio abutentis, & quotidie Deum nouis peccatis offendentis.

Secundum malum est: quod dum homo vnum peccatum commisit, viam parat ad facile committendum alterum: nam vt dicit B. Gregorius: tanta est peccati grauitas, vt si non corrigatur subito, suo pondere hominem trahat ad committendum aliud, & hoc ad tertium, & sic deinceps.

Tertium est: quod homo existens in peccato mortali, iacturam facit, omnium bonorum operum suorum: nihil enim profunt ad promerendam vitam æternam. Quare nec eleemosynæ, nec orationes, nec ieiunia, nec Indulgentiæ, nec Martyrium ipsum pro Christo susceptum illi profunt, si eum peccatorum suorum non pœnitet, profunt verò tantum ad obtinenda bona temporalia, & pro dispositione ad pœnitentiam impetranda.

Quartum malum est, quod peccatum magis, magisque paulatim Diuinæ misericordiæ portam occludat; vt tandem vix spem relinquat veniæ à Deo obtinendæ. Quod enim refugium superesse potest homini in peccatis perseueranti, nisi paululum spei quod forte Deus eius miserebitur? Iam, quo diutius persistit in peccato, eò magis discedit à misericordia Diuina, & propius accedit ad diuinam iustitiam, prouocando magis magisque Dei iram, vt vindictam sumat de peccatis.

Denique sicut videmus in rebus externis euenire, quò diutius macula aliqua panno inhæret, hoc difficilius postea tollitur: similiter quò homo rarius peccat & purgat capillos, hoc magis implicatur, & sordibus replentur: sic quo anima longius differt se expurgare per confessionem, eò difficilius postea se expurgat, & ob multitudinem peccatorum magis intricat, tantaque anxietate obruitur, vt ne à docto quidem Confessario extricari possit. Ac, quod amplius est, gignit ac nutrit in se vermem Conscientiæ, quem etsi in hac vita non sentit, tamen in hora mortis crudeliter mordentem sentiet, & multò amplius in futuro seculo; vbi vermis iste nunquam moritur; nec ignis, qui cum combusturus est extinguitur.

*Penitentia partes.*

**N**ihil videtur explicandum hic exactius de partibus Pœnitentiæ, quæ tres sunt, Contritio,

tritio, Confessio, & Satisfactio, planè necessariz ad perfectionem huius Sacramenti. tam necessarij ad salutem. Palsim enim extant & teruntur vtiliter Christianorum manibus libri, qui de his copiosè tractant.

Hoc tantum in præsentia, quod ad veram Contritionem pertineat, vt peccator doleat, & detestetur peccatum commissum, quatenus est offensa Dei super omnia amati, coniungatq; cum hoc dolore, & detestatione firmum propositum mutandi vitam, & in futurum nunquam peccandi. Sicut enim Deus, qui est summum bonum, debet amari super omnia; sic peccatum, in quo Deum offendimus, quia est summum malum, debet odio haberi super omnia.

Ad Confessionem verò, vt sit valida, pertinet primò, vt sit integra; hoc est, vt omnia mortalia secundum speciem, & numerum Sacerdoti manifestentur; secundò, vt fidelis, id est, vera & sincera: tertio, vt diligens, hoc est, vt eam præcedat accurata conscientiz discussio: quartò, vt obediens; vt scilicet pœnitens habeat propositum faciendi, quicquid ei Confessarius iniunxerit.

Ad Satisfactionem deniq; spectat; vt Deo pro peccatis admissis homo satisfaciat: quod nisi fecerit integrè in hoc mundo, necessariò illi faciendum erit in Purgatorio, cuius pœnz, sui magnitudine (teste B. Augustino) excedunt omnia tormenta, quæ sancti Martyres passi sunt in hac vita. Omnes autem Satisfa-

ctiones reducuntur ad tria genera: Ad Ieiunium, aliaq; asperitates corporis; ad Eleemosynam; & Orationem. Atque hæc generatim, & breuiter.

## CAPVT II.

### EXCITAMENTA AD DILIGENTEM & FREQUENTEM PECCATORUM CONFESSIIONEM.

*Frequentis Confessionis Utilitates eximia.*

**Q**Vanta Sacramenti huius frequentatio cōmoda animis adferat, quisq; in seipso plus experiri potest, quàm sermo possit explicare, Aliquot tamen utilitates recensēbimus.

1. Qui sæpè confitetur, magis securus est, propter recentem memoriam, se integram & legitimam facturum Confessionem.

2. Magis redditur cautus in euitandis peccatis, & faciliùs resurgit; si verò aliquando labitur, fortius pugnat, & tentationi resistit.

3. Qui sæpè confitetur, magna luce illustratur, non modò ad cognoscenda peccata, sed radices etiam ipsorum, quæ sunt malæ inclinationes, & affectiones.

4. Maiorē vi Sacramenti consequitur gratiam, & quo plus crescit in gratia, eò magis se disponit ad accipiendam maiorem gratiam in confessionibus sequentibus.

5. Non solum assequitur remissionem peccatorum, sed etiam magna ex parte, impetrat  
rela-



relaxationem poenarum ipsis debitarum, tum propter poenam doloris, & pudoris, qui est in sui accusatione, tum propter ipsius Sacramenti gratiam.

6. Frequentatio huius Sacramenti, magnum lumen, & adiumentum adfert ijs, qui deliberant de eligendo vitæ statu, in quo facilius seruari possint.

7. Qui sæpè confitetur, nec sæpè, nec graui-ter solet tentari à Dæmone. Frequenti enim sui apertione, potestas, & virtus proditoris diaboli concidit.

8. Cùm hora mortis incerta sit, & frequen-tes ac subiti illius casus, qui sæpè confitetur, semper quasi ad eam paratus est.

9. Frequentatio Confessionis, generat ma-gnam securitatem conscientia, magnam suæ salutis certitudinem, ac propterea gaudium in animo magnum, & quietem, consolatio-nemque in morte admirabilem.

*Utilitates Confessionis generalis, & quæ ad  
eam bene instituendam sint adiu-  
menta.*

**E**Xpedit vehementer, vnica semel Confes- sione, omnia totius vitæ crimina coram Sacerdote exponere. Utilitates capit homo ex hac re varias; Primum, si quid alias (quod in prima ætate plerumque accidit) vel ignorantia, vel negligentia, Confessionis defuit, id hac ratione supplebitur. Deinde renouatur, & au- getur dolor, cùm omnia simul peccata cer-

nuntur, quo dolore coniuncto cum Christi meritis, pœna temporaria, quæ culpis etiam per Confessionem expiatis, reliqua erat, aut omninò tollitur, aut multis partibus minuitur. Accedit, quod hac ratione, excitetur ab integro in nobis amor Dei; cum sub vno aspectu tantam videmus peccatorum vim, quibus Diuina bonitas, cum grauissimè læsa esset, tamen tanti temporis patientia malitiam nostram pertulit. Denique sic decreto facto de vitæ commutatione, initium capitur recens, tantò melius in posterum collocandi temporis, quanto peius superiori ætate nos collocasse intelligimus.

1. Adiumenta autem ad Generalem Confessionem, cum fructu, consolatione, & facilitate instituendam sunt: vt imprimis cum tuo Confessario de ea conferas, ac iudicium, & mentem inquiras; qui, te benè cognito, facillè iudicare & suggerere poterit, num è salute tua sit, eam vt instituas. Aliquibus enim generalis confessio permittenda nō est, sed prohibenda. 2. Ad eam confessionem compares te oportet vna ad minimum, altera uè hebdomada; vt quotidie nimirum, aliquid temporis vel matutini, vel vespertini huic peccatorum omnium discussione tribuas; breui aliqua oratione, aut meditatione excitans te ad contritionem, & dolorem peccatorum tuorum. 3. Vt facillè memoria repetere possis antea actæ vitæ errata, debes expendere domos singulas, in quibus vel in pueritia, vel in adole-

adolescētia, vel ætate maiore habitasti, soci-  
os, quibuscum agere vel domi, vel foris soli-  
tus fuisti; quæ loca subinde cum illis adieris,  
quæ feceris, dixeris, &c. Item quæ studia tra-  
ctaueris, quæ negotia obieris, quibus occu-  
pationibus deditus fueris,

4. Operæ precium est in schedam referas, ea  
quæ expēta, & obseruata fuerint ( ne exci-  
dant memoria ) & pridie quam instituenda sit  
generalis Confessio, non sine doloris sensu se-  
mel atq; iterum legas; vt ea coram Sacerdote  
citra chartam ( si polys ) explices. Poteris e-  
nim sic maiori deuotione, contritioneq; illa  
confiteri. 5. Non abs re fuerit, si toto eo tem-  
pore, quo te ad eam confessionem comparas;  
operibus aliquibus charitatis, misericordiæ in  
pauperes, pœnitentiæ & animaduersionis in  
teipsum, solito diligentius, feruentiusq; diui-  
nam implores misericordiam, quo te libentius  
& promptius in suam grâtiā recipiat, ac ma-  
ioribus donis & charismatis donet.

Instituta autem generali Confessione, dan-  
da erit tibi in primis opera, vt iam initium des  
consuetudini nunquam deinceps intermitten-  
dæ, quotidie minimum, semel, in tuam de-  
scendendi conscientiam, vesperi præsertim;  
curesq; ne semel exclusis peccatis; reditus pa-  
teat. Præterea ijs adiumentis vteris, & reme-  
dijs ad vitæ emendationem, quæ quidem cap:  
10. adferentur.

Est autem nonnullis pia admodum, & vti-  
lissima consuetudo, quotannis semel pecca-  
torum

torum omnium annuam Confessionem faciendi, tum ob causas iam dictas, tum vt inspiciant, quos illo anno in virtutibus progressus fecerint; quo certè facto non obscure declarant, quantæ ipsis curæ sit, propriæ animæ salus ac perfectio, Sicut enim bonus Paterfamilias quotannis semel rationes omnium datorum, atq; acceptorum colligit, vt statum norit rerum suarum; ita Christianus, qui ad negotiandum virtutes est constitutus, præclare agit, si quolibet anno videat, quantam ad virtutes accelsionem fecerit, quæ vitia deposuerit, quas imperfectiones reliquerit; & quantum fieri potest, hunc annum cum præcedenti conferens, si aliquid spiritualis lucri obseruat, Deo gratias referat; si verò detrimentum negligentia suæ sit passus, ex animo doleat, stimuloque sibi ad fortius currendum addat.

*Argumenta popularia ad commendandam  
frequentem Confessionem per simi-  
litudines.*

**Q**ui confessionem peccatorum suorum disdiffert, exponit se magno periculo, grauissimæ poenæ post mortem sufferendæ, si subito (quod fieri subinde solet) eum mori contingeret. Qui autem sæpè confitetur, ab eo periculo est liber. Sicut ergo, si Rex cui multi ciues multa deberent, ingressus ciuitatem, omnibus offerret debitorum remissionem, qui ad eum accederent chirographum petaturi, quamdiu in ea ciuitate ageret; post discessum  
tamen



tamen nulla sperata condonatione, sed ad ultimum usque denarium cogenda, solutione; nemo esset, qui non statim ad impetrandum gratis chirographum accederet, maxime quando incertum esse intelligeret tempus discessus Regis, & is magis festinaret, qui gratuito debito premeretur: Ita peccator in hac vita imprudenter & stultè agit, si non accurrat ad Christum per pœnitentiæ Sacramentum, ut dimissionis Chirographum accipiat, iuxta Prophetam: Quærite Dominum dum inveniri potest, inuocate eum dum propè est. Et quia quotidie noua debita contrahimus, sæpè etiam petendum est nouum solutionis chirographum, quàm diu nobiscum est Dominus.

2. Qui rarò confitetur, significat se parui facere Deum, cuius iram non metuit; & plùtis facere hominem, quem non patitur sibi esse infernum. Is enim apertè declarat, se illum, quem quotidie offendit, & de quo placando rarò aut nunquam cogitat, nihili ducere.

3. Homo quotidie, aut sæpiùs in hebdomada, verrit cubiculum suum, ne locus sit immundus, in quo ipse versatur. Atqui anima nostra est templum Spiritus sancti, proinde frequenter purganda, in tanti hospitis reuerentiam.

4. Ingratum esset parenti, si filius vestem maximi precij atque laboris defœdaret, & non continuo leuissimos etiam puluisculos duceret. Atqui anima nostra est res nobilissima a precioso Christi sanguine lota. Vnde non im-

merito displicet illi, quod tam socordes in ea conseruanda simus, & non statim, atque peccatum irrepperit, per confessionem illud tollamus.

5. Sicut cubiculum, quod multis quotidie patet, si raro verratur, multis magnisq; sordibus impletur, quæ semel atque iterum verrendo non statim omnes tolluntur; ita conscientia quotidie peccans, & raro per confessionem se purgans, vna confessione vix bene purgari potest; quia per eam tantum maiora eijciuntur, minorum autem nulla aut exigua habetur ratio. Fieri enim non potest, vt eorum omnium recordemur, quæ tanto ab hinc tempore commissa sunt.

6. Crebra confessione facilius venit homo in notitiam sui ipsius. Sicut enim pavimentum raro versum, puluere respersum minus videtur: ita peccator, qui pluribus peccatis est subditus, minorem sui notitiam habet.

7. Sicut in panno mundo facilius conspicitur macula etiam leuis: ita in conscientia per crebram confessionem mundata, & candida, facillimè percipiuntur leuissima peccata; quæque alij nihili ducunt, illi merito magni faciunt, qui conscientia sunt puriore. Ac proinde frequenter est confitendum, vt maior habeatur notitia peccatorum.

8. Nunquam in sacramento pœnitentiæ sine gratia peccatum dimittitur. Quo ergo sæpius hoc Sacramentum frequentatur, eò plus gratiæ colligitur: sicut pauper, qui sæpius elemo-

eleemosynam petit, maiorem stipem cogit.

9. Sicut qui graui onere, quod humeris sustinebat, leuatus est, expeditus, & lætus incedit: ita per crebram confessionem, qua à peccatis liberamur, datur conscientia serenitas, pax cordis, læticia animi, promptiq; reddimur ad currendum in via mandatorum Dei.

10. Sicut parens, qui videt filium hoc vnicè cauere, ne cum offendat, non potest non illi charitatem & fauorem exhibere: ita qui totus est in eo, ne quid in conscientia sit aut hæreat, quod oculis diuinæ Maiestatis displiceat, potest sibi magna fiducia à Deo quiduis polliceri.

11. Sicut araneus vitat cubicula diuitum, quæ sæpè purgantur, quod in eis suæ telæ detergantur, & ipsi periculum immineat, ne pedibus conteratur: Ita Diabolus, dum videt tentationes suas frequenti confessione dissipari, & caput suum calcari, fugit eos qui crebra confessione conscientias purgant.

12. Sicut infirmo aut valetudinario utilis est frequens præsentia Medici, qui præscribat, quibus vtendum sit, & à quibus abstinendum: ita qui frequenter exponit in confessione conscientiam suam Sacerdoti, accipit salutaria consilia, quibus se in actionibus suis iuuet, & quotidiana vitia deponat.

13. Sicut, qui illota facie aut manibus prandium cum aliquo sumit, aut cum alijs versatur, abominationi aut tædio est illis, quibus scū agit: ita qui illota conscientia, & impura ani-

ma incedit, ingratus est Deo, eiuiusque cœlestibus.

14: Sicut coma, quæ non frequenter pectitur, vermes nutrit in capite, & vsque adeo implicatur, vt difficulter explicari possit: ita anima raro per confessionem purgata, multis sordibus repletur, & vermem conscientia nutrit; qui tametsi in hac vita subinde non sentiat, vehementissimè tamen punget in hora mortis, & in futuro seculo, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguatur. Ac præterea, eiusmodi conscientia frequenter tot peccatis & tricus est implicata, vt & hominem ipsum vehementer anxium reddat, & sæpè ab ipsis etiam doctis viris, vix extricari aut componi possit.

15. Sicut indusia, mappæ mensarum, aliæque eiusmodi, quæ sunt in vsu quotidiano, frequenter mutantur atque lauantur, & nisi purgarentur, foetore & sordibus dissoluerentur: ita anima, qua Christus quotidie ad sua ministeria vti desiderat, frequenter est ablucenda. Nisi enim purgetur, multitudine sordium & peccatorum, in æternam perditionem dissoluetur.





## CAPVT III.

IMPEDIMENTA CONFESSI-  
onis.

*Quatuor qua abducere solent pecc. s. sacram. à: on-  
fessionis Sacramento, & contra ea  
remedia.*

1. Pudor & verecundia admissorum peccatorum. Huic contra opponere oportet Dei scientiam, ea omnia cognoscentis (Confessarius enim illius locum tenet) & futuram in die iudicij eorum omnium, nisi per Confessionem deleantur, notitiam & confusionem.

2. Timor & horror pœnitentiæ: Contra quem ob oculos constituere oportet, Christi, martyrumque cruciatus, & gehennæ tormenta & supplicia.

3. Metus incurrendæ alicuius infamiæ eorum confessione, & temporalis damni, si quid restituendum iubeatur. Contra hunc obijcere oportet æternam ignominiam, & bonorum æternorum exitium, ruinamque certissimam.

4. Diffidentia & desperatio alicuius peccati vitandi, & contrariæ virtutis adipiscendæ, vt castitatis, &c. Contra hanc diffidentiam timoremque nocturnum, opponenda est deliberatio alacris non amplius peccandi; gratia item quæ ad id præstandum in Sacramento confertur, subsidia orationesque cōfessarij, Angeli custodis, patronique sui tutela & præfidiū.

*Certi casus quibus Confessio fit invalida ac nulla, ideoq; iteranda.*

1. Quando siue verecundia, siue malitia o-mittitur mortale aliquod peccatum.
2. Quando inter confitendum mendacium dicitur in materia peccati mortalis, & quando constat & scitur esse mortale.
3. Quando obliuioni traditur peccatum mortale, eò quod defuerit diligentia necessaria ad sui præparationem.
4. Quando deest propositum & voluntas relinquendi peccati mortalis, vel occasionis, certæ aut valdæ probabilis illius incurrendi.
5. Quando quis vinculo Excommunicati-onis hæret implicitus, neq; ante eius procuratur absolutio.
6. Quando pœnitens momenti alicuius res habens, deligit sibi Confessarium ignorantem, ac malè peritum, versatumq; in casibus conscientie.

## CAPVT IV.

*De præparatione ad salutarem Confessionem necessaria.*

Quæ ad rectè confitendum pertinent, quædam ante confessionem, quædam in confessione, quædam post confessionem adhiberi diligenter debent.

*Ante Confessionem hæc obseruanda sunt.*

**I**mplorandum Diuinum auxilium, ad tria  
obtinenda, ad cognitionem, ad memoriam,  
& ad veram contritionem peccatorum.

Quod ad cognitionem peccatorum attinet  
notandum est, duplex esse peccatum. Mortale,  
& Veniale. Est autem Mortale peccatum,  
mors animæ spiritualis. Sicut enim per mortem,  
separatur anima à corpore: ita per peccatum  
mortale, separatur ab anima gratia Dei  
qua viuificabatur. Quod tunc fit, quando  
quis transgreditur præceptum aliquod Diuinum,  
aut Ecclesiasticum: nisi excusetur aut  
ignorantia iusta, aut paruitate materiæ, vt in  
furto rei minimæ: aut defectu plenæ deliberationis,  
vt in subrepentibus prauis cogitationibus  
absque plena aduertentia; aut denique  
defectu pleni iudicij, vt sunt ea, quæ fiunt  
semidormientibus,

Peccatum verò Veniale, non infert quidem  
mortem animæ, nec gratiam Dei ab ea  
separat: tamen veluti quædam infirmitas, facit  
eam ad spirituales progressum imbecilliorum,  
& charitatis feruorem in illa restinguit.  
Cuiusmodi sunt ociosa verba, iocosa,  
vel officiosa mendacia, immoderatio cibum,  
vel potus, surreptiones malarum cogitationum,  
in quibus reijciendis fuit aliqua, non tamen  
gravis, & crassa negligentia.

Quamuis autem peccatum Veniale, nulla  
de causa, nec propter totius mundi salutem

committi debeat, & consultissimum sit, ac saluberrimum, etiam eius generis peccata confiteri: tamen cum & alijs modis eorum condonatio obtineatur, non necessario cadunt in Confessionem, nec si non aperiuntur, eam reddunt inutilem. At peccata mortalia, omnia necessario aperire debent, & alia etiam, de quibus dubitatur, an lethalia sint.

Iam ad Memoriam quod spectat: ea iuuetur per examen conscientiae, peccata commissa, ad memoriam reuocando, percurso gradatim tempore transacto, ab ultima Confessione.

In Examine autem, in primis considerari debet, an Confessiones praecedentes, legitime fuerint, quales reuera non essent, si id eis defuisset propositum emendandi vitam, atque ab omni peccato mortali abstinendi: aut si quis aliquod mortale peccatum sciens, & volens, celasset. Vnde qui aliquo ex his duobus modis confessus est, Sacrilegium commisit, & Confessio est iteranda, atque de integro repetenda. Nemo enim vnquam vulnus vulnere nouo curat: nec remissionem criminum nouo sacrilegij scelere deprecatur. *Simulata confessio* (ait Bern: in lib de interiori domo, cap: 37.) non est Confessio sed duplex confusio, excludit enim miserationem Dei, miseria simulatio: nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis praesumptio. Sunt multi (ait D. Augustinus super Psal: 50.) quos peccare non pudet, agere penitentiam pudet. O incredibilis insania? De vulnere ipso



*non erubescis: de ligatura vulneris erubescis? Non-  
ne nudum fetidus. Et putidus est?*

Deinde ad examen ipsum veniendum: in quo per præcepta Decalogi ordine discurras, oportet. Ad quod examen maximè valent quatuor cōsiderare: Loca, in quibus habitauimus: Personas, cum quibus conuersati sumus: Officia, seu negotia, quibus functi sumus: Vitia, ad quæ quisque experitur se magis esse propensum.

Notandum verò, quòd in hoc conscientie examine, non solum species peccatorum reuocari in memoriã debent: verbi gratia, An furatus sit, an fornicatus, &c. verum etiam numerus singulorum peccatorum mortalium, & eorum, de quibus dubitatur, an mortalia sint. Numerus, inquam, certus, si certus haberi potest: si verò certus nescitur, inquiratur saltem verisimilis, plus minus. Quòd si nec hic haberi possit, videatur, quanta fuerit consuetudo, hoc est, quàm diuturna, & quàm frequens. nempe quot hebdomadarum, vel mensium, vel annorum, & quoties, plus minus, in septimana, vel in mense, committere solitus fuerit peccatum illud: Ad extremum denique finis est considerandus, quo quis peccauit: qua, scilicet, intentione, quid fecerit.

ORATIO ANTE EXAMEN

*Conscientie.*

**E**Go, ò æternæ parens, misericordiarum Pater, & Deus totius consolationis, actio  
num

num mearum pondera examinaturus vehementer exhorreo, & contremisco. Nam si quid vel studio occultauero, vel per obliuionem, vel ignorantiam omisero ignorare non potes. Ita enim tibi perspecta est vite mee conditio, vt nullus actus, nulla cogitatio effugere acutissimam aciem tuam possit. Tu enim Deus cum sis, circumueniri, aut astutia aliqua fallente deludi nulla ratione potes: claustra penetras, abstrusa reseras, corda rimaris. Quare à te humiliter postulo, Vt omnia peccata, quibus me turpissimè obstrinxi, possim per gratiam tuam recordari, & eorum indignitatem deplorare. Concede mihi Spiritum tuum sanctum, qui reficet mihi memoriam eorum, quæ ex animo effluerunt: & si à iudicijs tuis discessero, ipse cogitationes mentis dirigat, & acerbissimum animi sensum, doloremque, qui peccata mea possit eluere, augeat. Eia ergo anima mea, intra secretum mentis tuæ cubiculum: præter Deum, & te, cætera omnia exclude. Excute torporem, discute conscientiam: nouerisque te in conspectu illius consistere, qui nihil impunè abire sinit.

*De examine Conscientia pro ijs qui frequenter consentunt.*

**Q**ui student puritati, & ad perfectiorem viuendi rationem, quam vulgus hominum passim inire solet, aspirant: non solum de peccatis mortalibus (à quibus per gratiam Dei ferè abstinent) sed etiam de venialibus euitandis,

dis, & affectionibus reformatandis, & demum de imperfectionibus, quoad eius fieri possit, minuendis, sint solliciti, & teneram ac delicatam conscientiam, (non tamen scrupulosam, & anxiam) habeant oportet, vt vel minimos defectus obseruent, & in seipsis persequantur. Qui autem in quotidiano examine vespertino distinctè, breuiter & simul quæ sunt eiusdè rationis peccata scripto notaret: quæ cogitatione, locutione, opere & omissione, contra Deum, proximos, & seipsum admissa deprehenderet, nõ magnopere noua egerit discussione, cum est accedendum ad confessionem; sed quod notauit; in memoriam redigat. Qui non id annotauisset, cum se colligit, & ad confessionem parat, hoc infrascriptum examen percurrat, & notet memoria, vel scripto, quod ad se pertinere iudicabit, nisi Confessorio aliud videretur, quod propter nimiam & inutilem alicuius in ea parte sollicitudinem possit merito accidere. Illi etiam qui quotidie notant suos defectus, singulis mensibus vtiliter videntur huiusmodi examen lecturi, vt si quid minus diligenter obseruabant, in memoriam sibi redigant.

*BREVE EXAMEN AD CONSCIENTIAM DISCUTIENDAM ACCOMMODATUM: & primo de peccatis commissis erga Deum.*

**D**E Oratione debita vocali & Missa dicta, vel audita, an attentè & deuotè se habue-

rit, nec ne; & an quid omiserit, aut repetierit quod non oportebat.

An orationi mentali, meditationi, & examinationi conscientie vacauerit vt oportet.

An ex verbo Dei audito, vel lecto, fructum capere studuerit.

De defectibus in confessione, & communionem, & in specie de negligentia in se discutendo, in contritione, in proposito & cura emendationis.

An in credendis, & in sentiendo, & loquendo de Deo, & sanctis, se habuerit vt oportet.

An curiosus in his quæ sunt fidei perscrutandis, vel disputandis; & an supersticiosus fuerit; aut Deum miracula non necessaria expectando tentauerit.

An sine necessitate, reuerentia, veritate, & iustitia iurauerit? vel iuramentum aut aliquid votum implere omiserit:

De memoria, gratitudine, & gratiarum actione, pro beneficijs à Deo acceptis.

De memoria præsentie Dei; & de directione vitæ, & omnium suarum actionum, ad eius honorem & beneplacitum.

De desiderio gloriæ, & dolore offensarum Dei in se, & proximis.

De timore & reuerentia Dei: & an aliquis timore omiserit, quæ Deo grata fore iudicabat.

An in festis peculiari modo cultui Dei vacauerit, & in Ecclesijs, vel in rebus sacris, an reuerenter se habuerit.



An spem, vt oportet, constituerit in Deo, non alibi: & an petendo auxilium ad res & actiones suas eam exercuerit.

*Erga proximos,*

An charitatis affectu compassus sit malis, & concupierit bona suis proximis, & an oratione pro eis, & opere (cùm se obtulit occasio) in his quæ ad animam, corpus, & famam pertinent, id ostenderit, nec ne.

An eorum iniurias condonauerit, & infirmitatem tolerauerit, an fuerit gratus in benefactores, an contra.

De non præstuto consilio, vel admonitione, cùm iuuare potuit, vel malè dato; aut etiam doctrina mala.

De adulatione, approbando quod non debuit.

An impatientia, verbo, aut gestu, aut aliter ostensa, vel quouis malo exemplo contra edificationem aliorum quid fecerit.

An quenquam à meliori bono reuocauerit, vel ei causa peccati dissolutionis vel imperfectionis fuerit.

An facilè de alijs suspicetur malè, & temerè iudicet.

De detractioe, attingendo defectus aliorum, sine vtilitate & moderatione qua oportet, præsertim cum intentione non bona, vel sine veritate aliquid mali nominis alicui conflando.

De irrisione & exprobratione defectuum.

De inuidia, non gaudento de auctoritate doctrina, aut bonis alterius.

De affectibus humanis circa bella, principes, consanguineos, patriam, vel certum aliquem locum, aut personam, non secundum charitatis & Spiritus Dei ordinem moderatis.

De malè conseruatis rebus temporalibus, hospicij, vel damno eis illato.

Circa obedientiam parentum, præceptorum, aliorumque superiorum, an promptè & sine murmurationibus, quod præceptum est, exequutus sit.

An de persona, & rebus superiorum, vt oportuit, senserit: & an quid dixerit, quod eorum auctoritatem, vel subditorum erga eos beneuolentiam imminuerit.

De interiori & exteriori reuerentia erga superiores: & an eis contradixerit, aut molestus fuerit.

An celauerit, ea, quæ non oportuit, quòd attinet ad se, vel alios.

*Erga seipsum.*

**C**irca castitatem: An cogitatione, affectu, intuitu, verbo, aut vltèrius progrediendo peccauerit.

An in quantitate cibi aut potus, aut desiderio sensuali aliorum, quàm quæ apponuntur aut modo indecenti peccauerit: & sic de aliorum sensuum parum honesta libertate.

Circa

Circa superbiam: An reprehensus culpam agnouerit, an excusauerit.

An singularis videri voluerit in re aliqua, & alijs se prætulerit, vel eos contempserit.

An magni se faciat, & fieri velit in bonis a nimæ, corporis vel externis, & libenter de rebus suis loquatur, & amplifcet quæ ad laudem faciunt, & demum vanè gloriatur.

An sibi nimis confidendo, exposuerit se periculo peccandi.

De ambitione: An alijs præesse voluerit, vel auctoritate antecellere: & an sibi aliquid vsurpauerit in loco, & alijs ad honorem vel imperium pertinentibus.

De pertinacia, de mendacio, de locutione nimia, vel inconsiderata, de risu, & defectibus modestiæ.

De motibus iræ, vel impatientiæ.

De debilitate animi in rebus aduersis, pusillanimitate in arduis, & fastidio bonorum operum.

De somnolentia, & negligentia, in medijs profectus spiritualis in studijs, vel alijs in rebus, ad quas obligatur, & in tentationibus excutiendis.

De tarditate in bonis operibus suscipiendis: de inconstantia in prosequendis, & consummandis.

An inspirationibus Dei responderit, & ad instituti sui perfectionem, totiusq; amoris pro prii abnegationem aspirauerit: Tempus otiosis colloquijs, vel vicumque inutiliter trāe-

rit, vel an contra plus satis laborauerit.

Si quod officium alicui proprium est, vel quis defectus, familiaris, eò applicet examen.

Non opus est autem in his, quæ dicta sunt nudas tentationes (nisi fortè consilij gratia) confiteri, præsertim superatas, nec admodum importunas. Secus, si quis immoratus, vel delectatus, & multo magis, si ad vltiora progressus sit.

*EXAMEN SECVNDVM, EXACTI-  
us pro confessione generali facienda, & vel certè  
longioris temporis.*

**N**Ota circa sequens examen, in eo illa potissimum attingi peccata, quæ communia esse possunt omni hominum statui, de particularibus officijs, nihil agi. Vnde qui præterea certo officij genere fungeretur, puta in Ecclesiasticis, Episcopi, Abbatis, Parochi, & in civilibus, Domini, Iudicis, Aduocati, Ducis militiæ, &c. is circa ea præterea se examinare debet, quæ officij talis propria sunt, vt plenam peccatorum suorum notitiam assequatur.

*Circa 1. Præceptum Decalogi, quod est, Colere  
Deum super omnia.*

*Circa Fidem.*

**A**N crediderit omnia, quæ sancta Romana Ecclesia credit, vel certè habuerit opinionem in aliqua re fidei Romanæ contrariam.

An verbis, vel signis externis infidelitatem  
aliquam,



aliquam, vel hæresim prodiderit, vel probauerit.

An fuerit nimium curiosus in inuestigandis rebus fidei, & an de aliquo fidei articulo dubitauerit;

An apud se habuerit vel legerit libros hæreticorum, aliosve libros, ab Ecclesia prohibitos.

An sciuerit orationes, aliaq; necessaria, que quisque Christianus scire tenetur; vt sunt mandata Dei, Dominica oratio, Credo, & mysteria principalia fidei;

An vsus sit aliquo genere superstitionum, incantationū, & diuinationū per se, vel alios;

An schedulas superstitionas apud se habuerit, ad sanitatem, aliamuè rem obtinendam, & an alios induxerit ad earum vsus;

An fidem habuerit somnijs vel augurijs accipiendo illa pro regula actionum suarum;

*Circa Spem.*

An nimium præsumendo de diuina misericordia, commiserit aliquod peccatum, vel in malo perseuerauerit, differendo emendationem.

An in rebus aduersis fiduciam potius in creaturis, & in auxilio huius mundi, quam in Deo collocarit;

An diffidendo misericordie diuinæ desperauerit de emendatione vitæ, vel remissione peccatorum obtinenda;

*Circa Caritatem.*

An murmurauerit contra Deum, conquerendo, quasi non esset iustus, vel reprehendendo eius providentiam?

An per timorem, aliumve respectum humanum cogitauerit offendere Deum, aut non facere quod pro suo officio, & Dei seruitio facere tenebatur?

An auersionem cum quodam horrore à Deo habuerit, & rebus diuinis ad salutem suam pertinentibus?

An maledixerit, vel blasphemauerit Deum, aut sanctos, aliasque creaturas?

*Est autem blasphemia dicere contra Deum, vel sanctos aliquid contumeliose, ut quando quis Deo, vel Sanctis maledicit, vel asserit Deum esse iniustum, vel non curare humana; aut cum quis indignatus Sanctorum membra contumeliose nominat. Possunt autem haec, solo corde committi. Proximum porro etiam blasphemia videtur, aliquid cum Deo comparare, ut dicere, hoc tam verum est quam Deus &c.*

An exposuerit se periculo peccandi mortaliter, vel an complacuerit sibi in peccato olim commisso?

An persecutus sit, & calumniatus homines pios, detrahendo bonis eorum operibus, & impediendo, ne illa facerent, & sigillatim an impediuerit aliquem, ne ingrederetur religionem?

## CIRCA 2. PRÆCEPTVM.

*Non assumes Nomen Dei tui in Vanum.*

**A**N iurauerit falsum, sciens esse, vel certè dubitans esse mendacium, siue ioco factu sit, siue de re leui?

An iurauerit promittendo rem licitam, quam postea non obseruauerit, aut intentionem habuerit non seruandi cum iuraret?

An causam dederit alicui, vt falsum iuraret, vel non obseruaret iuramentum licitum?

An iurauit adiuncta maledictione: verbi gratia: Auferat me Diabolus, tale malum mihi eueniat, si non fecero, &c.

An iurauerit se malum aliquod, vel peccatum commissurum, aut nihil boni facturum.

An iurauerit minando alicui, sine intentione exequendi iuramentum.

An in iudicio iurauerit falsum, vel iuridicè interrogatus non responderit conformiter intentioni iudicis, vel consilium dederit alijs id faciendi? Quo casu non solum peccat mortaliter: verum etiam obligatur ad restitutionem, si inde secutum est aliquod damnum proximi.

An habuerit consuetudinem sæpè iurandi, non curando, aut non considerando, num verè an falsò iuraret?

*Nota autem ad iuramentorum cognitionem, non esse iurare, si quis dicat, certissimè, in veritate, &c. Iurare enim est Deum in testam eius, quod dicitur, &c. care, id quod fit duobus modis, v. ex-*

*preſe, & quando quis per Deum ſurat, 2. t. i. c. i. e, & cum ſurat quis per ſanctos, per crucem, per animam ſuam, ſel per aliam creaturam, quatenus in ea relucet diuina bonitas.*

An fecerit votum faciendi aliquod bonum, & non curarit exequi, vel executionem diſtulerit in longum tempus;

An vouerit aliquid cum intentione non adimplendi votum;

An vouerit ſe nihil boni acturum, aut aliquid mali acturum, aut bonum quidem acturum, ſed propter malum finem;

*CIRCA 3. P R A E C E P T V M.*

*Memento & diem Sabbathi ſanctifices.*

**A**N dies feſtos violauerit, faciendo vel mandando alijs opera prohibita ab Eccleſia, vel conſentiendo illis qui faciunt;

An neglexerit audire Miſſam integram, diebus feſtis, quæ ſunt in præcepto, ſine cauſa legitima, vel cauſam alijs dederit eam negligendi;

An per notabile temporis ſpatium in Miſſa fuerit voluntariè diſtractus, loquendo, ridendo, vel occupando ſe in rebus inanibus;

An curarit ſubditos ſuæ curæ ſubiectos diebus feſtis intereſſe ſacrificio miſſæ;

An confeſſus ſit minimum ſemel in anno, aut non curarit, vt idem facerent mnes ſuæ curæ ſubiecti;

An confeſſus ſit ſine antegreſſo examine conſcientiæ, vel ſine propoſito deferendi ali-

quod



quod peccatum, vel ex pudore humano alia re de causa reticuerit aliquod peccatum;

An quouis anno, tempore Paschæ communicarit, eaq; dispositione, qua oportet;

An cum conscientia certa vel dubia peccati mortalis receperit, vel administrarit aliquod Sacramentum Ecclesiæ;

An ieiunarit per Quadragesimam, Vigilias, & Quatuor Tempora; cum sit obligatus; & an ijs diebus vñs sit cibis prohibitis; aut alijs dederit causam idem faciendi;

An propter gulam non curarit transgredi aliquod præceptum; & an intemperantiùs comederit, vel biberit cum notabili damno fanitatis, & an spontè se inebriauerit;

An violauerit Ecclesiam aliquo peccato carnis, vel effusione sanguinis;

An incurrerit aliquam Excommunicationem, vel excommunicatus particeps fuerit alicuius Sacramenti, aut interfuerit officio diuino, aut versatus sit cum excommunicatis;

An contumelia aliqua, vel irreuerentia affecerit imagines, reliquias Sanctorum, aliasuè res sacras;

An obligatus ad recitandum breuiarum, omiserit recitare siue totum, siue partem, & an recitando illud, fuerit voluntariè distractus;

An ex pigritia, vel toedio rerum spiritualium bonum aliquod opus quod facere tenebatur omiserit;

## CIRCA 4. PRÆCEPTVM.

*Honora Patrem & Matrem.*

**A**N paruo honore affecerit patrem & matrem, contemnendo illos, vel offendendo factis vel verbis contumeliosis?

An maledixerit patri vel matri, vel in eorum absentia eos execraus sit, & dedecore affecerit.

An obediuerit parentibus vel superioribus in rebus iustis, vel in rebus, quæ cedere poterant in damnum notabile vel domus, vel animæ propriæ.

An parentibus in necessitate existentibus, cum posset, subuenerit?

An deliberatè optauerit eorum mortem, ad obtinendam hæreditatem.

An executus sit testamenta & vltimas voluntates defunctorum?

An ex nimio parentum amore, paruipenderit offendere Deum?

An non obseruauerit leges iustas, & statuta superiorum.

An detraxerit, vel malum aliquod dixerit de superioribus ecclesiasticis, vel secularibus, aut etiam de religiosis, sacerdotibus, Magistris, Doctoribus.

An non subuenerit, cum posset, pauperibus, maximè in extrema vel graui necessitate, & an durus nimis fuerit, & crudelis erga eos, tractando eos asperè, vel verbis vel factis?

An parentes maledixerint suis filijs?

An edu\*

An educauerint eos, sicut debent, instituen-  
do eos, in orando & doctrina Christiana, re-  
prehendendo quoque illos & castigando, ma-  
ximè in materia peccati, occupando etiam il-  
los honesto exercitio, ne sint otiosi, & vias  
ingrediantur malas.

Quod dicitur de filiis, intelligitur quoque de  
seruis, & alijs domesticis, quorum curam ha-  
bere tenentur: vt nempe, discant necessaria,  
& obseruent mandata Dei, atque Ecclesiæ.

## CIRCA 5. PRÆCEPTVM.

*Non occides.*

**A**N aliquem habuerit odio, cum desiderio  
vindictandi se, & quantopere in eo perse-  
uerauerit.

An optauerit alicui mortem, vel aliud ma-  
lum graue, & damnum corporis famæ, hono-  
ris, bonorum tam temporalium, quam spiri-  
tualium;

An ira commotus fuerit in aliquem, cum  
intentione nocendi illi, vel vindictâ sumendi?

An contendendo cum alijs verberauerit a-  
liquem vel vulnerauerit, vel occiderit, aut  
commiserit alijs, vt facerent, vel quod suo  
nomine ab alijs, erat factum, approbauerit,  
vel ad id dederit auxilium, consilium, aut fa-  
uorem.

An noluerit veniam petere, vel pacem ini-  
re cum ijs quos offendit, vel pro iniuria illata  
non sufficienter satisfecerit.

An noluerit condonare iniuriam ab alijs il-  
latam;

An ex odio omiserit alloqui, vel salutare aliquem; vel sine odio quidem, sed cum proximi scandalo;

An in rebus aduersis, & infortuniis optauerit sibi mortem, aut ex furore & ira seipsum verberauerit, vel maledixerit, vel diabolo tradiderit;

An maledixerit alijs, tam viuis, quam defunctis, & qua intentione.

An seminauerit zizania, excitando discordias, & inimicitias inter alios, & quod malum inde secutum sit;

An ex odio, vel inuidia, immoderata tristitia, affectus fuerit de prosperitate aliorum, tam temporali quam spirituali, & an gauisus fuerit de aliquo malo, vel damno notabili aliorum;

An ex ira, offenderit alios verbis iniuriosis, & contumeliosis;

An alijs sit adulatus, laudando eos in re, quæ erat peccatum?

An malo suo exemplo vel consilio, vel laudando mala, vel detestando bona, causam dederit, vt aliquis bonum opus, quod faciebat, omitteret, vel incitauerit ad committendum aliquod peccatum, aut ad perseverandum in illo; retrahendo eum à poenitentia;

An corroserit eos, qui in sua presentia peccarunt, aut Deum blasphemauerunt.

An omiserit admonere aliquem de peccato probabiliter sciens, sua admonitione emendandum;



An hospitio exceperit extorres, & homicidas, vel consilio fauore, alijſuè modis illis ſubuenerit;

An mali aliquid dixerit de proximo, patefaciendo, aliquem occultum eius defectum cum infamia vel damno illius;

An verberauerit iniurioſè perſonam Eccleſiaſticam, vel religioſam, vt ſit excommunicatus;

*CIRCA 6. & 9. PRÆCEPTVM.*

*Non fornicaberis, & non concupiſces  
uxorem proximi tui.*

**A**N habuerit cogitationes inhoneſtas & immundas, in iſtque hæſerit, & voluntariè fuerit oblectatus?

An animo deliberato deſiderauerit peccare cum aliqua, vel aliquo: quod peccatum eiufdem ſpeciei eſt, cuius eſt opus ipſum?

An animo libidinoſo alpererit fœminas, vel adoleſcentes;

An vſus ſit verbis laſciuis, & inhoneſtis cù intentione peccandi, vel prouocandi alios ad peccatum, & an libenter & cum voluptate adiuuerit huiuſmodi colloquia;

An actu peccauerit cum fœmina, idq; cum virgine, vel coniugata: an cum conſanguineis vel affinibus;

An commiſerit peccatum contra naturam cum aliqua perſona;

An peccauerit cum perſonis Deo conſecratis, vel per ordinem vel per votum, aut an qui

peccat habuerit ordines sacros, vel votum castitatis?

An inhonestè attigerit bestias, vel aliud peccatum cum ijs commiserit.

An in se ipsum peccauerit peccato molliciei, & num eo tempore, cogitarit de aliqua persona cum intentione peccandi cum illa, nam tali casu sunt duo peccata mortalia.

An impudicè attigerit foeminas vel adulescentes, aut permiserit se tangi ab alijs? Et de amplexibus, osculis impudicis.

An animo peccandi miserit nuncia, literas vel munera, aut mediator fuerit in inducendis alijs ad peccandum, vel de malis consilijs, auxilijs.

An adierit, vel transferit locum aliquem cum mala intentione aspiciendi foeminas, & se oblectandi, & de periculis peccandi, quibus se exposuit, de occasionibus peccandi quas non euitauit.

An pollutus fuerit in somno, vel vigilia, an causam aliquam pollutioni dederit, vel postea in ea voluntaria senserit delectationem?

An amore carnali affectus fuerit ad aliquam personam: sequendo eam animo peccandi, & quanto tempore in eo perseverauerit, & num propter ipsum persona illa notata fuerit de aliqua infamia, deq; varijs actibus, & peccatis, quæ accidunt ijs, qui tali modo se amant?

Qui sunt coniugati se examinant in particulari, an mente, cogitando de alijs mulieribus, vel intentione, non habendo pro fine

prolem, sed delectationem carnalem, vel etiam actibus, alijsq; modis extraordinarijs aliquod peccatum commiserint contra vltim, & finem matrimonij?

An legerit libros vel historias impudicas & inhonestas, cum voluptate carnali, vel cum periculo habendi illam?

Deniq; circa omnis generis peccata ista quæ dicimus, in carnalibus benè notanda sunt illa, Pauli 1. Cor: 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neq; molles* (scilicet in pollutionibus voluntariis) *neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt, Et Ephes: 5. Fornicatis autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, si cut decet sanctos: aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hac enim venit ira Dei in filios dissidentie.*

CIRCA 7 & 10. PRÆCEPTVM.

*Non furtum facies: Non concupisces rem proximi tui.*

AN rem alienam sustulerit per fraudem, vel rapinam, explicando quantitatem furti, & in specie, an sustulerit rem sacrã, vel de loco sacro? *Et tenetur ad restitutionem sicut & in ple risque omnibus consequentibus casibus huius præcepti. In quibus Confessarij, aut periti Theologi, iudicio stabit penitens.*

An rem

An rem alienam retineat sine voluntate Domini, & non restituat statim cum possit;

An, cum sit non soluendo suis creditoribus, hi inde damnum aliquod passi sint;

An inuenta re aliqua, eam abstulerit animo retinendi pro se; Idem censendum est de rebus quæ ad manus eius venerunt, si eas non restituat suis dominis, sciendo esse alienas;

An emendo, vel vendendo fraudem fecerit, aut in mercatura, aut in pretio, aut in pondere & mensura;

An emerit ab ijs, qui potestatem vendendi non habent, vt à seruis & filijs familiâs;

An emerit res, quas sciebat vel dubitabat esse furto sublatas, & sciendo, aliquid de huiusmodi rebus contumpserit;

An habuerit voluntatem determinatam accipiendi, si posset, vel retinendi rem alienam, vel etiâ, an habuerit animum deliberatum accipiendi, & congerendi opes, vt dicitur, per fas & nefas.

An commiserit aliquam vsuram, vel fecerit aliquem contractum vsurarium, vel societatem iniustam in mercatura;

An accepta solutione vel salario ad gerendum officium, vel opus peragendum, non benè & fideliter illud gesserit;

An ministros suos vel operarios fraudauerit mercede suo, aut cum damno ipsorum distulerit solutionem;

An litem mouerit contra iustitiam, vel in lite iusta vius sit fraude aliqua, & deceptione  
ad vin-



ad vincendum;

An ludis venitis vsus fit, an per fraudem in ludo aliquid lucratus sit; vel luserit cum ijs, qui non possunt res suas alienare, vt cum filijs familijs, &c?

An defraudauerit gabellas iustas.

An simoniam aliquam commiserit quocunque modo;

An Ecclesiam priuauerit decimis, & alijs quæ ei debebat

An per media illicita, vel malas informationes obtinuerit rem aliquam, quæ nullo iure ei obueniebat, vel an alios impediuerit iniuste, quo minus bonum aliquod lucrum consequerentur?

An auxilium vel consilium dederit, vel alio quocunque modo participauerit cum raptoribus rei alienæ, vel cum posset & deberet, non manifestauit, nec impediuit latrocinium?

*CIRCA 8. PRÆCEPTVM.*

*Non loqueris falsum testimonium.*

**A**N falsum testimonium dederit in iudicio vel extra, vel alios ad illud induxerit?

*Tenetur autem hic quoque, vt & in ijs qua sequuntur, & ad lationem sarna proximi pertinent, si qui lasit ad restitutionem sarna, damnisque quod inde consecutum suis. Quod cum sapè difficillimū sit, saltem prudentis Confessarij, vel Theologi, iudic io stet penitens.*

An mentitus sit cum præiudicio, & damno notabili proximis?

An famæ alicuius detraxerit, vel falsò imponendo aliquod crimen, vel nimium aliorum vitia exaggerando?

An in re graui murmurauerit de vita aliorum, maximè hominum honoratorum, vt sunt Prælati, religiosi, & honestæ fæminæ?

An aures faciliè præbuerit detrahentibus, & murmurantibus de proximo?

An manifestarit alicui peccatum aliorum occultum & graue, vnde secuta est infamia.

An secretum sibi commissum reuelauerit, vel an reuelauerit, quod in secreto vidit vel audiuit?

An aliorum literas aperuerit malo fine.

An temerarium aliquod iudicium habuerit de factis vel dictis proximi, interpretando in deteriore partem, quod poterat accipi in bonam, & condemnando eum in corde suo de peccato mortali?

An animo obligandi se, aliquid alteri promiserit, & postea sine causa legitima promissionem non seruauerit; quod est peccatum mortale, quando res quæ promittitur, est alicuius momenti, aut propter defectū promissionis consequitur aliquod damnum proximi.

*De peccato Superbia.*

An iudicauerit se bona quæ habet, corporis, animi, & fortunæ, non habere à Deo, sed à se, & sua industria; aut siquidem iudicat se habere à Deo, sed tamen præsumit se propriis meritis sine Diuina gratia accepisse non dando per

do per omnia gloriam Deo ?

An vanè existimauerit se habere virtutem quam non habet, vel se esse qui non est, vel plus esse quàm est, contemnendo alios tanquam sibi inferiores ?

An gloriatus sit in re aliqua, quæ sit peccatum mortale, vel quod se vindicauerit, vel aliud peccatum patrârit ?

An, vt magni fieret, iactauerit se de aliquo bono, vel de aliquo malo à se perpetrato, idque ( siue verum sit siue falsum ) cum iniuria Dei vel proximi ?

An fuerit ambitiosus, inordinatè desiderando honores & dignitates, & idcirco quædam fecerit quæ non debebat.

An, ne parui fieret ab aliis, fecerit aliquid quod non debebat, cum scandalo proximi, aut omiserit facere quod debebat, vt, corrigere vel reprehendere alios, conuersari cum bonis, confiteri, aliaque opera Christiana exercere ?

An pertinaciter veritatem impugnauerit, vel ne se humiliaret; vel videretur victus, manserit obstinatus in defendendis contra conscientiam erroribus manifestis.

An per arrogantiam alios contempserit, faciendo aliquid in eorum dedecus & contemptum.

An ex fastu & superbia nimios sumptus fecerit in vestiendis famulis, & in aliis vanitatibus, suo statui non conuenientibus ?

*De alijs peccatis mortalibus nihil hîc dicetur,  
eò quòd satis de ijs dictum est in  
Decalogo.*

**P**Ræter hæc omnia, qui habent aliquod officium, gradum, vel exercitium particulare, se examinabunt de defectibus & peccatis, quæ tali statui vel exercitio singulatim possunt contingere, secundum obligationem, quam quisque in iis habet.

*Modi quibus homo participat de peccatis alienis,  
his versibus continentur.*

*Consulo, præcipio, consentio, prouoco, laudo,  
Non retego culpam, non punio, non reprehendo.  
Participo, protegoque, meum in caput istæ  
redundant.*

Hoc est, An malum dederit consilium, vel auctor fuerit alteri, vt malum committeret:

An præceperit, vel coëgerit aliquem committere aliquod peccatum:

An consenserit peccatis aliorum, eaque approbarit:

An prouocauerit alios ad peccandum:

An adulando iis qui malè agunt, vel laudando ipsa opera mala, autor fuerit aliis peccandi:

An cùm posset & deberet, non manifestarit aliorum peccata iis, quorum officium erat, ea corrigere.

An puniendo, vel remouendo occasionem, vt debebat, non impediuerit aliquod peccatum:

An o-



An omiserit reprehendere, vel admonere peccantes, cum deberet & posset facere;

An fuerit socius, vel quocumque modo particeps peccati aliorum;

An hospitio receperit, vel defenderit homines male agentes.

*Fuerunt*  
CAPVT V.

DE CONTRITIONE.

**E**Xamine conscientiae facto, de Contritione pro peccatis admisisserio cogitandum venit. Ad eam quid pertineat diximus cap: 2. Curandum igitur est, ut dolor contritionis concipiatur, non tantum propter inferni poenas, quas meruit peccator: nec tantum propter caelum, quod peccando perdidit (quaeuis hinc quoque iuari possit) sed multo magis quod Deum omnium creatorem offenderit.

*De dolore peccatorum ex amore filiali comparando.*

**P**ost orationem, qua gratiam peter dolendi ut conuenit, de offensis in Patrem & Deum sui amantissimum, primo erigat oculos mentis ad Christum, expendens, quod ei ut summæ sanctitati, omne peccatum magnopere displiceat quid egerit, quid passus fuerit: ut ab eo nos liberaret, & ad suum obsequium & honorem, ad praecipua sua obseruanda nos inflam-

inflammaret tot beneficiis, & propria etiam vita ad id impensa nulla proprię utilitatis sue habita ratione.

Conuertat inde oculos ad se, vt videat quid creatori suo, & redemptori, & amatori dignissimo debeat, & quomodo suo debito satisfecerit: & intuendo multitudinē grauitatemq; peccatorum suorum, doleat de tanta malitia, & ingratitude sua, contra talem patrem ac Dominum cui cum se tantopere amauerit ac honorauerit, tam contraria retribuit.

Denuō conuertantur oculi ad Christum, eum considerando vt Mediatorem & Satisfactorem pro peccatis nostris; & eundem vt verum Deum nostrum & infinitę misericordię; & petas per beatissimam eius Matrem, & sanctos omnes, vt dignetur offensas condonare maculas peccatorum abstergere, pœnas eis debitas remittere, prauas animi propensiones reformare, ea, circa quę contra suum honorem, proximorum & proprium bonum deficit, supplere. Et proponendo emendationem, & gratiam ab eo petendo, semet ad dolorem coniunctū cum spe obtinendę venię excitet.

*Alius modus excitandi Contritionem.*

**R**atio item Contritionem acquirendi, optima erit, si aliquas ex infra positis lib: 7. meditationibus de peccatis, & de quatuor nouissimis, Confessione quis præmittat. Potest tamen & modo sequenti ad eam se excitare.

Confidera, ô homo, in quã amplissimo dignita-

gnita-

gnitatis gradu sis locatus; a quanto artifice  
 procreatus: in quam florentissimo statu ab eo  
 constitutus? quam immenso pretio redem-  
 ptus, & ad quantam felicitatem vocatus. In  
 tuam gratiam, mirabilem hanc mundi vni-  
 uersitatem summus ille Architectus excitauit.  
 Te diuorum spirituum agnatione voluit te-  
 neri: te Angelis suis custodiendum tradidit:  
 te saluari baptismatis vnda abluit: te non au-  
 ro, non argento, sed preciosissimo sanguine  
 suo, æternæ morti obnoxium redemit: te de-  
 nique sibi in filium benignissimè adoptauit.

Considera deinde sigillatim, quæ summa  
 illa Maiestas tui causa subiuit, quomodo im-  
 pendit se totum tibi. Testantur hoc manus  
 perforatæ, hoc transfixi pedes, hoc latera per-  
 fossa, ex quibus, ceu riuus quinq;, sanguinem  
 semel totum volens effudit, & preciosissi-  
 mam piscinam abluendis tuis sceleribus præ-  
 parauit.

Itane oblitus originis tuæ, oblitus benefi-  
 ciorum tantorū, propter fluxam momenta-  
 nex, & venenatæ voluptatis delectationem,  
 te à tanta dignitate, in statum tam miserum,  
 & calamitolum coniecisti, vt qui prius eras  
 dignus cœlo, iam indignus sis, quem terra su-  
 stentet: prius felix & beatus, nunc miser &  
 perditus: Itanè à tam nobili, à tam amante,  
 à tam de te benè merito Parente, ad eius ini-  
 micum, imò hostem infestissimum, ingra-  
 tus defecisti? Itanè turpissimo, crudelissimo,  
 & nequissimo Domino te vitrò mancipasti?

Sicciné ex filio Dei, te filium Diaboli constituiti: quin etiam ipsius seruum, & (quod pessimum est) tot dominorum, quot peccatorum?

Peccando enim, Deum tuum tibi fecisti inimicum, & Diabolum tibi constituisti dominum. Alterius in te beneficia, alterius maleficia considera. Ille te qua bonitate condidit? Qua misericordia redemit? Qua liberalitate locupletauit? Qua læticia recipit ad te reuertentem? Qua lenitate quotidie iustinuit delinquentem, differens ultionem, dum veniam cogitabas? Contra hæc omnia, Diabolus quanta inuidia, iam olim struit insidias salutis tuæ? Quæ tibi creat pericula? Quid aliud molitur quotidie, nisi ut te ipsum tecum in æternum trahat exitium?

Perge vel serò miser perge foedata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Si quem de tuis familiaribus perdidisses, ingemisceres grauius, ac fleres facie inculta, veste mutata, vultu mœrenti, ore deiecto, luctum ac dolorem querelis indicans. Animam ecce miseram tuam perdidisti, spiritualiter mortuus, & funus tuum portare cæpisti: & non acriter plangis, non iugiter ingemiscis? An nō sunt in te viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus, à quo discessit anima, & non plangas animam à qua recessit Deus?

ORATIO POENITENTIS PRO  
*Contritione filiali impetranda.*

Domi-



**D**omine Iesu Chrifte, qui me laqueis æternæ mortis irretitum, in libertatem vindicasti, ego peccatorum omnium ingratiſſimus, meritorum inaniffimus, flagitiorum pleniffimus, ad immenſam tuæ benignitatis abyſſum recurro ſuppliciter. Scio, nec dubito, me omni timore poſtpoſito, iuſſa tuæ ſanctiſſimæ legis repudiaſſe. Violaui enim ſanctitatem animæ: profanum feci templum tuum: dona, & gratias tuas profudi, ac perdi: cum tamen tu Paſtor pientiffimus, tam benefica voluntate gratificandi mihi prouideris, tot me beneficiis cumulaueris, & tanquam pupillam oculi ab incunabulis tutatus ſis.

Quæ lingua explicare queat, à quot caſibus ac diſcriminibus, a quot periculis, & calamitatibus, quæ mihi vnquam accidere potuerunt, me ſaluum & incolumem eripueris; Cuius, niſi tuo firmo præſidio, cum alij interim coæui mei, in extremum diſcrimen & dimicationem fortunæ deuenirent, protectus ſum, ne me aqua abſorberet, ne ignis consumeret, ne lapis elideret, ne terra ſubrueret, ne ruina contereret, ne veneno tolleret, ne ferro vita priuarer, ne inedia consumerer, ne ſiti extinguerer: ne à prædonibus caperer, ne à latronibus morte mulctarer, ne ſubitanea morte ex numero viuorum exturbarer?

Sed ſuperat omnem beneficentiam, illa contumeliarum, ac omnium cruciatuum (authoribus, ac miniſtris peccatoribus) benigniſſima tua perpèſio, & illa ſolemniffima, cum tot

votis & precibus, pro salute nostra nuncupa-  
 tis, in ara crucis celebrata sacrificatio. Et quasi  
 hæc pauca essent, occasiones & ansas mihi  
 plurimorum malorum, quibus hæc ætas capi,  
 & deliniri solet, subtraxisti. contra incitamen-  
 ta, multa quibus ipsa me virtus, & pietas tra-  
 hat ad verum decus, procurasti. Quando ten-  
 tabar cupiditatibus, adiuuisti me: quando ce-  
 cidi, erexisti me: quando trepidabam, confir-  
 masti me: quando tristabar, consolatus es me:  
 quando infirmabar, sanasti me: quando ora-  
 bam, exaudisti me: quando vagabar, reuoca-  
 sti me: quando superbia & arrogantia inflatus  
 fui, ad humiles cogitationes abiecisti me:  
 quando errabam, docuisti me. Nec vnquam  
 siluit in corde meo vox illa tua, tam crebrò  
 repetita: Deo viue, Deo seruis; &, vel iam tan-  
 dem à peccando desiste. Attende miser, quale  
 exitium condemnationis æternæ tibi immine-  
 at. Quid si hac nocte, quid si hac hora subita-  
 neâ morte sublatus, ad Dei tribunal rapereris?  
 Hæc tua inspiratio, & admonitio, ô bone Iesu,  
 cordis mei aures pulsare nunquam cessauit.

Quid tantoperè tibi placuit in me, Domi-  
 ne Deus meus, quòd tam amanter mihi sem-  
 per præstò fuisti? Proh dolor, ego perditissi-  
 mus mortalium, tot beneficiorum immemor,  
 ab alienatus à tali, ac tanto parente, qui sum-  
 mum bonum est, turpissima peccati merce-  
 de diabolo me addixi in miserrimam seruitu-  
 tem: repulso suauis iugo Christi, ruptoque  
 charitatis amabilissimo nodo, quo parenti

Deo

Deo spiritus noster astringitur, ad hostē acerrimum descendi. Quid igitur primum, quid vltimum querar? Bona memorem, quæ perdididi: an mala dessem, quæ contraxi? Væ mihi Domine Deus, quid feci, & quid neglexi; Tu non cessasti amplificatum beneficium, locupletare, & ego non destiti tot in te scelera patrare. Quodammodo certauimus, ambo, tu miserationibus me expugnando, & ego iniquitatibus oppugnando: & quis tandem superior sit futurus, ignoro.

Vincantne misericordie malitiam, an malitia misericordiam superabit? Timeo vehementer, ne multitudo exhibitæ miserationis, fiat tandem cumulus iustæ damnationis. Per timeo ne mihi aliquando iustissimè dicas: O hominum infelicissime, quid debui tibi facere, & non feci? Non eras, & creauit te: in diaboli seruitutem te dederas, & redemi te: errabas, reduxi te, & gratiam tibi meam contuleram, tu verò libidinem & cupiditatem effrenatam voluntati meæ anteposendam existimasti. Vincant, obsecro, misericordie tuæ antiquæ, Domine, propter merita purissimæ Genetricis tuæ: per merita sanctorum omnium succurre languenti animæ: require ouem perditam, à sacro tuo grege vagantem.

Non occulto iniquitates meas, sed ostendo: non excuso, sed accuso. Ego reus, ego accusator meus: peccaui in cœlum & coram te, nec sum dignus vocari filius tuus. Ecce, Domine Iesu Christe, coram oculis clemen-

tix tuæ exhibeo animam meam, virtutum muneribus nudatam, peccatorum pondere onustam, delictorum sordibus foedatam. Superbia quippè repugnat, auaritia pungit, luxuria vrit, præsumptio iudicat, conscientia mordet, gula incitat, inuidia murmurat, lingua detrahit, iracundia perturbat, ambitio irridet, ignauia retardat, oculus concupiscit. O cœcam insaniam, o dementissimam temeritatem. Quem fructum retuli ex illis, de quibus nunc erubesco? Delectatio occidit, & præterijt: vulnerauit, & transijt: miserum fecit, & abiit.

Nunc verè cognosco, solam esse libertatem, non seruire peccatis: &, quòd qui facit peccatum, seruus est peccati. Perspicio planè altissimam sapientiam esse, nil conscire sibi, nulla pallefcere culpa: & tamen misera anima mea à peccatis nondum desistit, sed à scelere in scelus impeçu furibundo delabitur. Quapropter confundor in memetipso, nec dignus sum oculos in cœlum leuare: sed magis dignus essem, illos plorando amittere. Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac mecum misericordiam, propter temetipsum, Deus meus, quoniam ad te confugi, qui à te aliquando fugi. Aspice infelicem pietas immentia: respice crudelem misericordia infinita.





## CAPVT VI.

## DE IPSA CONFESIONE

*Orationes aliquot, & pœnitentibus, & Confessariis Sæles.*

*Oratio audituri Confessiones.*

Cor mundum crea in me Deus, &c.  
 Ne projicias me à facie tua, &c.  
 Redde mihi lætitiã salutaris tui, &c.  
 Docebo iniquos vias tuas, &c.  
 Libera me de sanguinibus Deus, &c.

*Oremus.*

**D**omine Deus omnipotens, propitiuss esto mihi peccatori, vt dignè tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officij Sacerdotalis, & mediatorem constituisti, ad reconciliandos peccatores ad pœnitentiam reuertentes. Ideòq; Dominator Domine, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire: qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: suscipe orationem meam quam fundo, pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam veniunt, vt des illis Spiritum compunctionis, & respiscant à Diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, & ad te per dignam satisfactionem reuertantur.

Per Christum Dominum  
 nostrum, Amen.

*Oratio Pœnitentis, iam iamq; confessura.*

**P**ER SS. omnium Angelorum Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum atq; Virginum, ipsiusque sanctissimæ sanctorum omnium principis & Reginæ, Filij tui vnigeniti parenti optimæ merita, orationes, intercessionones, pationes, & suffragia, infunde cordi meo clementissime Deus, per gratiam Spiritus sancti, compunctionem, fontemque lachrymarum, vt possim reatum conscientiam meam perfectè cognoscere, & delicta facinorum meorum plenariè confiteri, & deuotè commissa accusare, & de commissis omnibus dignam pœnitentiam agere, & de his tua præstante misericordia, Christi que Iesu filij tui dilectissimi patione & morte perfectam consequi remissionem & veniam. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Quid in ipsa confessione sit faciendum.*

**H**IC prima cura esse debet, idoneum sibi confessarium, tanquam Medicum fidelem prouidere; & quod faceret quis ad sueturendum malè affecto corpori, hoc ipsum, inò amplius, animæ causa, cuius salus longè potior est salute corporis facere. Confessarium enim ignorantem quærere, est quodammodo certum sibi ducem ad infernum quærere. Quam in sententiam Doctor celebris Petrus Damianus: *Cum, inquit, ad pœnitentiam reci-*  

*pere*

*pere te vis, delige tibi Confessorem bonum, qui tibi  
refugium sit in tuis tentationibus, Deum in eo tibi  
proponendo. Eum tibi delegeris, alterum non ac-  
cedes sine eius licentia. Et Origenes quodam  
loco: Considera attentè cui debeas peccata tua  
confiteri, prospice anima tua de bono medico, qui  
nolit infirmari cum infirmo, flere cum flente, com-  
pati patienti: & si medicus est expertus & mise-  
ricors, eius consilia exequere, & quas tibi proposu-  
erit portiones, & pharmaca excipe, quantumuis a-  
marâ Videantur.*

Confessarium ubi idoneum delegerit poenitens eum accedat, & utroque genu flexo, & nudo capite, facie non ad vultum, sed ad latus confessarij versa, signet se cruce, ac dicat: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Benedicite, pater.* & post benedictionem à Sacerdote datam, prosequatur confessionem generalem, vsq; ad verba: *Mea culpa, mea culpa, &c.* tunc confiteatur sua peccata, atque obseruet hæc tria.

Primò, vt confessio sit integra, nullum peccatum scienter reticendo (nihil enim iuuaret confessio, inò nouum peccatum sacrilegij ad vetera adderetur) descendendo ad speciem, & ubi oportet, numerum exprimendo, quoad poterit, & circumstantias, quæ aggrauant defectum, quæque augent confitentis contritionem, & hoc in quibusdam, quæ accidunt, maioris momenti. Nam aliqua vt defectus perfectionis, quæ non euitantur, in genere dicere satis est.

Secundò: vt sit pura ab omni mendacio, & simulatione, quæ in negotio diuino impia esset. Res ergo dicantur sincerè, vt quisque sibi conscius est: certa, vt certa: dubia, vt dubia: sit etiam pura ab excusationibus, & verbis superfluis, nec quicquam, quod ad rem non faciat, dicatur, nec peccatum aliorum, nec quicquam sine necessitate nominetur: & breuiter, quantum res patitur, se expediat pœnitens.

Tertiò, vt sit confessio humilis, & qui confitetur, memor sit, quod in præsentia sit Dei, à quo veniam impetrare debet; eiusq; Vicarij. Ideò reuerentem se præbeat, & verbis vtatur accusatoriis sui; sine affectione tamen, & dolore non ficto, peccata sua enumeret.

Postremò subiungat clausulam generalem, *De his & omnibus peccatis meis aliu contra Deum, proximum, & meipsum, dico meam culpam, meam maximam culpam, & precor sacratissimam Virginem Mariam, & omnes sanctos, & sanctas Dei, ut orent pro me ad Dominum Deum nostrum: & etiam te pater, petoq; absolutionem, & pœnitentiam.*

Postea deuotè audiat, quicquid confessarius vel suadendo, vel exhortando dixerit, & denique pœnitentia cum absolutione accepta, discedat.

## CAPVT VII.

*DE IIS QUÆ CONFESIONEM  
sequuntur.*

*Quid*



*Quid post confessionem agendum sit?*

Post confessionem, denuò se colligat, ac tria obseruet, pœnitens.

Primò pœnitentiam iniunctam cum primùm licebit, peragat, & propositum firmum renouet à peccatis, quæ confessus est, & ab omnibus alijs, cum auxilio Dei, abstinendi & occasionem eorū, quoad eius fieri potest, declinandi; & tum confidat peccata sibi omnia remissa esse per Dei bonitatem, supplente Sacramenti efficacia defectus, & imperfectiones admixtas.

Secundò ad emendationem se conuertat, & obseruando vnum aut duos defectus, eos potissimùm vnde fortè alij non pauci oriuntur, contra illos armetur, & remedia adhibeat tum communia, qualia sunt quæ sequuntur.

1. Magna voluntas euitandi huiusmodi defectus, crebrò reuocata in examine, & cum Diuino auxilio ad hos extirpandos applicata.
2. Suiipsius reprehensio & castigatio, cum peccata acciderint.
3. Memoria Christi præsentis, & oratio ad eundem, præsertim cum quis expugnatur, aut in aliqua vsitati defectus occasione, quæ euitari non potest, versatur.
4. Consideratio eorum quæ timorem excitant, vt mortis, iudicij, &c. vel amorem Dei; item beneficiorum, promissionum, &c. tum propria remedia, quæ iuxta consilium confessarij, vel superioris adhibenda erunt.

Vtraque autem cum animi magnitudine, &

perseuerantia, & Ipe victoriæ, in Christi fauore fundata, sunt exercenda.

Tertiò, ad augmentum gratiæ se disponat, antea actæ vitæ offensas piis obsequiis compensare desideret in posterum, & ex memoria præteritorum malorum, ad bona consecranda, humilior & feruentior reddatur, &c.

ORATIO POST CONFESSI-  
onem.

*Ecce, sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ioan: 5.*

**I**Ta est Redemptor clementissime, Medice humani generis amantissime. Sanasti me sanguinis tui pharmaco preciosissimo: oleum suavissimum ex lateris tui fonte sacratissimo hauitum mihi faucio infundere non renuisti. O Samaritane benignissime, agnosco tuum amorem: misericordiam infinitam amplector. Vindicasti me à morte: filium iudicio & voluntate tua fecisti: hæreditatem vitæ æternæ ad me testamento tuo peruenire voluisti. O miranda & stupenda cœcitas cordis mei: quid post tot, & tantas, curationes, misera ægitudine pereo? & manu Saluatoris toties tactus, morbis tamen conficior. Væ mihi misero, si tot medicamentis sanitati non restituar: si nihilominus corpore & animo vitiorum morbis ero obnoxius. Quid igitur facias, bone Iesu? Tu adhibes medicinam, sed æger veneno delectatur: morbum propulsa, ille pestem

sibi

sibi accersit: tu vulnera alligas, ille obductam cicatricem refricat: manum admoues, ille reijcit. Quid in te reperi summa bonitas, Domine Deus meus, vt tam alienum à te animum habeam: & quid in me inueni, quod tanto dignum amore iudicarem? Quoties, Domine, affirmare possum, me ex faucibus mortis, tua bonitate, ereptum, & quoties ego memet nulli r. perdidit? Vtinam digneris, vel hac vice, mentis meae aperire oculos, vt me, & te ipsum agnoscam: me vt fugiam tanquam pestem, te autem vt sequar. Sit tibi Domine, obsecro, meritis beatæ semper Virginis, genitricis tuæ Mariæ: & omnium Sanctorum, grata & accepta ista Confessio mea: & quicquid defuit ad perfectionem contritionis, ad puritatem & integritatem Confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua. Qui viuis & regnas, &c.

*Vilis quadam post Confessionem Meditatio  
ad emendationis propositum plenius  
confirmandum.*

I. Consideret Deum Opt: Max; super omnia metuendum, & amandum: qui condidit, qui restituit, ac gubernat vniuersa: nusquam non præsens, nihil nesciens, nihil non videns; ad cuius nutum contremiscunt, & pauent columnæ cœli: cuius oculi lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominû, & profundum abyssi, & hominum abdita corda intuentes. Hunc igitur tanquam omnium suorum operum inspectorem, simul & iudicem,

cem, quisq; semper, & ubiq; præ oculos habeat: & aurea illa Boëtij sententia, eius cordi infixæ hæreat: *Magna nobis indidæta est necessitas benefaciendi, cum ante oculos agamus iudicis, cuncta cernentis.* Vnde quidam etiam cecinit non incongruè:

*Cum quid turpè facis, quod me præsentem puderet:*

*Cur, spectante Deo, non magis ipse rubes?*

2. Perpendat etiam cum magno Gregorio: *Momentaneum esse, quod delectat, æternum Verò, quod eruciat.* O quam iniqua permutatio, pro leui ac breuissimæ voluptate, gaudiis fraudari perennibus, & sempiternos insuper, ac nunquam finiendos dolores tam breui delectatione mercari? Et quid, obsecro, optabile in voluptatibus mundi, quæ dum quæruntur, fatigant: cum acquiruntur, infatuant; cum amittuntur excruciant?

3. Ad turbam quoq; vitiorum euitandam, & declinandam, non parum conferet, si quis semper, & assiduè considerauerit, præter Deum, operum suorum omnium inspectorem, etiam Angelum custodem præsentem.

4. Attenderit præterea, virtutis nobilitatè, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, puræ conscientix pacem, hominis dignitatem, Dei beneficia, & super omnia Christi vitam, mortem & crucem. Christum igitur diligas, & præcepta eius obserues: nec dubites, dabit tibi bona sua, qui dignatus est suscipere mala tua. Grandes quidem labores sunt, sed inæ-

stima-



stimabile est præmium, esse quod Martyres,  
esse quod Apostoli, esse quod Christus est.

*Tabula operum Pœnitentialium vltro assu-  
mendorum.*

**V**tile visum est, hoc loco adiungere tabel-  
lam sequentem, ad dignam agendam pœ-  
nitentiam maximè conducentem; vt ex ea si-  
bi pœnitens peccator assumat vltro, quod  
Confessarius non imponit: quia vel nesciat  
temperare medicinam, pro morbi magnitudi-  
ne; vel metuat ne peccator delicatior, dignâ  
peccatorum pœnam respuet aut recusabit.

Sunt igitur, operum satisfactionis varia  
genera. Puta:

1. Feria sexta hebdomadatim ieiunare.
2. Carnem suâ verberibus incusis affligere.
3. Vestem cilicinam, vel id genus cingulum  
gestare.
4. Culcitra vel duriore lecto cubare.
5. Expansis brachiis, aut humi prostratum  
orare.
6. Sanctorum sepulchra deuotè visitare.
7. Assiduè sacris officiis, concionibus, vel pi-  
is lectionibus operam dare.
8. Media nocte laudare Deum, vel peccata,  
exemplo Dauidis, plangere.
9. Ad peccatoris alicuius conuersionem ope  
vel consilio adiuuare.
10. Captare vndiq; occasionem, exercendi  
opera misericordiæ, tum corporalia, tum  
spiritualia.

11. Pro peccatorum conuersione, vel hæreticorum, feruenter orare.

12. Pro fidelibus defunctis orationes, sacrificia, Eleemosynas facere vel procurare.

13. Orare manè, & uesperè, diligenter conscientiam examinare,

14. Frequenter confiteri, communicare, libellos pios lectitare, puta Thomam de Kemp. de Imitati. Christi, Didacum Stella de Vanitatibus mundi, Costerum, de 4. nouissimis. &c

## CAPVT VIII.

*DOCUMENTA PRO IIS QUI FRE-  
quentius confitentur.*

*Quid faciendum sit iis qui sæpè solent  
confiteri.*

**I**N quatuor rebus diligentiam adhibere debent qui sæpius confitentur. Nam primum in examine conscientie seduli esse debent. Et quidem excutiant oportet, quid circa cogitationes, deinde quid circa uerba, tertio quid circa opera, erga Deum, seipsum, proximum admiserint. uide de eo examine, quæ supra dicta sunt cap: 4.

Secunda cura posita esse debet in dolore peccatorum ante confessionem excitando, qui dolor nunquam omittendus est, etiam si uenialia duntaxat peccata occurrant. Confessionem itaq; capies ex teipso, considerans, quam

quàm parū te emendes, & proficias, & quàm  
semper iisdem defectibus deprehendaris ob-  
noxius. Deinde oculos mentis attolles ad  
Christum, considerans quod cū sit ipsa tan-  
ctitas & puritas, magnopere illi omnia pec-  
cata displiceant. Ingratitudinem inculabis  
tuam, qui tantæ sanctitati tam parū respon-  
deas. Postremò de tuis omnibus defectibus,  
quos propones emendare, rogabis veniam  
utq; tuos effectus, & prauas inclinationes re-  
formet, postulabis

Tertia cura circa Confessionē ipsam ver-  
satur, ut nimirum persuadeas tibi, quoties va-  
dis ad accipiendum hoc Sacramentum, toties  
ire te ad lauandam animam tuam Sanguine  
Christi: cuius virtus operatur in Sacramentis,  
propterea opus esse magna reuerentia & hu-  
militate. Amabis autem in confitendo clari-  
tatem, & perspicuitatem, libereque te totum  
Patri spirituali manifestabis, ab eo ut possis  
melius iuari & dirigi, paratus etiam eris non  
solum ad suscipiendam pœnitentiā, & im-  
plendam iniunctam satisfactionem, verum  
etiam ad excipiendas reprehensiones si quas  
ille ad tui emendationem adhibendas puta-  
uerit: ad accipienda etiam omnia consilia, &  
remedia, quæ pro animæ tuæ maiori bono  
ipse dederit. Ad quod vehementer conferet  
(sicut antè insinuauimus) vnico uti, quoad fie-  
ri potest Confessario docto, bono, & pruden-  
te, neque ab vno ad alium, & mox ad tertium  
discurrere, quo nihil periculosius & ineptius.

Tales

Tales enim dilucifores & vagabundi plus satis demonstrant nolle se iuuari, & dirigi, neque veram sui emendationem proponere. Salutare per omnem modum est pœnitenti, vnũ sibi deligere quem sequatur, quem vt patrem suum amet, cui se totum sincere aperiat, cuius se precibus profectumq; suum commendet, quem in molestiis, ac difficultatibus, ac in deligendo potissimum vitæ statu (si iunior sit) consulat, à cuius nutu, & consilio in omnibus ad salutem suam spectantibus pendeat. Incredibile est quanti id momenti sit, & quantum boni, consolationis, & securitatis in eo insit.

Quarta cura in proposito & mediis emendationis, de quibus infra dicemus, posita est. Quod ad propositum attinet, nihil melius est frequenti renouatione propositi abstinendi à peccatis confessis, & aliis quibuscunque.

*Documenta quadam iis vtilia, qui sæpè confiteri solent, ne vel scrupulis, vel aliis molestiis à Dæmone, vel hominibus inferre solitis, à confitendi consuetudine abducantur.*

1. Præmissa sufficienti contritione certò confidat is qui confitetur, omnia peccata sibi esse remissa; etiam ea, quæ occulta fuerunt vel memoria exciderunt, merito sanguinis Domini nostri IESV Christi.

2. Alia præparatio requiritur pro confessione vnus anni, alia pro vnus, aut alterius mēsis, alia pro hebdomadaria, alia denique pro

biduo



biduo, pro qua breuissimum sufficit tempus.

3. Nemini iniecta est necessitas & obligatio venialia peccata confitendi, nisi quando dubitat an sint mortalia vel venialia. Quoties ergo quis non se sentit grauatum peccato mortali, si copiam Confessarij non habet, potest securè ad sacram communionè accedere

4. Etsi nemo obligatur ad confessionem peccatorum venialium, salutare tamen est illa confiteri: tum quia confitendo noua semper obtinetur gratia: tum quia homo facilius vitam emendat suam: deinde quia multa sunt mortalia, quæ videntur venialia, poena quoq; venialibus peccatis debita citius deletur. Hæc omnia S. Thomas. Habitus deniq; confitendi venialia, facit, vt habet Petrus Paludanus, vt ab illis abstineamus.

5. In modo confitendi, numerumque peccatorum, cæteralq; circumstantias exprimendi, sequi omninò oportet iudicium Confessarij, qui conscientiam pœnitentis benè habet perspectam. Quando verò pœnitens existimaret se opus habere confessione, Confessarius autem diceret, eum posse communicare, securus accedat, modò conscientiam peccati mortalis non habeat: lucratur enim & id, quod lucratus esset confitendo, & multò plus, ob illam obedientiam, suisq; victoriam: per fidem quoque, dum cogitat, quicquid dictum est à Confessario, sibi dictum à Deo. Vnde meritò in corde sibi dici audiet: *Fides tua te saluum fecit.*

6. Sicut homini timorem Dei non habenti, nihil facilius est, quam peccare mortaliter: sic ei, qui mauult mori, quam mortaliter peccare, admodum difficile est peccare mortaliter. Qui ergo talem animum habet, non facile existimare debet, se admississe peccatum mortale.

7. Quando quis conscientiam suam non sentit alijs grauata[m] peccatis, quam venialibus, non tenetur omnia sigillatim confiteri, sed factis est confiteri aliqua: de reliquis verò generatim agnoscere se culpabilem: & sic omnia remittuntur, *vt docet Siluester in Summa.*

8. Duo maximè solent turbare homines spirituales. Primò cogitationes, secundò, detractiones. Quod ad primum attinet, sciendum est, cogitationem prauam non esse peccatum nisi illi consentiamus. Signum autem, quod ei non consentiamus est, quando displicet nobis cogitatio, & nolumus eam habere, ac quando malumus in animo potius mori, quàm mortaliter peccare. Vnde Thauleri viri sanctissimi ad eum, qui eiusmodi cogitationibus prauis vexatur, consilium. *Obsecro te, inquit, sis bono animo: tantum conaris eas eijcere, & tibi non nocebunt: Ne disputa cum illis: nullo responde serbo, nihil factas. Conuerte te ad Dominum Deum toto corde.* Quod ad secundum spectat, sciendum est, quando quis nulla intentione, per loquacitatem; aut alia de causa, mali aliquid dicit de alio, non committere peccatum mortale, sed vel nullum, vel veniale, si inde sequeretur iactura famæ alienæ, non magna, modò

modò res non sit publica, vt docet Fumus in Armilla.

9. Quamuis, qui vult proficere in spiritu, sedulo debeat abstinere etiam à peccatis venialibus; vulgata enim Doctorum sententia est, potius permittendum, vt pereat mundus, quàm vnum peccatum veniale committendum; tamen quando illud committit, debet de eo dolere, cum proposito non amplius committendi, & veniã à Deo postulare, atq; ita quiescere.

Sunt autem duo peccatorum venialium genera: Alia sunt prudenter, scienterque commissa, & hæc diligenter fugienda sunt, quia disponunt ad mortale, & magnum damnum animæ adferunt. Alia committuntur ex fragilitate, ignorantia, & inconsideratione; & hæc permittit Deus, vt nos humiliemus, & submissè de nobis sentiamus. aliisque de causis. De his intelliguntur illa verba scripturæ: *Sapies in die cadit iustus, & resurgit.*

10. Bonum est, vt qui sapius per mensem confitetur, citò se expediat; tum ne fiat scrupulosus, tum vt detur Confessario tempus illum instruendi, tum aliis confitentibus locus fiat. Quod si pridie confessus fuerit, non debet rursus confiteri postridie, nisi necessitas urgeat: quod si confiteatur, vno verbo, si possit fieri, exponet, quid conscientiam grauet, locus vt detur aliis, qui vel reconciliare se, vel communicare cupiunt.

## CAPVT IX.

ORATIONES VARIÆ PRO PECCATORUM remissione dicenda.

*Per breues aspirationes, & conceptus animi per modum meditationis cuiusdam; ad impetrandam Dei misericordiam, & veniamq; peccatorum exorandam, & surpanda, ex dñis B. Augustini.*

**M**iserere mei Domine, miserere mei, & adiuua me, sicut tu nosti quod mihi necesse est in corpore & anima. Scis omnia, potes omnia, qui viuis in secula.

Respice me, Domine, opus manuum tuarum in te sperantem; & in tua solummodo misericordia confidentem, recordare creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti.

Domine, da mihi consolationem tuam cælestem, & noli spernere peccatricem animam meam, pro qua mortuus es, &c.

Ego sum miser ille obæratuſ decem millibus talentorum, non sum soluendo, nisi misericordia tua adiuuerit me.

Noli, quæſo, piissime Domine, scribere aduersum me amaritudines meas, vt intres in iudicium cum seruo tuo, sed secundum multitudinem milerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Placare, obsecro, & miserere mei, & non auertas faciem tuam à me, qui pro me redi-

men-



mendo non auertisti faciem tuam ab increpantibus, & conpuentibus in te.

Quis vnquam, bone Iesu, de tua misericordia diffidat, qui cum tui inimici essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo? Ecce sub tuæ misericordiæ umbra protectus, ad thronum gloriæ veniam postulans curro, clamans & pullans, donec misereris mei.

O clementissime Pater, & Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus, quia tu me fecisti, & refecisti: & si ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti, vnde saluare soles: noli ergo Domine sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum.

Ne memineris iustitiæ tuæ, Domine, erga peccatorem tuum, sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam: ne memineris iræ aduersus reum, sed memor esto miserationis tuæ erga miserum. obliuiscere superbum prouocantem, & respice miserum inuocantem.

Obsecro, & suppliciter rogo, omnipotens, & misericors Domine, ne facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed secundum magnam misericordiam tuam quæ superat etiam peccata totius mundi.

Eccè cor meum coram te est Domine, discute tenebras eius, vt amoris tui claritate plenius perfundatur. Compleat tua potentissima diuinitas, quod conatur mea tepidissima im-

becillitas. Sanctifica me vas tuum, quod fecisti, de malitia euacua, & imple de gratia, & plenum cōserua, vt dignum habitationis tuæ efficiar templum hic, & in perpetuum, Amē.

*Obserua, quòd hæ aspirationes animi percurrunt leuiter non debeant, sed fieri per modum cuiusdam meditationis.*

OBLATIO OMNIUM LABORVM,  
atque pœnarum Christi pro peccatis  
nostris.

Ex Memoriali Granaten. lib. 5.

Quid retribuam tibi Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi? qua gratitudinis significatione tanta tua beneficia compensabo? quid tibi pro tam insigni tua misericordia reddam? heu! quam inique meritis tam liberalis & pij benefactoris respondi? Semper ingratus fui beneficiis, semper inobediens fui tuis mandatis, semper in inspirationibus tuis animum clausi, culpam culpæ, & peccatum peccato addidi.

Confiteor Domine, quòd non sum dignus vocari tuus filius, etsi ego te Patrem meum, agnoscam; tu enim verè Pater meus es, tu spes mea, tu fons misericordiæ, qui non repellis peccator es ad te confugientes: sed recipis, lauras, & reficis illos. Ecce igitur adiutor mi, vnde quomodo ego omnium creaturarum, pauperrimus ad te venio, nihil aliud adferens, quàm ingentem meorum peccatorum farcinam.

Ante

Ante pedes tuæ pietatis me prosterno, humiliter misericordiam flagitans, ignosce, queso, mihi, ô firma spes mea, salua me pro tua infinita clementia.

O dulcis Iesu in remissionem meorum peccatorum offero tibi immensam charitatem tuam, qua tu Deus infinitæ Maiestatis motus, non dedignatus es pro me incarnari, homo fieri, & in hoc mundo triginta tribus annis in multis tribulationibus, pressuris, angustiis, persecutionibus, & laboribus versari. Offero tibi lethalem illam angustiam, sudorem illum sanguineum, & agonem illum qui cor tuum affligebat & lancinabat, cum in horto iacens in terram prostratus, Patrem deprecabaris: offero tibi ardens illud desiderium quo desiderabas pati pro nobis, quando te spontè in manus inimicorum tuorum beneplacitum Patri sacrificiu pro nobis tradidisti. Offero tibi omnes iniurias, blasphemias, alapas, verbera, sputa, aliaque omnia tormenta quæ in ædibus Annæ & Caiphæ miserrima illa nocte sustinuisti. Offero tibi, ô bone Iesu, omnia hæc, rogans infinitam tuam bonitatem, vt per merita illorum mihi condones omnia mea peccata: pœnam simul cum culpa remittas, animam ab omnibus peccatorum reliquis purifices, & tandem ad vitam æternam perducas.

Offero tibi humilitatem, obedientiam, & patientiam illam inestimabilem, quam exhibuisti, cum te ad columnam durissimam liga-

tum flagellabant, inde spinis coronabant, & purpurea te chlamyde ad maius ludibrium circumdabant satellites illi Sathanæ, & perpetui gehennæ titiones, cum illudentes te salutabant, in faciem tuam expuebant, & arundine, quam in manu pro sceptro gerebas, saucium, fractumque caput tuum percutiebant. Offero tibi afflictæ corporis tui lassitudinem, cruenta vestigia, & onus graue crucis, quo delicatis, & flagris miserè conscisis humeris tuis portabas. Offero tibi sitim illam, qua crucifigendus æstuabas, omniaque alia tormenta, quæ pro nobis mansueto corde sustinuisti. Omnia hæc tibi cum gratiarum actione offero, tuam immensam obsecrans pietatem, ut per horum merita mea diluas peccata, poenam & culpam simul remittas, animam meam à peccatorum reliquiis purifices, eamque tandem ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, in satisfactionem pro peccatis meis offero tibi crudelissimos dolores, quos passus es, cum milites vestem tuam carni & ossibus concreto sanguine adglutinatam crudeliter corpori tuo detraherent, omniaque vulnera in flagellatione accepta renouarent: quando in crucem proiectus, manus, pedesque sanctissimo ligno, duris clauis compaginari passus es, tanta cum violentia, ut omnes articuli atque membrorum iuncturæ locis suis naturalibus emotæ sint. Cum pretiosus tuus sanguis ex omnibus tuis membris haud aliter quam flumina è fontibus, scaturiret. Omnes  
& sin-



& singulas pretiosi tui sanguinis guttulas tibi offero, tuæque pietatis; atque obsecro, vt per illarum merita mea diluas peccata, poenam simul & culpam mihi remittas: animam meam à peccatorum reliquiis purifices, eamque tandem ad vitam æternam perducas.

Clementissime Iesu, offero tibi illam benignitatem & mansuetudinem, qua cum sustinuisti opprobria & impiorum conuicia, qui commouentes capita sua: subsannabant ac illudebant tibi, dum tu pro illis Patrem orabas. Offero tibi horrenda illa tormenta, quæ pertulisti, dum totus afflictionibus, cruciati- bus & doloribus in prædā datus, omni consolatione interna & externa destitutus, atque à Deo & hominibus derelictus, miserrimè cruci affixus inter cœsum & terram, medius inter duos nequissimos latrones pendebas.

Offero tibi intollerabilem sitim, qua in cruce affligebaris, humilitatemque & reuerenti- am illam, qua cum spiritum tuum, inclinato capite, Patri commendabas, offero tibi saluti- ferum illum sanguinem de latere tuo, lancea militis aperto, profluentem. Omnia tibi hæc offero, atque pro iis, quantas possum tibi gra- tias ago, te suppliciter orans, vt peccata mea mihi condones, culpam simul & poenam tol- las; animam meam ab omnibus criminum reliquiis purifices, eamque tandem ad vitam æternam perducas, vbi tu viuis cum Patre & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

## ORATIO.

*Qua peccatoris vitia, Deo reconciliata, ei  
sunt commendata.*

August: in lib: de solitariis documentis.

**D**eprecor te Iesu Saluator, bone redemptor  
quæ pretiosissimo sanguine tuo redem-  
pta sum, vt propter carnis corruptionem non  
pergam, neque veniam in mortem secundam  
nec in terram obliuionis. Hæc vox in auri-  
bus misericordie tuæ sonet, vt tuam, non  
carnis faciam voluntatem, & omnis mens  
mea te meditetur, in te delectetur, te sequa-  
tur, te confiteatur, qui redemisti me.

In æternum misericordia tua est, & in mi-  
sericordia tua reuixi perdita peccatis, & sur-  
rexi à mortuis; quoniam segregasti me à pec-  
catis adolescentiæ meæ, & egi pœnitentiam  
coram te, quia seruasti mihi tempus conuersi-  
onis, & considerans peccata mea compuncta-  
lum, & te inspirante egi pœnitentiam coram  
te. Læta iam inde tibi nunc & semper innu-  
meras gratias refero; quia vt inuenirem te, tu  
prius quæsiuisti me; vt redirem ad te, tu com-  
pulististi me; vt verberarer, tu pius pater respe-  
xisti; vt confiterer, tu es operatus, & vt me  
recognoscens plangerem, tu dedisti mihi.

Pone Domine lachrymas meas in conspe-  
ctu tuo, & perueniat ad te in cœlum depre-  
catio mea. Adesto precor & subueni, atq; in  
manibus tuis commendatam tibi me ipsam  
fulcipe, liberans me de ore sæuisissimi Draco-

nis, &

nis, & de manu atrocissimi inferni, cum acceperis me, vt auferas de medio vmbrae mortis, imò deduces in semitam lucis, in clarissimam regionem viventium. Colloca me in caulis tuissimis gregum tuorum, quia tu es pastor bonus, quaerens & reducens perditam, tueris & saluas inuenias, sanas & foues languida.

Et tu es misericors Dominus, qui sperantes in te non confundis: requirentes te non derelinquis: reuertentes ad te non respicis: sed exultando & laudando suscipis, atque in aeterna beatitudine, vnâ cum sanctis & electis tuis aeternaliter regnare concedis, quia est tibi cum aeterno Patre & Spiritu sancto vna Deus, gloria, virtus, imperium & potestas in seculis seculorum, Amen.

*ALIA QVA PETITVR REMISSIO peccatorum.*

Granatenſis lib: 5 Memorialis.

**O** Pater omnipotens, aeternae Deus, totus pius, totus misericors, ecce ego peccator omnium miserrimus, ante pedes tuos humi prostratus iacens confiteor maxima, plurimâq; peccata mea, quibus te vnquam, benignissime Pater, offendi. Agnosco magnam ingratiitudinem meam, quòd tam paupendi inanita, inestimabiliaq; beneficia tua, mihi haecenus collata: vt qui inter alia tantum mihi amorem, tantamq; benignitatem exhibuisti, & tam longo me tempore expectasti, vt conuersus ad te poenitentiam agerem, & in

profundam Erebi abyssum non ruerem; pro-  
ut peccata mea iam antea sæpè meruerant;  
imò qui me tot modis ad iustitiam sectan-  
dam inuitasti, & vt sequi te possem gratiam  
tuam mihi obtulisti.

Mi suauissime Domine, quoties stetitisti an-  
te ianuam cordis mei, & multifariis tuis inspi-  
rationibus pulsasti, cupiens à me tibi aperiri?  
quoties tuis me beneficiis prouocasti? quoti-  
es blanditiis tuis me pellexisti? quoties me  
tribulationibus & calamitatibus impulisti?  
nihilominus te semper à me repuli, tibi resti-  
ti, tibi dorsum obuerti: tu tamen pro infinita  
tua misericordia atque patientia me sustinu-  
isti. Fateor Domine, iuste & pro meritis meis  
me in profundum inferni deturbare potu-  
isses: sed pro tua clementia iræ tuæ impetam  
cōhibuisti, quam tamen tot modis in me pro-  
uocaueram. Mirandum profectò Pater, &  
quidem vehementer mirandum est, cor me-  
um dolore non disrumpi, quoties hæc omnia  
mecum perpendo. Indignus sum, qui creatu-  
ra tua dicar; indignus, quem terra diutius su-  
stineat; indignus, cui terra fructus producat,  
quibus victitem.

Ad stuporem vsq; mirari meritò quis pos-  
set, quòd elementa, & omnes simul creaturæ  
in me non insurgunt, & iniuriam communi  
omnium Domino à me illatam non vindi-  
cant. Tu tamen clementissime Pater misere-  
re mei, & aperi mihi infinitæ tuæ pietatis vi-  
sceras ignosce mihi, quòd conuersionem me-

am ad



am ad te tam diu prorogavi. Aperi mihi benignum & paternum pectus tuum, & da mihi nutrimentum, quod filis tuis dare consueuisti. Supplex te oro Domine, vel nunc tandem operare in me, propter quod me hactenus expectasti.

Confiteor tibi Domine ex toto corde, & ex tota anima mea, peccatorum omnium, qui in mundo sunt, me maximum esse: nihilominus de tua bonitate confido. Etenim peccata mea licet plurima sint, tuæ tamen miserationes numerari non possunt. O Pater amantissime, si vis, potes me mundare: Sana me Domine, & sanabor, quoniam me tibi peccasse confiteor: Memor esto verborum tuorum, quæ dulciora sunt super omne mel & fauum, quibus peccatori nullum esse potest maius solatium: ais enim per os Prophetæ: *Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.*

Quare ô pie Pater, huic tuæ promissioni inhærens, atque innixus, conuerto ad te: & quidem ex toto corde, non aliter atque me hoc verbo solum vocasses, meque solum ad tuam misericordiã inuitasses. Scio Domine & fateor me omnium creaturarum creaturã esse miserimã: ego enim sum filius ille prodigui, qui recessi a te patre luminum, à quo omne mihi bonum proueniebat: ego tanquam ouis perdita longissimè à tuo grege aberravi: gratiam quam tu mihi liberaliter impertieras, turpiter dissipavi. Dereliqui te

fontem aquæ viuæ, fodi mihi cisternas, & bibi aquas turbidas, plenas amaris consolationibus, & quæ breui tempore exsiccantur. Omnes enim consolationes, omnesque huius mundi voluptates instar fumi euanescent.

Dereliqui te panem vitæ, glandesque ac siliquas à porcis conculcatas, & protritatas comedi, passiones & affectus animi inordinatos, brutosque appetitus meos secutus. Recessi à te summo bono, secutusque tum terrena & transitoria, quæ nunc perdidit. Nunc autem, Pater mi, tibi supplico, ne memineris iniuriarum, quibus ego tuam Maiestatem affeci, illud autem non meorum supplico respectu meritorum; sed laborum atque dolorum vnigeniti filij tui intuitu, quos ille pro me sustinuit.

Et tu vnigenite summi Patris filij, Domine & Saluator mi, miserere mei. Omnes meas iniquitates, omnem iniuriam, ignominiam, iram, superbiam, auaritiam, inobedientiam, impudentiam, præsumptionem, cum omnibus aliis malis, quibus te irritaui, in infinitam tuam bonitatem, clementiam, & sanctissimam vulnera tua, in meum refugium latè potentia, projicio, me totum tibi reddo, tuæque gratiæ commendo. Tu enim es spes mea, tu es auxilium & fortitudo mea. Quantum me turbant & confundunt mea peccata, tantum me exhilarat & consolatur tua bonitas, infinitaque passionis tuæ merita.

Peccata mea licet per se pondere sint gra-  
uia,

uia: & numero infinita, in comparatione tamen tuarum miserationum leuia sunt, & pauca, hac fretus fiducia ad te venio, tibi confiteor, sperans quod non perdes, quam ad tuam imaginem & similitudinem creasti, & cuius amore te nostræ naturæ, carnisque & sanguinis nostri fecisti participem. Spero me à te condemnatum non iri, quem tot laboribus & doloribus tanquam incomparabili pretio redemisti tu: qui viuis & regnas per omnia secula seculorum, Amen.

*ALIA DEVOTISSIMA PRO PECCATORUM REMISSIONE.*

Ex hortulo deuotionis.

○ Iesu mi dilectissime, ego sum miser & infelix ille peccator, qui tibi tot vulnera infixi, teque rursus peccatis meis, heu nimis multis & magnis, crucifixi. Ecce ante te iudicem, patrem tamen meum, isto, tot criminum reus, tot peccatis obnoxius, oblectans te per viscera misericordiæ tuæ: aperiantur denuò vulnera tua omnia in conspectu patris tui, & fluant in miseram, immundam & criminibus multis turbatam animam meam, neque obstruantur priusquam me abluerint & perfecte mundauerint.

O dulcis Iesu, ne auertas faciem tuam à me: sed infinita misericordia tua me perfunde, & respice me oculis tuæ pietatis, quibus respexisti Mariam Magdalenam in conuiuio. Pe-

trum in Pontificis atrio, & latronem in crucis patibulo. Da mihi veram cognitionem meorum peccatorum, da iustum dolorem; me in paradifum tuæ gratiæ recipe, me tuo feruente fanguine laua, & pretiofa tua morte me viuifica. Ignofce mihi, & aufer à me quicquid cor meum malè poffidet; quia tu ipfe dixifti: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipfum.

Quapropter oro te, ô redemptor animæ meæ, trahè me ad te, & ab occultis meis munda me. O lux vera, illumina tenebras mentis meæ. O ignis confumens, exure in me omnia peccata & vitia mea; veni & visita infirmam animam meam, munda confcientiam meam, & in ea gratum tibi fac habitaculum, O dilectiffime Domine, pro me in arbore crucis extenfe, è peccatorum meorum fordibus me trahè, me amplectere, me ab omni peccatorum macula mundatum exofculare. O nobilis botre in torculari crucis exprefse, nudis & candidis, fanguine tamen rubicundis brachiis tuis; animam meam preme, da vt premaris viciffim ab ea, & tanquam myrrhæ falciculus inter vbera illius commoreris. O confixe & tranfixe miles, quàm crudeliter in bello pro me fufcepto vulneratus es, quàm fortiter, ô mundi Dæmonifque triumphator, pro me pugnafti, qui morte tua mortem deuicifti, & pretiofo fanguine tuo omnia totius generis humani peccata expiafti. Heu quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuifti



mihî ? Modicum illud quod habeo id totum tibi offero , spiritum scilicet meum , vt in eo quiescas , animam meam , vt te diligat , corpus meum , vt tibi seruiat.

O nobilis Pellicane , qui pullos tuos proprio cordis tui nutris sanguine , animam meam fame ac siti spirituali deficientem , eia refice , vt illi nihil aliud sapiat , nihil aliud cupiat , quàm carnem tuam edere , & sanguinem tuum bibere. O mellifue celestium deliciarum torrens , perfue omnia interiora mea , inebria me , & da , vt omnibus creaturis mortuus tibi soli viuam. O præclarum incomprehensibilis Trinitatis speculum , in quod desiderant Angeli & Sancti omnes prospicere , heu quàm miserè propter me tractatus es ? non est species neque decor in te , factus es opprobrium hominum , & abiectio plebis. Eia fac me participem incomparabilis illius thesauri lytri pretiosi , quo me redemisti : aperi meritorum tuorum ærarium , & solue vniuersum debitum meum . fac me talem in hoc seculo , qualem habere vis in futuro , vbi tu regnas cum Patre & spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum ,  
Amen.

## SEPTEM PSALMI

Pœnitentiales, cum Litanijs.

*Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra,  
 vel parentum nostrorum, neque Scindictam su-  
 mas de peccatis nostris.*

## PSALMVS 6.

**D**omine ne in furore tuo arguas me: nec  
 in ira tua corripas me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus  
 sum: sana me Domine, quoniam conturba-  
 ta sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Do-  
 mine viquequò?

Conuertere Domine, & eripe animam me-  
 am: saluum me fac propter misericordiam  
 tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit  
 tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lauabo per sin-  
 gulas noctes lectum meum: lachrymis meis  
 stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inue-  
 teravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini ini-  
 quitatem: quoniam exaudiuit Dominus vo-  
 cem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem me-  
 am: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer  
 omnes

omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter. Gloria patri, &c.

*Psalmus 31.*

**B**Eati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Veruntamen in diluuiio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

In chamo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : ipe autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti : & gloriamini omnes recti corde. Gloria Pat. &c

*Psalms 37.*

**D**omine ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus graue grauatae sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ : à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliatus nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum : & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei : aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè steterunt :

& vim



& vim faciebant, qui quærebant animã meã.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebã: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens; & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ. Gloria Patri, & Filio, &c.

*Psalms 50.*

**M**iserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à pecca-

peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientie tue manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiā: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus saluus mex: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus:

cor contritum, & humiliatum, Deus non despicias.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos. Gloria patri, &c.

*Psalmus 101.*

**D**omine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cinis aruerunt.

Percussus sum vt scannum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus cordis mei, adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilaui: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Quia cinis in tanquam panem manducabam: & petram in sum cum fletu miscebam.

A facie ira indignationis tuæ: quia eleuauit diluuium me.

Dies mei sicut umbra declinauerunt: & e-

go sicut foenum arui.

Tu autem Domine in eternum permanes;  
& memoriale tuum in generatione, & gene-  
rationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tem-  
pus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides e-  
ius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine:  
& omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion: & videbi-  
tur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non  
spreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: &  
populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Do-  
minus de cælo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt sol-  
ueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion nomen Domini: &  
laudem eius in Hierusalem.

In conueniendo populos in vnum: & Re-  
ges, vt seruiant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucita-  
tem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorū:  
in generatione, & generationem anni tui.

Iniitio tu Domine terram fundasti: & ope-  
ra manuum tuarum sunt cæli,

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & om-  
nes sicut vestimentum veterascent.



Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij seruatorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigitur. Gloria Pa.

*Psalmus 129.*

**D**E profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius. Gloria patri, & Filio, &c.

*Psalmus 142.*

**D**omine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua, exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam:

am : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris , sicut mortuos seculi : & anxius est super me spiritus meus , in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum , meditatus sum in omnibus operibus tuis : & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine : defecit spiritus meus

Non auertas faciem tuam à me : & similis ero descendentibus in lacum,

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam , quia in te speravi.

Notam fac mihi viam , in qua ambulem : quia ad te leuavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis , Domine , ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam , quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Domine , viuificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria Patri , & Filio , &c.

*Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra ,  
Sed parentum nostrorum , neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

## LITANIÆ.

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie  
eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria,

Sancta Dei genitrix,

Sancta virgo Virginum, Ora pro nobis.

Sancte Michael,

Sancte Gabriel,

Sancte Raphael,

Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate  
pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines,  
Orate pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista, Ora.

Omnes sancti Patriarche & Prophete, Orate.

Sancte Petre, Ora.

Sancte Paule. Ora.

Sancte Andrea, Ora.

Sancte Iacobe, Ora.

Sancte Ioannes, Ora.

Sancte Thoma, Ora.

Sancte Iacobe, Ora.

Sancte Philippe, Ora.

Sancte Bartholomæe, Ora.

Sancte Matthæe, Ora.

Sancte Simon, Ora.

San-

Sancte Thadae,	
Sancte Matthia,	
Sancte Barnaba,	
Sancte Luca,	Ora.
Sancte Marce,	
Omnes sancti Apostoli & Euangeliste,	Orate.
Omnes sancti discipuli Domini,	Orate.
Omnes sancti Innocentes.	Orate.
Sancte Stephane,	Ora.
Sancte Laurenti,	
Sancte Vincenti,	
<i>Sancte Adalberte,</i>	
<i>Sancte Stanislæ,</i>	Ora.
<i>Sancte Venceslæ,</i>	
<i>Sancte Floriane.</i>	
Sancti Fabiane & Sebastiane,	Orate.
Sancti Ioannes & Paule,	Orate.
Sancti Cosima & Damiane,	Orate.
Sancti Geruasi & Protasi,	Orate.
Omnes sancti Martyres,	Orate.
Sancte Syluester,	Ora.
Sancte Gregori,	
Sancte Ambrosi,	
Sancte Augustine,	
Sancte Hieronyme,	
Sancte Martine,	Ora.
Sancte Nicolae.	
<i>Sancte Casimire,</i>	Ora.
Omnes sancti Pontifices & Confess:	Orate.
Omnes sancti Doctores,	Orate.
Sancte Antoni,	Ora.
Sancte Benedicte,	

San-



Sancte Bernarde,	
Sancte Dominice,	Ora
Sancte Francisce,	
<i>Sancte Hyacinte,</i>	<i>Pra.</i>
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ.	Orate.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ,	Orate.
Sancta Maria Magdalena,	Ora.
Sancta Agatha,	
Sancta Lucia,	
Sancta Agnes,	
Sancta Cæcilia,	Ora.
Sancta Catharina,	
Sancta Anastasia,	
<i>Sancta Brigitta,</i>	<i>Ora.</i>
<i>Sancta Elizabeth,</i>	
<i>Sancta Hedwigis,</i>	
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ,	Orate.
Omnes sancti, & sanctæ Dei,	Intercedite.
Propitius esto,	Parce nobis Domine.
Propitius esto,	Exaudi nos Domine.
Propitius esto,	Libera nos Domine.
Ab omni malo,	Libera.
Ab omni peccato,	Libera.
Ab ira tua,	Libera.
A subitanea, & improuisa morte,	Libera.
Ab insidiis Diaboli,	Libera.
Ab ira & odio & omni mala voluntate,	Lib.
A spiritu fornicationis,	Libera.
A fulgure, & tempestate,	Libera.
A morte perpetua,	Libera.
Per mysteriu sanctæ Incarnationis tuæ,	Lib.
Per Aduentum tuum,	Libera.
	Per

Per Natiuitatem tuam,	Libera.
Per Baptismū & sanctū Ieiuniū tuum,	Libera.
Per crucem, & passionem tuam,	Libera.
Per mortem, & sepulturam tuam,	Libera.
Per sanctam resurrectionem tuam,	Libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam,	Libera.
Per Aduentum Spiritus S. Paracleti,	Libera.
In die Iudicij,	Libera.
Peccatores,	Te rogamus audi nos:
Vt nobis parcas,	Te rogamus.
Vt nobis indulgeas,	Te rogamus.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,	Te rogamus.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere, & conseruare digneris,	Te rogamus.
Vt Dominum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris,	Te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,	Te rogamus.
Vt Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris,	Te rogamus.
Vt cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris,	Te rogamus.
Vt nosmetiplos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris,	Te roga-
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,	Te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,	Te rogamus.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum,	& be-

& benefactorum nostrorum, ab æterna  
 damnatione eripias, Te rogamus.  
 Vt fructus terræ dare, & conseruare digne-  
 ris, Te rogamus.  
 Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æter-  
 nam donare digneris, Te rogamus.  
 Vt nos exaudire digneris, Te rogamus.  
 Fili Dei, Te rogamus audi nos.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce  
 nobis Domine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi  
 nos Domine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Misere-  
 re nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie  
 eleison. Christe eleison. Kyrie eleison Pater.

*V. Et ne nos inducas in temptationem.*

*R. Sed libera nos à malo.*

PSALMVS 69.

**D**Eus in adiutorium meum intende: Do-  
 mine ad adiuuandum me festina.

Confundantur & reuereantur: qui quæ-  
 runt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui  
 volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui di-  
 cunt mihi euge euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quæ-  
 runt te: & dicant semper, magnificetur Do-  
 minus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: Deus ad-  
 iuua me,

Adiuutor meus, & liberator meus es tu; Domine ne moreris. Gloria Patri, & Filio, &c.

✠: Saluos fac seruos tuos:

R. Deus meus sperantes in te.

✠. Esto mihi Domine, turris fortitudinis:

R. A facie inimici.

✠. Nihil proficiat inimicus in nobis.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

✠. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

✠. Oremus pro Pontifice nostro N. R. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

✠. Oremus pro benefactoribus nostris.

R. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam.

✠. Oremus pro fidelibus defunctis. R. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

✠. Requiescant in pace. R. Amen.

✠. Pro fratribus nostris absentibus.

R. Saluos fac seruos tuos Deus meus, sperantes in te.

✠. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

✠. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.



*Oremus,*

**D**Eus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

**E**Xaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

**I**neffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à poenis, quas pro his meremur, eripias.

**D**Eus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

**O**mnipotens sempiternæ Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

**D**Eus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

**V**Re igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt sibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

**F**idelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur.

**A**ctiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cepta finiatur.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris, simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens seculum, adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum, Amen:

ψ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

ψ. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℞. Amen.

ψ. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℞. Amen.

## C A P V T X.

*DE REMEDIIS AD VITÆ  
emendationem pleniorẽ idoneis.*

*Adiumenta generalia ad Vitæ emendationem  
cum primis conducentia*

1. Ad remedia emendationis vitæ tuæ, adiumentaq; executionis boni illius propositi, de quo initio diximus, prodest in primis, fugere occasiones, quæ ad tale peccatum solent inducere: vt ludos, malas societates, familiaritatem personarum suspectarum, ad spectum oculorum, colloquia praua, lectionem librorum lasciuorum, & id genus alia.

2. Iuuat plurimum in principio diligenter resistere tentationibus, excutiendo à te scintillam prauæ cogitationis, antequam intret & accendat cor. Quod fieri potest, si subito recurras ad orationem, vel nomines sanctum nomen IESU, vel signes te signo sanctæ Crucis, vel subito ante oculos subiicias imaginem crucifixi Christi, pro peccatis tuis vulnerati; & sanguine manantis, vel è vestigio implores opem B. Virginis.

3. Iuuat frequens auditio verbi Dei, & piorum librorum lectio.

4. Prodest si quando senserit homo rebellionem carnis, asperè & durè tractare corpus, tum dormiendo, edendo, bibendo, tum etiam in alijs rebus, quæ illi afferre possent voluptatem.

5. Fuga ocij necessaria est, quod origo & fomes est vitiorum omnium.

6. Efficacissimum est remedium, frequens vsus Sacramentorum, confessionis & pœnitentiæ.

7. Plurimum etiam iuuat Dei & Angeli custodis semper habere præsentiam in oculis, & ita quasi coram pædagogis cœlestibus conuersari.

8. Similiter iuuat Christi passionem frequenter considerare. Sanctorum vitas sæpè legere; & maximè omnium, Nouissima sua diligenter meditari: Sic enim in æternum non peccabis, ait Sapiens.

*REMEDIA VARIA PARTICVLARIA, ad diuersa, Vel peccata fugienda, Vel bona Virtutum consequenda.*

*REMEDIA AD HÆRESIS PERICULUM DECLINANDUM, & Orthodoxam fidem conseruandam.*

1.

**P**Rimò, humilitatem ex animo colere. Sicut enim impossibile est hæreticum non esse superbum, vt qui iudicium suum totiùs Ecclesiæ iudicio præponit: ita fieri non potest, vt humilis labatur in hæresim, nisi humilitatem abijciat. Psal: 35. *Non Veniat mihi per superbia, & manus peccatorum non moueat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: ibi, hoc est, in pede superbiæ, ait D. Augustinus.*

2.

Frequens vsus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Quia enim per hæc Sacramenta, & maximè per Eucharistiam, non solum



solùm fides confirmatur ; sed ipsius etiam gustus confertur , vt gustemus & videamus , quàm suavis sit Dominus ; fit per crebram communionem , vt homo non modò credat , sed quodammodo sapiat & experiatur vera esse , quæ fides proponit. Atque hoc est , quod Christus dicit , Ioan : 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: hoc est, perueuerabit in Ecclesia mea, & Spiritus meus manebit in eo.*

## 3.

Frequenti meditatione exercere se , in consideratione charitatis Dei in genus humanum , quam ex innumeris beneficiis nobis collatis tantam esse constat , vt intellectum excedat & Angelorum & hominum. Huic sanè charitati non est consentaneum , mundū vniuersum sine fide , sine vero Sacramentorum vsu , sine recta intelligentia scripturarū , mille quingentis annis , in summis relictum fuisse erroribus : donec vnus Apostata Monachus , qui , ruptis castitatis , & alijs religionis votis , sanctimoniam Deo consecratam atq; velatam , sacrilegi sibi nuptijs iunxit , tam diuturni erroris & falsitatis orbem vniuersum , argueret ? damnatis tot sanctis Patribus , qui & miraculis , & vitæ sanctimonia claruerunt ; cum iste & miraculum nullum ediderit , & fateri in publica ad populum concione non erubuerit , se dæmonem probè nouisse , & ab eo vicissim benè cognitum esse , cum eoque

plus quàm modium talis comedisse (quod longæ familiaritatis est argumentum) imò scriptis libris testatum posteris reliquerit. Lib: de Miss. angulari, Tom: 7. editionis Witembergensis, fol: 128. Diaboli secum nocte disputantis argumentis se conuictum, sacrificium Missæ de medio sustulisse.

Perpendere diligenter, & seriò promissiones Dei Ecclesiæ factas: quæ tantæ sunt, vt ijs cognitis nullus sit reliquus errori locus.

Est enim *primò*, 1. Tim: 3. Ecclesia firmamentum & columna veritatis; hoc est, quæ non solum veritatem secum habet, sed quæ sola veritatem, ad instar columnæ & firmamenti, sustentat, & aperte omnibus demonstrat. Vnde, sicut nullus error fidei in doctrinam Ecclesiæ potest irrepere: ita neq; extra Ecclesiam est veritas sine errore.

*Secundò*: Ecclesia in doctrina morum errare non potest: cum sit à fidelibus, in qualibet admonitione, instructione, & reprehensione sic audienda: vt qui eius monitis obtemperare nollit, grauissima pœna, quæ mortalibus infligi potest, sit afficiendus: nempe excommunicationis gladio à Christi corpore separandus. *Si* (ait Dominus Matthe: 18.) *Ecclesiam non auderit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

*Tertiò*: Ecclesia est Christi sponsa. Sponsam autem nihil potest latere arcanorum sui sponsi.

*Quarto: Est corpus Christi, eodem Spiritu sancto afflatum. Quare neque à capite separari potest, (Ego, ait Matth: 28. Sobiscum sum omnibus diebus, &que ad consummationem seculi.) neque ignorat mentem sui capitis, si idem sit capitis & corporis spiritus. Nemo (ait Apostolus: 1. Cor: 2.) nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Nos autem Spiritum Christi habemus. Et Rom: 8. Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Vnde & Dominus promisit, Ioan: 16. se Ecclesiæ daturum paracletum Spiritum, qui eam doceret omnem veritatem.*

*Quinto: Ecclesia est congregatio, non occulta & latens, sed aperta: sicut ciuitas supra montem posita, Matth: 5. & candelabrum, vt omnes, qui in domo sunt, lumen videant: id est, vt ab omnibus videri possit: tam ijs, qui ad fidem Christi conuertuntur, vt sciant quò sit eundem, & à quò sit fides petenda; quam ijs qui sunt in Ecclesiam admissi, vt sciant in dubijs quæ sit consulenda, & in doctrina quæ sit audienda: Dic, inquit Matth: 18. Ecclesia, & si Ecclesiam non audierit, &c.*

*Sexto: Ecclesia hoc modo in monte fundata, & in luce constituta, non est vnus anni, nec vnus seculi, sed omnium dierum atque annorum, vsque ad consummationem seculi Super hanc petram (ait Matth: 16.) adificabo Ecclesiam meam, & porta inferni non preualebunt aduersus eam, hoc est, firmissimè eam collo-*

cabo: aduersus quam, tamen si omnis industria sapientia atque potentia dæmonum sit insurrectura, nunquam tamen præualebit vt eam deiiciat. Si igitur hæc Ecclesia habeatur tam illustribus priuilegijs instructa, quæ neq; errare, neq; errores in doctrina fidei vel morum docere, neque superari possit vlla vi aut arte: quæ scripturas, & verba optimè nouerit, atq; intelligat sponsi sui, quæq; Spiritu eodem cum suo capite, & sponso sit imbuta: non est locus hæresibus: quia in omni dubitatione recurrendum erit ad Ecclesiam: iuxta Christi præceptum: Matth. 18. *Dic Ecclesia.* Et Luc: 10. *Qui vos audit, me audit.*

Sed vbi sit ista Ecclesia quæritur. Hoc sanè ex scripturæ verbis apertè constat, talem aliquam esse, & à Christi temporibus extitisse, atque ad consummationem vsq; seculorum mansuram, qualem iam descripsimus. Vbi autem illa hæctenus fuerit, & quænam illa sit, etiannù his duobus indicijs ostendi potest.

Primo quidem ex omnium Christianorum cuiusuis status & nationis vnanimi consensu. Sicut enim Romanam urbem eam agnoscerimus, quæ ad Tyberim; Parisiensem, quæ ad Sequanam; Coloniensem, quæ ad Rhenum est posita: quia hæctenus mundus vniuersus has vrbes pro talibus habuit: Ita, si quæ Ecclesia pro vera & Catholica Christi Ecclesia ab orbe vniuerso 1500. annis est habita, ea certè pro tali nobis est veneranda. Et sicut si post tanti temporis totius orbis confirmationem,

quispi-



quispiam aliud oppidum, à paucis annis ex-  
 ædificatum, tibi veram illam & antiquam  
 Coloniam esse diceret, antiquorù Imperato-  
 rum priuilegijs & libertate celebrem, adeò  
 nihil persuaderet, vt etiam tanquam insanum  
 ridendum & explodendum se proponeret: ita  
 qui post 1500. annos, aliam tibi Ecclesiam  
 demonstrare conatur, à paucis annis coactam  
 eamq; docere veram illam esse Ecclesiam,  
 quam Christus innumeris priuilegijs dona-  
 uit: errasse autem omnes qui 1500. annis  
 hunc cœtum non agnouissent: non solum  
 audiendus non est, sed pro insano habendus,  
 tum, quòd vniuersum orbem præ se erroris  
 accuset: tum, quòd recenti & nuper nato con-  
 uentui tantam antiquitatem tribuat.

Ex his facile videre est, quænam sit vera  
 Ecclesia, quia ante annos 80. cum necdum  
 vllus ex alijs cœtibus natus esset, vbicunq;  
 per orbem Christianum, potissimum verò vbi  
 nunc nouæ sectæ vigent, si quis de vera Ec-  
 clesia quæ fuisset, nulla alia quàm Ecclesia  
 Romana ostensa fuisset.

Posteriori verò indicio idem ostenditur, ex  
 dictis superius priuilegijs, Ecclesiæ suæ à Chri-  
 sto relictis. Si enim quæras Ecclesiam hodie,  
 quæ sit, aut fuerit aliquando per orbem vni-  
 uersum diffusa vel agnita, & cuius origo con-  
 stanti & non interrupta successione ad Chri-  
 stum & Apostolos, deduci possit: nullam in-  
 uenies aliam, quàm Romanam. Sicut enim  
 nos credimus, ita crediderunt maiores nostri

ab annis 100. ab annis 200. 300. 400. vique ad annos 1560. neque demonstrare potest, quando primum, vel à quo sit fides nostra violata aut mutata. At verò sicut credunt nouæ sectæ Lutheri, Buceri, Caluini, &c. ante 70. annos nusquam in orbe creditum est: cum omnibus constet, Martinum Lutherum anno 1517. errores istos primùm excogitasse & inuexisse. Atque etiam hodie errores isti angustiis certorum locorum continentur: Lutheranismus Germania: Calvinismus, Gallia & Anglia: Zuinglianismus, Heluetia: extra Europam autem neque sunt, neq; fuerunt vnquam vel de nomine cogniti.

## 5.

Vitare lectionem librorum vitiorum, & hæreticorum conciones, familiaritates atque colloquia *Hæreticum*, ait Tit: 3. Apostolus, *post vnam & secundam correptionem deus est.* Quia vt verba loquentis vim habent mouendis: Ita scripta ad permouendū maiore artificio sunt elaborata: Legendi potius sunt sacri Doctores, quos constat vitæ sanctitate & eruditione præcelluisse, & frequenter miscendi sermones cum doctis & pijs. Quia tamen in tanta multitudine hæreticorum, fieri vix potest: vt non aliquando cum illis agamus: in promptu habendæ sunt rationes, quibus auitam fidem Ecclesiæ tueamur: *Parati* (inquit Apostolus 1. Petr. 3.) *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea qua in vobis est spe.* Non quòd necessum sit, à singulis articulis

con-

controuerfis omnes esse instructos, ita quod expediat generales quasdam nouisse solutiones communium argumentorum. Veluti si obijciant, in sacris literis non haberi inuocandos esse sanctos, venerandas imagines, abstinendum à carnibus, aut aliquid eiusmodi, nō ergo ista esse facienda: nos contra obijciamus & quidem efficacius: hæc sacris literis non prohiberi, atque sine peccato fieri posse: quia ubi non est lex, ibi nec præuaricatio, Rom: 7.

Item si dicant, nihil esse fide tenendum, nisi quod sacris literis continetur: nos contra dicamus, si hoc admittatur, manifestè sequitur Euangelium secundum Matthæum non esse à Spiritu sancto dictatum: quia nusquam in vniuersa scriptura habeatur hoc Euangelium vel esse dictatum à Spiritu sancto, vel esse in Catalogo librorum sacræ scripturæ. Hęc enim obiectio illos eò ducet, vt fateri cogantur, aliqua esse recipienda atq; credenda quæ scriptura sacra non contineantur, sed ea tantum reiicienda, quæ cum scriptura sacra aperte pugnant.

Si verò eiusmodi aliqua loca scripturæ ab ijs adferantur, quæ videantur aduersari doctrinæ Ecclesiæ: si quando Catholicorum Patrū expositio non occurrat, hæc vna solutio sufficiet, scripturas illas dogmatibus Ecclesiæ nō esse contrarias, quantumuis prima fronte videantur. Nam licet earum genuinam explanationem ad manum non habeamus (sunt enim-

nim scripturæ difficiles, & studio egent quod non est omnium) ante multas tamen annorum centurias, priusquam hæresis in orbem venisset, Catholicos Doctores per vniuersum orbem scripturas istas sic ad mentem Christi intellexisse, vt nihil planè cum doctrina Orthodoxa Ecclesiæ, quam ijdem ipsi tuebantur, pugnarent. Rursus si quærant, cur libeat tanto tempore in antiqua ista Ecclesia hære, cum potius sint eligenda noua, quam vetera.

Dicendum *primò*: non omnia vetera abijcienda esse, neq; omnia noua veteribus præferenda. Aurum vetus præfertur nouo; & si senex manum suam veterem amputare velit, non inueniet aliam commodiorem; etiam si argenteam aut auream substituatur.

Dicendum *secundo*: quò velint nos relicta Romana Ecclesia abire, ad Lutheri, aut ad protestantium, vel ad Calvinistarum, an ad Anabaptistarum sectam? Hi enim ex æquo omnes Romanam Ecclesiam damnant, & veram scripturarum intelligentiam iactant.

*Tertio*: quæ sit ratio, cur illi nos velint antiquam fidem deserere? quid apud ipsos præclarum sit quod nos ad mutationem tanti momenti, vnde animæ salus dependet, mouere debeat? Nam si vitia spectes superiorum: sci- mus Christum præmonuisse, Matth: 23. *Quicumque dixerint, seruate & facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* neq; tantæ sunt hæreticorum Ministrorum virtutes, vt iis ma-  
gnopere



gnopere cedant mores sacerdotum Catholicorum; quia potius incorruptus arbiter maiorem vitæ integritatem atq; doctrinam in Romana Ecclesia, quam in vllis sectis, deprehendet. Si scripturarum intelligentiam consideres: ante exortas hæreses, Ecclesia, quæ scripturas habuit, earum etiam intelligentiam habuit. Cur ego ab Ecclesia scripturarum libros accipiam, & eorundem intelligentiam non accipiam? Cur credam dicenti, hoc esse verbum Dei; & non credam docenti, hunc esse sensum verbi Dei? Cur credam in numero librorum, & non credam in sensu librorû? Sanè in die iudicij, coram Christo seuro iudice, securior erit Catholicus quouis sectario.

Ponamus enim falsa esse, quæ Romana Catholica Ecclesia credit in exacto illo iudicio, cum Christus quæret. Cur ita de me meique Sacramentis credidisti, securè respondebit Catholicus.

Primò. Quia Ecclesia per vniuersum orbem nos ita docuit, quam tu audiendam iulsisti,

Secundò. Quia nos ita docuerunt maiores nostri, qui eandem fidem à suis se maioribus accepisse, & illos rursus à maioribus suis, ad Apostolorum vsque tempora, testati sunt: neque tempus scire potuimus vnquam, quo fides hæc quæ à te Apostolis tradita, ad nos vsque per manus venisse dicitur, vel minimo violata fuerit: maximè cum tu B. Apostolo Petro disertè promiseris, Matth: 16. *Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi*

*inferi non proualebunt aduersus eam: Et ascen-*  
*furus in cœlum dixeris: Matth: 28. Ego vo-*  
*biscum sum omnibus diebus & que ad consumma-*  
*tionem seculi.*

Tertiò. Quia viri illi, qui fidem illam nos docuerunt, & ad finem vsq; vitæ retinuerunt, clarissimi fuerunt, & eruditione, & morum probitate, quorum sanctitatem tu ipse miraculis comprobasti. Sanè ergo, si error in nobis fuit, tu Domine nos decepisti. Eorum enim vestigia, quorum tu vitam tibi placere declarasti, secuti sumus. Deniq; , quia nihil vidimus in doctrina fidei nostræ, scripturis & verbis tuis repugnans. Licèt enim aduersarij nostri multas nobis scripturas obiecerint: ita tamen illæ omnes à Doctoribus nostris ante multas annorum centurias declaratæ fuerūt, vt planè nihil cum doctrina Catholica pugnare viderentur. Quis autem eram ego, qui fidem tam antiquam, per totum orbem diffusam, tot miraculis illustratam, tanta omnium Catholicorum confessione seruatam, à tot Patribus explicatam, reijcere auderem, vel erroris arguere?

Contra, vbi ex sectario interrogabit Dominus: Et quid te impulit, vt relicto ouili meo, ad luporum gregem te conferres? quid poterit aderre: nisi Martinus Lutherus nos decepit, Calvinus seduxit, Bucerus peruertit? At rursum Dominus. Quid, inquiet, in his Doctoribus vidisti, quod te ad fidem mutandam, & Ecclesiam tot seculorum deserendam impelleret?

leret: Fortè miracula ediderunt, vel insigni sanctitate vigerunt? Atqui tibi per Apostolum meum dictum fuit: Gal: 1. *Si Angelus de caelo vobis Euangelizauerit, præter id quod accepistis, Anathema sit.* Si in religionis mutatione, nec Angelis est fides adhibenda, quantò minus hominibus, sine miraculorum testimonio, sine vitæ probitate? quales enim prædicti fuerint, nouit orbis vniuersus.

At dicet fortè hæreticus: Vidimus in Romana Ecclesia multos errores scripturis tuis non consentaneos. Sed Dominus iterum. Et à quo scripturas sacras accepistis? nonné à Romana Ecclesia? Illa autem totis 1500. annis tam socors fuisse in enarrandis scripturis credenda est, vt tanto tempore non aduertet, se cum scriptura pugnare? & si illa scripturas eo sensu exposuit, vt nihil cum auita fide pugnarent: cur tu nouas & inauditas expositiones secutus, vniuersum orbem erroris damnasti, & non potius Ecclesiæ fidem & explanationes secutus fuisti? Magis enim rationi consentaneum tibi esse debebat, illum esse verum scripturarum intellectum, quem per vniuersum orbem tot seculis docuit illa Ecclesia, quæ tibi scripturas tradidit: quam illū, quem post 1500. annos quiuis nouorum Doctorum, commentus est.

Qui candido animo ista præcogitaret, quæ certò certius post mortem ventura sunt, non facilè ad errores declinaret: sed veram retineret Romanam Catholicam fidem, sine qua

impos-

impossibile est placere Deo.

*REMEDIA CONTRA IVRANDI  
consuetudinem.*

**P**rimò considerare, si de omni verbo otioso sit ratio reddenda in die iudicij. Mat: 12. quantò magis de iuramento, per quod irrogatur insignis iniuria Deo, cum ad qualuis nugas vocatur in testem. Sicut enim vir grauis, ad nugas pueriles testis adhiberetur, si existimaret honoris sui non haberi rationem: ita Deus meritò indignatur, quoties rem quamlibet leuem sui nominis compellatione videt comprobari, quod sanctum est, terribile, & adorandum.

2. Cogitare, quòd in frequenti iuramento sit graue periculum periurij. Qui namque iuramenti assueuit, subinde per malam consuetudinem, etiam ea, quæ falsa sunt, iuramento confirmat. Omne autem periurium est mortale peccatum, adducens mortem æternam. Idem etiam quandoq; iuramento promittit, cuius postea pœnitet: sicut Herodi contigit, qui ne iusiurandum violaret, dedit saltatrici caput Ioannis Baptistæ.

3. Perpendere, quod nihil vtilitatis ex mala ista consuetudine oriatur. Quia (vrait B. Chryostomus Hom: 7. ad popul: Ant.) frequenter iuranti minus credi solet, etiamsi ferò iuret. Et longè facilius est, rem sine iuramento confirmare, quàm Sacramentum tam leuiter adhibere: Dæmon solus iuramenti

oble-



oblectatur, quòd per ea videat nomen sacram-  
tum Dei profanari.

4. Ex diuinis vltionibus, quæ iurantes &  
diuinum nomen blasphemantes sequuta fre-  
quenter fuerunt, metum assumere. Nam Le-  
uitici 24. Blasphemus iubetur lapidibus ob-  
rui. Nota est historia B. Gregorij lib: 4. dia-  
log: cap: 18. de puero quinquenni à dæmoni-  
bus è sinu patris ob crebra iuramenta sublato.

5. Si verò quis statuit hanc prauam iurandi  
consuetudinem deponere, proponat in septi-  
manas, aut menses aliquot, certam aliquam  
elemosynam pauperibus erogare: pro quoli-  
bet iuramento, in quod lapsus fuerit: atq; ne  
istius rei obliuiscatur, curet se à familiaribus  
moneri, quoties iurasse aduertetur. Si pau-  
per sit, aliam sibi pœnam imponat. Ita D.  
Chrysoftomus, Hom: 5. ad populum Antio:  
*Ego te, inquit, quendam docebo modum, quem si  
tenueris, superabis omnino. Cum videris teipsum,  
vel alium quemquam, vel seruorum, vel filiorum,  
vel uxorem, hoc malo capere, & continuè commo-  
nes factos, neque correctos, iube non pransos euba-  
re, & hanc tibiq; & illis damnationem impone,  
damnationem non damnium, sed lucrum ferentem.*

REMEDIA PRO HONORE PA-  
rentum & superiorum.

PRimum, vt cogitemus cuius loco sint su-  
periores, nempe loco Christi, quem repre-  
sentant, quemadmodum imago prototypum.  
Proinde sicut imagini Christi honorem orn-  
nem

nem habemus, aut potius Christo in illa: ita superioribus habendus est honor, talibus imaginibus conueniens, nempe non externa tantum reuerentia, sed obedientia, interno amore, & externo obsequio.

2. Considerare quanta parentes passi sint pro nobis: & quantum onus pro nobis sustineant Superiores. Hoc argumento monebat Tobias filium suum: Tob: 4. *Honorem habebis matris tuae, omnibus diebus vite eius, memor enim esse debes, quae & quanta pericula passa sit propter te in Sero suo.* Et B. Paulus Hebraeos, Heb: 13. *Obedite Praepositis Vestrīs, & subiaccete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus Vestrīs reddituri: Et cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Hoc enim non expedit Vobis. Qui tamen multa pro nobis sustinent, merito sunt honorandi à nobis. Nam licet mali superiores de iuis subditis sint parum solliciti, non ideo tamen minus onus sustinent reddendae rationis pro nobis: quod eò erit illis grauius: quò negligentius in curam ouium suarum incubuerint.*

3. Considerare mercedem honoris, parentibus & superioribus exhibiti. Si enim illi sint loco Christi, sanè quicquid illis praestatur, censet Christus sibi praestari, sicut quod fit Legato, fit domino Legati. Proinde, sicut mercenarius à famulo, nomine heri ad laborem vocatus, mercedem expectat à Domino, pro Domini liberalitate & operibus, non pro conditione & paupertate famuli: ita qui superioribus

ribus loco Christi obtemperat, amplissimam meritò expectare potest mercedem, pro diuitijs & liberalitate Christi. Et sicut ditissimus ac liberalissimus princeps, nihil patitur sibi, vel minimum gratis à quoquam potissimum verò paupere, fieri: ita Christus nullum opus, quantumuis exiguum, ex obedientia susceptum, sine amplissima mercede relinquet.

Qua ex re hæc duo sequuntur: *Primò*, meliorem esse subditorum, quam superiorum conditionem: vtiliusque esse subesse, & parere, quam iubere. *Secundò*, felicissimos esse eos, qui in omnibus suis rebus & actionibus à maiorum obedientia pendent, neque aliquid agunt vel aggrediuntur, nisi ex superioris voluntate. Sicut namque vtilissimum est mercenario, nihil operari, nisi ex præscripto Domini (quòd enim ex sua voluntate agit, non meretur mercedem à Domino, sed quod agit ex Domini præscripto) ita quicquid ex obedientia præstatur, mercedem peculiarem obedientiæ accipiet. Atque hinc est, quod præcepto de honorandis parentibus promissionem Dominus peculiarem adiunxerit. Ephes. 6. non solum præmij, post hanc vitam, sed etiam in hac vita: ut ostenderet, se esse illum, qui honoris & obedientiæ mercedem est daturus.

4. Considerare, quam grauius punierit eos Deus, qui parentibus aut superioribus honorem non habuerunt, sed molestiam exhibuerunt, iuxta scripturam: Eccii. 3. *Quam mala*

*fama est, qui derelinquit patrem; & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Primò: Cham irriso patre, maledictus est in sua posteritate, Gen: 7. Secundò, Elau inobediens parentibus, amisit nobilissimam benedictionem, Genes: 26. & 27. Tertiò: Filij Heli eodem die perierunt, 1. Reg: 4. Quartò: Absalon persequens patrem, ex arbore pendens confossus interiit, 2. Reg: 28. Quintò: Chore, Num: 16 Dathan & Abiron à terra absorpti sunt, propter murmurationem in Moysen. Sextò: Soror Moysis, eadem de causa leprâ percussa est. Num: 12-

5. Intueri reuerentiam Christi, quàm habuit, non tantùm patri cœlesti, cui fuit obediens usque ad mortem crucis, Phil: 2. sed etiam Matri & Ioseph: *Et erat* (ait scriptura, Luc: 2.) *subditus illis.* Matrem suam in hac vita repleuit gratia, & super mulieres omnes benedixit: post hanc vitam autem repleuit gloria, & super omnes creaturas collocavit: nempe amicitia Sole, Apoc: 12. hoc est, gloria Dei: & Lunam, id est, vniuersam Ecclesiam, tam cœlestem triumphantem, quàm terrenam militantem, subiecit sub pedibus eius, imponens capiti eius diadema stellarum duodecim, hoc est, dans ei gloriam omnem, quam habent sancti vniuersi in cœlo.

REMEDIA CONTRA DETRA-  
ctionis vitium.



Primum est, seipsum, vitiaque sua diligenter intueri. Sicut enim qui domi multis negotiis distinetur, non habet otium aliena curandi: qui autem alienis occupatur, aperte declarat vel non esse domi suæ quod occupationem requirat; vel sane, si sit, non recte curari. Ita qui diligens est inspector conscientia suæ; tam multa in ea reformanda inueniet, vt non sint illi curæ vitia proximorum: & qui alienis vitijs carpendis detinetur, ille indicat se negligentem esse suorum morum censorem. Nullus est enim detractor, nisi conscientia propriae negligens curator, & quo quis pluribus vitijs abundat, eo plura eaq; minutiora in alijs carpit.

2. Considerare, hoc peccatum detractionis non sola poenitentia deleri, sed sicut in furto non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; ita hic non tolli culpam, nisi fama ablata reddatur.

3. Considerare, detractorem esse causam peccati multorum. Quicquid enim ab auditoribus ex auditis referendo committitur, id totum à Deo detractori imputabitur. Quantum porrò, est numerus peccatorum, quando res ab vno narrata, à multis, varijs in locis, pluribus annis repetitur?

4. Cogitare, an vellet homo ea de se absente dici, quæ de altero narrat. Nam quæ tibi non vis fieri, alteri non feceris. Tob: 4.

5. Vtilitates detractionis cum ipsius incommodis conferre. Nam utilitas nulla est, nisi

fortè rifus inanis : incommoda autem sunt varia. Primò enim (ait D. Chryfoftom : Hom : 3. ad popul : Antioch. ) audientem peiorem fecifti , proximo calumnians : nam fiue peccator fit , fequior fit , peccati communicorem nactus : fiue iuftus fit , in arrogantiam tollitur & inflatur , ex aliorum peccato magna de feipfo sentire periuafus. Secundò : communem Ecclefie statum læfifti : non enim audientes omnes peccatorem folùm accufant , fed opprobria Chriftianorum genui infliguntur. Tertio : Dei gloriam blafphemari fecifti. Sicut enim nobis laudabiliter uiuentibus Dei nomen glorificatur : fic peccantibus blafphematur : & contumelia afficitur. Quartum malum , audientem confudifti : & fic impudentiorem reddidifti : inimicum & hoftem eadens. Quintum : Teiplum poenæ & catigationis reum fecifti , negotia nihil ad te pertinentia texens. Ne quis enim hoc mihi dicat , tunc detraho , quando falla dico. Nam fi vera dicens , male dixeris : & hoc crimen eft. Hactenus B. Chryfoftomus.

*REMEDIA CONTRA INANEM  
gloriam.*

**P**rimùm , Considerare , nihil utilitatis fequi ex inani gloria. Talis enim quifque eft , qualis coram Deo eft. Si quis vefperi , poftquam incubuit , apud fe cogitet , quid omnis elapfi diei gloria iam illi pro fit , inueniet nihil fe nifi vanitatem confequutum.

2. Considerare quod quærendo gloriam, amittatur gloria: fugit namq; gloria sequentem, & sequitur fugientem. Ideo omnis superbus & gloriosus est contemptibilis, & merito contemnitur: humilis autem exaltatur. Exempla in utroq; Testamento in promptu sunt in Aman, Lib: Esther. & Herode: Acto: 12. contra in Dauide, & B. Virgine.

3. Ex inani gloria magnum sequitur detrimentum: quia perit omnis bonorum operum fructus, vt dicitur Matth. 6. *Receperunt mercedem suam.* Nam sicut aues non relinquunt intactas carnes quas in aperto campo expositas viderent: nec latrones sine damno dimitterent viatorem, qui in sylua pecunias manu deferret: ita dæmones, qui bonis operibus insidiantur, illa nobis merita furantur, quæ per inanem gloriam exposita vident. Si autem non tanta sit inanis gloria, vt omnia merita boni operis perdat, vique adeo tamen est inimica virtuti omnis vana gloria: vt virtutis splendorem obfuisset etiam exigua: sicut qui in ardente sole, iter facit, non potest non colorari.

4. Considerare (vt ait B. Bernardus Ser: 3. in paruis sermonibus) hunc statum nostrum non esse honoris & gloriæ, sed contemptus potius, laboris, & exilij, inter vermes & bestias, in quo omnia nos ad humilitatem prouocant: corpus sordidum, multisq; malis obnoxium: tentatio dæmonis assidua: deniq; Christi & sanctorum prædicatio & exempla,

5. Qui laudari vult & videri, quærat laudem à Deo, & sanctis omnibus, qui & plures sunt, & nobiliores hominibus omnibus in terra viuentibus: eorumq; laus est solida. Sicut enim stultum est quærere laudem puerorum & interim à viris omnibus contemni: ita valde imprudenter agit, quisquis gloriam hominum quærit, & se ridendum & contemnendum proponit Deo, sanctisque omnibus, qui facta eius omnia intuentur.

R E M E D I A C O N T R A  
*Auaritiam.*

**P**rimùm, vitare consuetudinem auarorum, frequenter adesse liberalibus, atque assuescere dandis eleemosynis. Facilius est enim dare, quàm accipere. Quia si dare velis, nemo impediet: si accipere velis: multi obijcient impedimentum. Præterea: Beatius est dare, quàm accipere: Actor: 10. Quia cum donas, à multis gratiæ tum Deo, tum tibi aguntur: cum accipis, omnes detestantur. Vt autem consuetudinem illam dandi assumes, alterum horum, vel vtrumq; facito. Nempè  
1. naturæ auaræ vim adferas. 2. de tuo quotidie certam eleemosynam, etiam te nescio conferendi, domestico, vel familiari potestatem facias,

2. Considerare, breuitatem vitæ, mortemq; imminentem. Facile contemnit omnia, (ait D. Hieronymus ad Paulinum) qui se semper cogitat esse moriturum. Nam Primò: morte

dele-



deferenda sunt omnia, ad aliumque deuoluentur, fortè ingratum, tui immemorem, & (vt fupè videmus) decoctorem; *Stulte* (ait Dominus, Luc: 12.) *h. e nocte animam tuam repetunt à te: qua autem parasti, cuius erunt?* Secundò, post mortem Deo erit reddenda ratio de quo libet quadrante, quomodo eum ad Dei Domini voluntatem expenderis. Quia enim tu bonorum non dominus, sed œconomus es constitutus, ratio erit danda de singulis. Quid ergo tantas opes quæris, quibus te obligas ad tantas rationes?

3. Considerare, quòd per diuitias conferuat, neque vita ista prorogetur, (non enim in abundantia est vita cuiusquam, ex his que possidet, Luc. 12.) neque vita æterna comparetur. cùm dicat Dominus: Luc: 6. *Beati pauperes, quia uestrum est regnum Dei: Et, Va vobis diuitibus, Cùm autem in vsus pauperum liberaliter effunduntur, sic & deducunt ad perfectionem, vt Christus ait, Matth: 19. Si vis perfectus esse, Vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus. Et c.* Et cœlestes mercantur diuitias: quæ tantò nostris diuitiis præstantiores sunt atq; maiores, quantò sol lutum decore, & cœli circuitus, terram amplitudine vincit. Si ergo vis veras diuitias, habeto illas de cœlo: vbi fures non effodiunt, neque furantur: Matth: 6. vbi sollicitudo conferuandi animum non cruciat; vbi qui diues est, nunquam ad paupertatem redigitur; & vbi diuitiæ synceram adferunt & solidam oblectationem,

4. Firmam constituere in Domino fiduciam qui non solum in veteri Testamento, sed etiam in nouo, necessaria vitæ fidelibus promissit, & præstitit: *Quærite*, inquit Matth: 6. *primum regnum Dei & iustiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et Hebr: 51. *Non vos deseram neque derelinquam.* Qui tantam turbam Monachorum, Anacharetarum, aliorumque religiosorum, & Christianorum, qui nudum Christum nudi secuti fuerunt, hætenus aluit: is tibi quoque necessaria præbebit, si magna fide ei te committas. Dum autem tu plus equo sollicitus es, deponit sollicitudinem tui Deus: quam tu de te satis magnam habes. Si verò sollicitudinem tui projceres in eum, ipse maiorem curam tui susciperet.

5. Intueri exemplum Dei Domini nostri, qui tanta largitate in omnes vititur, vt creaturas omnes diuitijs suis cumulet. Non illi, sufficit, in vsum tuum hunc orbem creare: quotidianis muneribus te locuplerare. Spiritum suum sanctum atque seipsum tibi communicare; sed insuper sanguinem suum, & vitam tibi dedit, & propter te egenus factus est, 2. Corinth: 8. Cum esset diues, vt illius inopia tu ditaberis.

R E M E D I A C O N T R A

LUXURIAM.

Olla, cum admota igni nimium feruet, ad eam refrigerandam consuevit vnum ex his tribus adhiberi. vel ab igne amouetur: vel  
 ligna

ligna subtrahuntur : vel frigida infunditur,  
 Quia ergo libidinis ardor est quidam ignis, ad  
 eius feruorem minuendum similibus est vten-  
 dum remedijs.

1. Fugiendæ sunt occasiones, vitanda mu-  
 lierum colloquia, ocium, perditio temporis :  
 cohibendi oculi, aures, manus, & omnia ea  
 declinanda, quæ aliquam possunt libidinem  
 prouocare. Quia, cum cætera vitia concerta-  
 tione vincantur; sola luxuria superatur fuga.

1. Corinth: 6. Fugite fornicationem. D. Au-  
 gust: lib: de honestate mul: cap: 1.

2. Subtrahatur fomentum, quod est cibus  
 & potus; sicut Helias, impuram Iesabel fugi-  
 ens, ieiunus ambulauit 40. diebus, & totidem  
 noctibus. 3. Reg: 18. *Subtrahere ligna foco, si  
 vis extinguere flammam.*

3. Addatur aqua refrigerans, corporis affli-  
 ctio, & pœnitentia. Corpus enim nostrum,  
 cum sit asino simile, tunc minus insolescit,  
 cum durius tractatur. B. Benedictus tenta-  
 tus à carne, in spinas se nudum abiicit. D.  
 Greg: lib: 2. Dialogorum, cap: 1. B. Franci-  
 scus in niuem. Nobis quidem licet tam auste-  
 ra remedia adhibenda non sint, assumantur  
 tamen ea, quæ ad domandam petulantiam  
 carnis sufficiant.

4. Feruens oratio ad Dominum. Quia de  
 hoc vitio ait Christus, Matth: 17. *Hoc genus  
 damoniorum non eijctur, nisi in oratione & ie-  
 iunio.*

5. Primis insultibus impurarum cogitatio-

num statim occurrere : quia dum aliqua negligentia permittuntur irrepere , inficiunt animam , & firmiter hærent , quàm vt facile possint excludi . Sunt enim viscosæ instar picis , quæ tacta adhæret , & inficit .

R E M E D I A C O N T R A

*Inuidiam.*

**P**rimùm ex B. Gregor: lib: 5. Moral. ca 34  
 Qui (ait) liuoris peste planè carere desiderat , illam hæreditatem diligit , quam coheredum numerus non angustat , quæ & omnibus vna est , & singulis tota ; quæ tantò largior esse ostenditur , quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur .

2. Ex D. Basilio , Hom. de inuidia . Nihil existimare magnum esse in hac vita . Nihil ( inquit ) rerum humanarum magnum , aut supra naturam existimemus : non enim in rebus fluxis bonum constituimus .

3. Frequens cogitatio de ijs rebus , quæ ad fraternum amorem excitare possunt : vt sunt eadem natura , eadem Christi beneficia , eiusdem hæreditatis promissio , quodque reuera non plus merearis honoris , quam quibus alius ; cum æqualiter omnes Deo dicant : Pater noster , qui es in coelis : Quinimò si vitia tua spectes , indignus sis , cui vel minimus honor habeatur .

4. Considerare , cui per inuidiam similis efficiaris . Nam sicut de charitate dicit B. Ioannes , 1. Ioan : 4. *Qui manet in charitate , in Deo*

*manet ,*



manet, & Deus in eo: & omnis qui diligit, ex Deo natus est: & sicut ille est, nos sumus in hoc mundo. Ira de inuidia dicit idem J. Ioan: 3. Cain ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et D. Chrysofomus: Hom: 41. in Matth: Inuidia hominem in diaboli conditionem, atq; in dæmonem immanissimum conuertit,

5. Consideratio damni atq; malorum, quæ adfert inuidia; & bonorum, quæ adfert charitas. Inuidia siquidem, vt ait D. Basilius, Homil: de Inuidia, nemini magis nocet, quàm auctori. Sicut enim (inquit D. Augustinus: Serm: 83. de Tempore) ærugo ferrum: ita inuidia ipsa animam, in qua est, interimit, & consumit. Omnibus grauis est inuidus, nemini charus: ridetur ab omnibus, illi nemo compatitur. Nam sicut hoc vitium proprium est diaboli, (vt ait D. Basilius Hom. in aliquot scripturæ locos) ita & ad inuidum affecti sunt homines, vt affici solent erga diabolum. Contrà verò charitas lætitiā parit, aliorum bona etiam nostra facit, amorem aliorum conciliat. &c. vt est apud D. Chrysofomū, Hō: 44. ad popul: Antioch: & D. Gregorium pastoralis curæ parte 3. Admonitione 11.

### R E M E D I A C O N T R A

*Iram.*

**P**rimū ex D. Basil. Homil. de Ira: vt statim atq; moueri te sentis, iram cohibeas: & si internam commotionem fortasse sedare non possis, saltem linguam contineas, vt ne-

que bona loquaris, neque mala, ne quid laxata efficiat, quod ira, nō ratio dicit: & potius te ad orandum conuertas, tuamq; infirmitatem Deo curandam proponas.

2. Ex B Gregorio. Ut mens (inquit lib: 5, Moral. cap. 32.) sollicita, antequam aliquid agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa se præparet. Iacula enim præuisa minùs feriunt.

3. Ex eodem loco, ut cum alienos (ait) excessus aspiciamus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Cogitet igitur homo, quam multa alij in ipso tolerant, quam multa toleret Deus, qui si ad singulas culpas vindictam inferret, iam dudum perijssemus omnes. Deniq; & homo ipse frequenter sibi est grauis, sibiq; displicet. Proinde qui talis est, ipse suo vitio, ut se tolerare debeat, non grauatè ferat ab alijs committi, quod sit tolerandum.

4. Consideranda incommoda, quæ ex ira sequuntur. Quid enim prodest vindicta post acceptam iniuriam? An fortè vulnus tuum alieno vulnere curatum est? aut conuiuium acceptum, conuiuium reddito? Hæc porrò assequitur, qui iræ obtemperat. 1. Corona gloriæ & mercede æterna priuatur: 2. Minister fit & instrumentum diaboli: 3. Occidit animã suam, ut lædat corpus alterius. Similis est enim iracundus homini, qui ut asinum occidat,

dat, seipsum perimit: & item illi, qui ob im-  
 mensa debita, quibus soluendis non erat, con-  
 iectus in carcerem, oblatam ab alio solutio-  
 nem magno fastu recusat. Per eum quippè,  
 qui nobis iniuriam facit, debitum quo Deo  
 adstringebamur, tollitur, modò patienter ini-  
 iuriam feramus. 4. Iratus homo vindictam  
 petens, ostendit Deo, quomodo cupiat se-  
 cum agi: nimirum, vt sicut ipse in alio non  
 tolerat parua, ita nec à Deo in ipso parua to-  
 lerentur. Quemadmodum scriptum est: Luc:  
 6. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*  
 Et in Oratione Dominica, Matth: 6. *Dimitte  
 nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debi-  
 toribus nostris.* Gregor: lib: 5. Moral: ca: 31.  
 adfert sex alia detrimenta. Nam (ait) per  
 iram amittitur primò, Sapiencia: dum ratio  
 calcatur. Secundò, Iustitia. Ira enim viri,  
 iustitiam Dei non operatur, Iac: 2. Tertiò:  
 Sodalitas; nam iracundi hominis consuetu-  
 do nemini grata est. Noli ait Sapiens, Prou:  
 22. esse amicus homini iracundo. Quarto,  
 Concordia, dum pax perturbatur. Quintò:  
 Lux veritatis; quia dum menti iracundia con-  
 fusionis tenebras incutit, huic Deus radium  
 suæ cognitionis abscondit. Sextò: Splendor  
 Spiritus sancti: Super quem, ait Propheta  
 Esai 66. *requiescet Spiritus meus, nisi super  
 humilem & quietum, id est, mansuetum.*

5. Frequenter perpendere iniurias, quas  
 non verbis solis, sed multis quoq; verberibus  
 sustinuit Christus, nulla sua culpa, sed ad de-

lendam culpam tuam. Aspicientes (ait B. Paulus Heb: 12.) in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem; recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Et B. Petrus: 1. Pet: 2. Si beneficientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum; in hoc enim vocati estis. Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Officium namq; hominis Christiani est, ad imitationem Christi capitis sui, omniumque sanctorum, bona facere, & mala patis in eoq; ad finem perdurare.

R E M E D I A C O N T R A

Gulam.

**P**Rimum, Confortia potatorum deuitare, & omnes occasiones fugere, iuxta admonitionem Sapientis: Prou: 23. *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comestationibus eorum.* Et postea: Ne intuearis vinum quando flauescit, & quum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venenum diffundet. Difficillimum est, in delicijs non excedere, & in multitudine ac nouitate ferculorum mediocritatem seruare; dum posteriora nouitate deliciarum prouocant appetitum precedentibus satiatur, vt pulchrè docet B. Bernhardus, Apologia ad Guilelmum Abbatem.



2. Considerare incommoda animæ & corporis, quæ ex gula proficisci solent. Animæ quidem sunt, Primò Luxuria. Nam teste B. Hieronymo, Epist: 83. ad Oceanum: venter vino æstuans citò despumat in libidinem; & B. Paulus ait: Ephes: 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Secundò, cordis aduersus misericordiam obduratio: vt ait Propheta Amos 6. *Bibentes, in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Ita diues epulo non est compassus Lazaro, Luc: 16. Tertiò, Ira & homicidia. Vinum (inquit Sapiens Eccle: 31) multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Sic enim B. Ioannes Baptista, in conuiuio Herodis, martyrium sustinuit.

Corporis autem incommoda sunt, Primò, Infirmitas, Eccli. 31. *Vigilia & cholera, & tortura homini infrunito: somnus sanitatis in parco homine.* Secundò, Paupertas: nam operarius ebrius non locupletabitur, Eccli 19. Tertiò, Mors: iuxta illud: Eccli 37. *Propter crapulam multi obierunt.*

3. Considerare, quantopere hoc vitium displiceat Deo: cum primò, venter hominis Deus constituatur, vt ait Apostolus: Philip: 3. *Quorum Deus venter est.* Secundò, Templum Spiritus sancti vertatur in sordidissimam culinam, immò cloacam. Tertiò, Membra Christi efficiantur bestię sine ratione: adeòq; bestijs deteriora, quæ naturam ultra satietaem non grauant. Proinde Deus hoc vitium

frequenter in ista vita grauer est vltus, dum Holofernes ebrius à Iudith, Iud: 13. est occisus. Amon ebrius, 2. Reg: 13. in conuiuio perijt: Filij Iob, Iob 1. à dæmone oppressi sunt: & filij Israël, Num. 13. ob esum carni-um concupitum, diuinam iram sustinuerunt, Psalmo 77. *Adbuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Deniq; vniuersum genus humanum, gulæ primorum parentum poenas etiamnum luit.

4. Considerare, hoc vitium gulæ, sicut aduersatur naturæ humanæ, ita valde gratum esse diabolo, inimico eiusdem naturæ: qui ambulans per loca arida, dum requiem non inuenit in sobrijs, quiescit in locis humentibus, Matth: 12. Iob 40.

5. Vt homo sibi poenitentiam statuat die vno atq; altero, aut etiam tertio, victitandi pane & aqua, cibumq; quem fuisset sumpturus, pauperibus erogandi, si in ebrietatem labatur, neque de hac poena quicquam remittat.

R E M E D I A C O N T R A  
*Acediam.*

**P**rimum, Considerare beneficia atque labores Christi pro nobis susceptos, quibus excitari debemus, vt aliquid in eius gratiam agamus.

2. Cogitare facilitatem operis boni cuius difficultatem Christus passione sua sustulit: *Confidite,* (inquit Ioan: 16.) *Ego vici mundum.* Matth: 11. *Iugum meum suauis est, & onus me-*

*um leue, & (vt inquit Apostolus 1. Ioan: 5.)* mandata eius graua non sunt. *Ero, inquit Dominus, Olex 11. quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Itaq; suauiter equitat, quem gratia Dei portat,

3. Perpendere operis necessitatem. Nam infernus impendet non laborantibus: cum seruus malus & piger, Matth: 25. mittatur in tenebras exteriores non aliam ob causam quam quod talentum Domini sui ad lucrum non expendisset. Sicut ergo puer de virga cogitans, & operarius de inedia, excitat se, hic ad laborem externum, ille ad literarum studia: ita merito excitari debet ad discutendam pigritiam, qui poenas secuturas considerat.

4. Contemplari omnium creaturarum indefessum laborem, ad voluntatem Dei. Sol enim & omnia sydera immensum iter quotidiana circumuolutione perficiunt: arbores & herbae nobis flores & fructum producant: bestiae quaelibet ad naturae rationem operantur, etiam minimae formicae, ad quas nos Sapiens remittit: Prou: 6. Indignum est ergo, vt solus homo ocio torpeat.

5. Videre quantus labor sustineatur passim ab omnibus, ad consequendos honores, opes, aliaq; istiusmodi vanitates perituras: quantaq; nos ipsi fecerimus, aut faciamus ad animarum nostrarum damnationem. Si ergo vera fides est in nobis, qua certissime credimus, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, Rom: 8. quae reuelabi-

tur in nobis : & hoc leue ac momentaneum ,  
operari in nobis æternum gloriæ pondus ,  
1. Corin : 4. tantamq̃ pro exiguo labore red-  
di gloriam , 3. Corin : 2. vt eam neq̃ oculus  
viderit, neq̃ auris audiuerit, neq̃ in cor ho-  
minis ascenderit : merito omnis torpor est  
executiendus, & manus operi est admouenda:  
maximè cum exigua sint, quæ à nobis Domi-  
nus postulat, Rom : 6. nempè vt sicut exhibu-  
imus membra seruire immunditiæ, & iniqui-  
tati ad iniquitatem ; ita nunc exhibeamus  
membra nostra seruire iustitiæ in sanctifica-  
tionem.

*MEDIA AD COMPARANDAM  
humilitatem cordis.*

**V**Era humilitas non in externis actionibus,  
sed in corde inuenitur, de qua Christus  
Matth : 11. *Discite à me, quia mitis sum, &  
humilis corde* : per quam homo vilis est abie-  
ctusq̃ semper in oculis suis, & talis haberi  
ab omnibus desiderat ; & si habeatur, gaudet.  
Verus humilis ( ait Bernardus Serm : 16. in  
Can ). vilis vult reputari, non humilis prædi-  
cari : gaudet de contemptu sui ; hoc solo fa-  
nè superbus, quod laudes contemnit. Ad  
eam assequendam hæc pauca iuuabunt.

*Primò, De se suisq̃ factis non miscere ser-  
mones, vel in laudem, vel in vituperium ; iux-  
ta Poëtæ cuiusdam dictum.*

*Non te collaudes, nec te culpa ueris ipse :*

*Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*

Quæ



Qui enim se commendat, aperte laudem quærit: qui autem se contemnit, occultè eandem quærit, dum, nempe, cupit sua facta ab alijs excusari.

*Secundo*, Frequenter sibi imperfectiones & peccata sua ob oculos ponere. Quia tam multa sunt vitia cuiusque, vt laudis omnem occasionem tollant. Hoc autem tunc maxime faciendum videtur, quando gloriozæ præbetur materia.

*Tertiò*, In rebus abiectioribus libenter occupari, & cum humilioribus frequentè versari. Sicut enim humilitas est causa actionum humilium: ita ex humilibus officijs oritur, atque eisdem conseruatur.

*Quarto*, Superiores omnes suos, tanquam Christi vicarios, ex animo magnificere; internam eis externamq; reuerentiam exhibere, eorum nomen, auctoritatem, & facta apud alios, quantum fieri potest, tueri. Quia manifestum est superbiz argumentum, superiores vel reprehendere, vel iudicare, vel parui facere.

*Quinto*, Sæpius in sanctorum cum Christo regnantium vitam moresque intueri, nostraque facta cum illis conferre. Tali enim comparatione intelligemus, nihil esse quicquid hactenus egimus. Iuuabit etiam inspicere perfectionem hominum multorum adhuc viuentium, atque ex eorum vita considerare, quàm multa nobis desint.

## REMEDIA AD PATIENTIAM.

**P**ATIENTIA est virtus, qua iuxta rationis dictamen, moderatè toleramus aduersa. Ad quam hæc puncta erunt vtilia.

*Primo, Considerare, nos longè grauiora mala diuersis multorum annorum peccatis commeruisse; quæ si non in isto mundo, his similibusque afflictionibus, certè in futuro sæculo, purgatorij ignibus excoquenda erunt.*

*Secundo, Conferre tribulationes molestiasque nostras cum his quas multi alij, fortasè etiam meliores nobis, tolerant. Scientes (inquit Apostolus 1. Pet: 5.) eandem passionem ei, qua in mundo est, vestra fraternitati fieri.*

*Tertio, Respicere lucrum, quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius in summis laboribus consolatur se expectatione mercedis: ita Christianus in omnibus molestijs & afflictionibus gaudere debet spe retributionis. Quia vir bonus, qui filius est Dei non gratis affligitur: sed sicut filius Dei, dignior est filio Regis: ita maior erit merces laboris atque molestiarum filij Dei in cælo, quam filij Regis in hoc mundo. Nam iuxta personarum dignitatem, augentur præmia laborum. Et quidem in hoc mundo, sicut abundant tribulationes in nobis: 2. Cor: 1. ita & abundare solent consolationes. Post mortem verò, quod in præfenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, 2. Cor: 4. supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus*

operatur in nobis.

*Quarto*, Cogitare, quid ex impatientia leuaminis sentiemus. Non enim ob id dolor minuitur, aut molestia tollitur, quia impatientiae signa edimus; sed potius augetur, quod ad cætera mala etiam conscientiae vulnus addamus. Ergo faciamus de necessitate virtutem, patienterque feramus, quod iuxta Dei voluntatem ferendum videmus.

*Quinto*, Oculis fidei ad Dei voluntatem omnia referre, quæ patimur; neque imputare hominibus vllis mala illata, sed Deo, quo auctore nobis omnia eueniunt. Sicut B. Iob tam magno à varijs accepto detrimento; nihil de illis inimicis conquestus dixit; Iob 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum*, D. Gregorius, Magna est, inquit Lib; 2. Moral: cap: 18. consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta placere Dei scimus; pati autem nisi quæ Domino placuerunt, non possumus. iusta sunt cuncta, quæ patimur; & valdè iniustum est, si de iusta passione murmuramus.

*MEDIA AD OBTINENDVM VERUM cordis gaudium.*

**P**rimò, Conscientiam habere à peccatis non solum mortalibus, sed etiam grauioribus venialibus liberam, Prou: 15. *Quia secura mens, est iuge conuiuium. Et gloria nostra hac*

*est,*

est, ait Apostolus 2. Cor: 1. *Testimonium conscientia nostra.* Cauenda est autem omnis duplicitas & simulatio, quæ solet esse inimica pacis internæ. Nam qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Prou: 10.

*Secundo,* Frequenter suscipere Eucharisticæ Sacramentum; quod est Sacramentum pacis & gaudij in quo datur Christus, pax nostra. Ideo in vltima cœna, post datum sanctissimū corpus suum, sic ait Dominus: Ioan: 14. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Et Ioan: 16. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nulla est enim plenior consolatio, quam quando anima possidet illum, qui planè satiare potest eius desiderium.

*Tertio,* Exercitium veræ humilitatis, & mansuetudinis, iuxta doctrinam Christi: Mat: 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Sicut enim vesica inflata vento, & in edito loco suspensa, in fumo aut vento non potest quiescere: & sicut aqua feruens perpetuò mouetur; ita homini superbo, & iracundo, nulla est vnquam quies animi aut solidū gaudium.

*Quarto,* Rebus, quæ nobis commissæ non sunt, & quarum ratio à nobis non exigetur, nos nō ingerere: aut curiosius eas inquirere, & si fortè de ijs vel loqui vel audire contingat ita nos habere, atque ad res alienas, ad nos non pertinentes; hoc vnice cauentes, ne conclauē cordis ingressæ, internam pacem perturbent. Sæpè nobis veniat in mentem illud,

*Quid*



*Quid ad te?* quod Christus Petro de negotijs Ioannis curiosius agenti respondit, Ioan: 21. *Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Tu me sequere. id est, tu tua tracta, relictis alienis, quæ nihil ad te.

*Quinto*, Nos totos, nostraque omnia plene in manus Dei resignare ei que committere, ab eoq; pendere. Nam sicut infantulus securus est & lætus in sinu matris, nihil dubitans, quin à matre regatur iuuetur, & foueatur, quomocunque tandem mater illum teneat siue dextera, siue sinistra manu: Ita Christianus, qui Deo nititur, hoc vno gaudere deberet, quod à Deo regatur. Et sicut tessera, in quocunque latus proiecta, firmiter consistit: ita æquabili & constanti esse deberet animo, quicquid occurrat, seu lætum, seu triste: hoc sæpè cum Dauide repetens. Psal: 25. *Domine regit me, & nihil mihi deerit. Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Ego autem (Abac: 3.) in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

B. Paulus in Epist: ad Coloss: cap: 2. videtur tria proponere ad internum gaudium, ac Spiritus consolationem obtinendam. *Ut, inquit, consolentur corda ipsorum instructi* (seu, vt Græcis est) *instructorum in Charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, & in agnitionem mysterij Dei & Patris, & Christi Iesu: hoc est, vt per hæc tria, accipiant veram cordis consolationem. 1. Per veram charitatem, qua inter se connectantur. Sicut enim inui-*

dia tristitiam, ita charitas gaudium adfert. 2. Per certissimam fidem & persuasionem intellectus, quòd homo à Deo regatur, & Deus omnia rectè ex summa dilectione moderetur. 3. Per frequentem considerationem & meditationem beneficiorum Dei, & mysterij Christi, ac vitæ æternæ, ad quam per Christum habemus ius, & accepimus aram.

## LIBER QUINTVS.

### DE METHODO RITE COMMV- NICANDI.

**E**a de re, primùm excitamenta varia in medium adducemus, quæ frequentem nobis sanctissimæ Communionis vsum persuadent: Tum de digna ad eam præparatione agemus Tandem quid in ipsa Communione, quidque post eam piè præstandum sit docebimus.

### CAPVT I.

#### EXCITAMENTA AD FREQUEN- tem Eucharistiæ Communionem.

*De augustissimi huius Sacramenti admirabili, & stupenda dignitate; deque illius eximiiis fructibus.*

**I**Nter innumera diuini amoris in nos argumenta, vnum est vel ex maximis sacramenti huius institutio. Sed nec potuit Christus

Domi-

Domini noster maioris honoris, vtilitatis, ac iucunditatis opus nobis in terris relinquere, quam in hoc admirabili Sacramento reliquerit. Hic habemus ad quem refugiamus in omnibus aduersis; cui loquamur, cum opus est, facie ad faciem: Deum, inquam, cui per hoc Sacramentum coniungimur intime & quasi concorporamur. Denique vita ipsa, quæ Christus est, nobis hoc Sacramento porrigitur, vt propterea merito Panis vitæ dicitur; de quo Christus Dominus: Ioannis 6.

*Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum.*

Ex quibus & illud colligitur, quod Sacramentum istud infinitæ virtutis sit; vtpotè quod contineat fontem gratiæ, & nobis communitet omnem virtutem passionis Christi I E S V, cuius est meritum infinitum. Atque eam ob rem tot, tantiq; fructus Eucharistiæ à SS. Patribus traduntur, vt eorum breuiarium duntaxat peragere satis sit, Sunt autem hi:

1. Remittit peccata præterita, quæ obliuione exciderunt.
2. Confirmat aduersum futura.
3. Debilitat vitiosos animi impetus.
4. Tentationes minuit.
5. Ad pietatis studium incitat.
6. Intelligentiam illuminat.
7. Accendit affectum.
8. Confirmat spem.
9. Debilitati nostræ firmitudinem addit.
10. Exhilarat conscientiam.
11. Participes nos facit meritorem Christi.

12. Dat pignus gloriæ.
13. Confirmat cor hominis.
14. Armatur fortes, ut strenuè cum diabolo decertent.
15. Alacrem facit ad probas actiones.
16. Mirè adiuuat ad res aduersas tolerandas.
17. Poenas peccati minuit.
18. Et (qui est primus & vltimus, ac omnino summus) nos Deo coniungit, vnit, incorporat, & Deiferos facit,

Ex quibus apparet ipse sole clariùs, quam per omnem modum vtilis sit & fructuosa Sacramenti huius frequentatio: ut mirum non sit, scriptum olim à B. Ignatio Martyre Apostolorum discipulo ad Ephesios Epist: 10. *Festinate frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipsum assidue agitur, expelluntur potestates Sathana; qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatum. Cuius sententiæ in hæc verba subscribit, B. Ambr: lib: 5. de Sacr: c. 4. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quòd quotidie tibi prodest: sic viue, ut merearis quotidie accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quid clariùs ad commendationem frequentis communionis, contra frigidos Christianos dici potest?*

Et sanè fructus hos in se sentiunt, qui sæpè hoc Sacramento debita præparatione præuia perfruuntur: ut omittam, quod ait S. Vincentius, euadendi purgatorium vnã esse ex



præcipuis rationem, vt quis frequenter communicet.

*ARGVMENTA POPVLARIA EX  
similitudinibus ducta, pro frequenti communione corporis Domini.*

**S**icut parens, cui gratissimum est frequenter domum filij sui vocari, sciens huius sui desiderij filium esse conscium, non rectè accipit, si semel tantùm, bis teruè in anno; aut saltem rarò admodum inuitetur: ita Christus, cuius nouimus esse delicias versari cum filijs hominum, Pròu: 8. si rarò admittatur, meritò iniquè ferre potest.

2. Amicus libenter adest amico. Si ergo tu Christo non ades libenter, signum est parui tui erga eum amoris.

3. Dicis te desiderare Christo perpetuò adesse in cœlo. Hic ergo frequenti communione ineunda est cum eo familiaritas, ne post hanc vitam te non agnoscat. Nam sicut amicus, qui in prosperitate amicum negligens, alijs sese iungit; si tempore aduerso ab alijs desertus, amicum repetit, non id facere ex charitatis affectu videtur, sed ex necessitate. Ita qui, dum viuit, Christum Dominum postponit rebus terrenis, post mortem iudicandus est non ex amore Christum desiderare, sed quia alia solatia, quæ Christo præposuerat, desunt.

4. Sicut diues homo, naturâ misericors & liberalis, si sepe visitet domum ruinosam ho-

minis pauperuli, nunquam ad eam veniet, nisi relicto aliquo dono, tum pro beneficio hospitalij, tum pro domus reparatione: potissimè si statuat sapiùs eodem diuertere: Ita Christus ditissimus & summè misericors, quoties domum nostram per sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ingreditur, nunquam discedit, nisi relicto eximio munere, partim pro officio communionis, partim vt habitaculum sibi, ad quod frequenter venire proponit, dignum paret. Quia enim nemo ita probè nouit, quo ornatu parandus sit locus Christo, atque Christus ipse: ideo communiõne vna disponitur homo ad communionem sequentem: nempe dum Christus frequenti communiõne sibi ipsi locum parat.

5. Fascis viridis vt totus incendatur, & ignem concipiat, non satis est, si semel ignis subiiciatur, sed frequenter ignis admouendus est, vt eius crebra repetitiõne primùm quidem incalecant ligna, deinde verò teneriores ramusculi absumentur, paulatim quoq; fascis exsiccatuõ in ignem tandem totus vertatur. Eodem pacto, homo vitiorum atque passionum copia humidus, non statim conuerti potest in ignem diuinum, nisi crebra communiõne passiones sensim educantur.

6. Sacra Eucharistia est cibus animæ, sicut panis est cibus corporis, Anima autem tantò est corpore præstantior, quanto diuinior: nimirum, ad Dei imaginem & similitudinem creata, Christi sanguine redempta, immortalitate

talitate donata, naturæ Angelicæ, sine qua nec ipsum corpus viueret. Nonne ergo indignum est, quod corpus hoc à vermibus absumendum, atque in cineres breui redigendum quotidie sæpè pascatur, atq; ad illud fouendum, omnia studia, omnesque labores conuertantur; animæ autem nutrimentum & raro, & non sine tœdio præbeatur; Sanè, sicuti corpus sine cibo nec labores ferre potest, nec viuere; ita anima sine Eucharistia non potest istius peregrinationis labores sustinere, nec vitam retinere. *Qui* (inquit Christus) *manducat me, ipse uiuet propter me, quasi dicat; non uiuet, nisi me sumat.*

7. Corpus induere solet qualitates nutrimenti, non ex vna sola, sed ex frequenti eius sumptione. Non enim statim mutatur in cholericum aut phlegmaticum, quisquis semel eiusmodi cibum sumpsit, qui tales qualitates inducit: nisi continenter eo vtatur. Si itaq; transferri cupis in qualitates Christi, esseque spiritualis, passionibus vacuus, & planè coelestis: frequenter hoc cibo diuino vescaris oportet.

8. Quo tempore aër est peste infectus solent homines vti aduersus noxium aërem, imminensque periculum medicina præseruatiua, potissimum egressuri foras. Atqui verò, totus iste mundus infectionibus plenus est, nimirum infinitis peccatis, occasionibusque peccandi. Proinde, qui præseruari à peccatis cupit, is medicina hac frequentius vtatur, quo

illi grauiora imminent pericula, & plures occasiones, quibus ad peccandū induci possent.

9. Sicut is, cui inter hostes est incedendum, dat operam vt comites habeat, & arma, quibus hostes aut deterreat, aut repellat: ita, qui in hac vita inter innumeros hostes visibiles & inuisibiles degit, curare debet, ne vel comitatu, vel armis destituatur. Optimus autem comes est Christus in Eucharistia sumptus, cui semper adest innumera multitudo Angelorum, optima etiam arma præbet communicanti, quando gratiam & fortitudinem largitur. Sæpè est ergo ad hanc mensam accedendum, & cum Psalmista dicendum: *Psalm. 22. Parasiti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.*

10. Sicut qui filium habet vnice dilectum, hoc maximè curat, ne ei doctus aut diligens pædagogus desit, à cuius latere nunquam discedat: ita qui animam suam rectè institutam cupit, nunquam patietur ab ea Christum abesse, sed eam illi per crebram communionem coniunget, & cum sponsa in Canticis dicit: *Cant. 8. Introducam te in domum patris mei, & in cubiculum genitricis mea: ibi me docebis præcepta tua.*

11. Sicut infirmus aut grauius vulneratus, desiderat Medici vel Chirurgi frequentem accessum; & medicamenta seu malagmata, quibus vulnera sæpè reficiantur: ita Christianus variis multisque vulneribus in anima saucius, & grauibus morbis affectus, meritò

dende-



desiderare Christi optimi Medici præsentiam debet, qui in Sacramento Eucharistiæ omnium morborum remedia secum adfert. Ita enim dicit D. Bernardus; Eucharistia medicina est ægrotis, peregrinantibus dixta, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem seruat: fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones deuotior.

12. Sicut populus Israëliticus toties 40. annis in deserto, vsque ad ingressum in terram promissionis, vixit quotidiano esu Manna, quod Manna gessit nostræ Eucharistiæ figuram: ita nobis in huius mundi peregrinatione frequenter est Eucharistia sumenda, quæ ob id vocatur panis quotidianus (ait D. Ambrosius lib: 5. de Sacr: cap: 4.) quia quotidie esset accipienda: quotidie quidem in Missæ sacrificio spiritualiter, semel autem sacramentaliter in hebdomada.

13. Sicut mercatores ea loca sæpius frequentant, vbi plus lucri expectant; & pauperes illorum ianuas, vbi copiosiores elemosinæ conferuntur: Ita Christianus ad Christi mensam frequentior esse deberet, vbi & maiora & vberiora dona dantur. Si quidem hic (Ambr: lib: 4. de Sacr: cap: 4.) dimittuntur quotidiana peccata (Ignatius epist: 14. ad Ephesios) expelluntur potestates sathanæ. (Cyprianus lib: 1. Epist: 2) dantur vires ad

ipsum etiam Martyrium subeundum. (Bern: ser: de coena Domini) minuitur in minimis peccatis sensus, in grauioribus autem tollitur omninò consensus: denique adferuntur omnia bona: quia communicans in id transit, quod sumit, vt D. Leo ait. Serm. 14. de pass. Domini. Venit quippè ad te Christus, vt te honore afficiat sua præsentia, vngat te sua gratia, curet te sua misericordia, lauet te suo sanguine, resuscitet te sua morte, illuminet te sua luce, inflammet te suo amore, consoletur te sua infinita suauitate, vniat & desponsat se cum anima tua, faciatq; participem te Spiritus sui, omniumque bonorum, quæ cum hac carne, quam tibi offert, in ara crucis promeritus est. Quemadmodum ergo si princeps aliquis, multa secum adferens munera, qualibet septimana ianuam tuam pulsaret, gratissimo illum animo reciperes: ita cum magno desiderio & gratitudine conuenit Christum suscipere, cuius dona omnes res terrestres præstantia ac magnitudine vincunt.

*DVO ARGUMENTA CONTRA FRE-  
quentem Communionem dissoluuntur.*

**D**VO sunt argumenta, quæ contra hanc frequentem corporis Dominici sumptionem adferri solent: prius quidem à pigris, & negligentibus: posterius verò à bonæ conscientie hominibus.

Prius est: homines seculares non esse dignos, qui tam crebro, id est octauo quoque die,

die: ad mensam Dominicam accedant. Scriptum est enim. 1. Corinth: 11. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. & Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Respondeo primò. Qui digni non sunt vt sæpè accedant, digni etiam non erunt, vt rarò accedant: quia non dilatio & mora temporis, sed crebra communio dignos reddidit Hoc enim argumentum eodem modo se habet, atque si dicas: rarò verratur cubiculum, vt mundius sit ad Regem suscipiendum. Constat enim, quòd non rarò, sed sæpè verrendo, cubiculum maiorem mundiitiè habeat. Quoties porrò comunicas, mundatur atq; ornatur cubiculum cordis, atq; ab ipomet Christo ornatur, qui optimè nouit quo potissimùm ornamentum & præparationis genere delectetur.

Secundò dicendum est, triplicem dignitatem posse in hoc negotio considerari: quatum prima est, vt tanta sit dignitas, quantam mereatur Christi maiestas. Atqui hanc adferre nec ipsi Angelici spiritus adeòque nec ipsa Mater Dei potest: quia infinitam Maiestatem decet dignitas infinita. Secunda: vt tanta sit dignitas, quantam homo fragilis potest adhibere. Sed nec ista est ad communionem necessaria tametsi tantò maior in hoc Sacramento gratia accipiatur, quantò quis accedit dignior & paratior. Tertia est, quam Christus requirit, & quæ ipsi sufficit. Ea verò est, vt homo à peccatis per Sacramentum pœnitentiæ liber, desideret in posterum peccata vitare, Deo pla-

cere, suaque omnia in gloriam Dei referre. Cum ergo quereris te indignum esse & tepidum, imò frigidum: cogita te non ob id accedere ad ignem quia cales, sed ut caleas, & in hoc negotio sufficere desiderium caloris, semoto omni obstaculo, quod calorem impedire possit.

Sed dicunt nonnulli, non esse hominum secularium, toties Sacramenta frequentare: hoc esse solum sacerdotum, ad quos pertinet sacrificij celebratio, & sacramentorum administratio. Respondendum verbis Chrysostomi Homil: 18. in 2. Corinth: Est ubi nihil differt sacerdos à subdito, ut quando fruentum est horrendis mysterijs: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur, &c. Nam sacerdotium dat consecrandi, offerendi, distribuendi potestatem; non autem accipiendi dignitatem, quam vita facit, non Ordo. Proinde sicut sacerdos impius indignus est, qui hoc sacramentum vel semel in anno accipiat: ita laicus bonus dignus est, ut qualibet septimana accipiat.

Sed rursus adferuntur secularium occupationes, quibus à dignitate & preparatione convenienti videntur impediri: Quibus dicendum est; 1. Nullum esse ad communionem impedimentum, nisi peccatum; & sordes peccati: proinde occupationes quæ peccatum non habent adiunctum, nihil impedire. 2. Quo quis maiores occupationes sustinet, eo maiori opus esse auxilio. Nullum porò inuenio meliorem adiutorem, quam Christum



stum Dominum in sacramento susceptum.  
 3. In magnis negotiis maiora esse pericula:  
 atq; idcirco necessarium esse medicamentum  
 præseruatium, ne noxium ærem in occu-  
 pationibus per multa colloquia lauriat. 4.  
 Nō esse difficile homini seculari, quamuis ne-  
 gotiis multis implicatissimo, ad sacram com-  
 munionem qualibet septimana se præparare,  
 si pauca ista seruare velit: Christiano homi-  
 ni seruanda. 1. Ut manè quotidie sacrum mis-  
 sæ officium, si potest, audiat: sin minus sal-  
 tem oratione se Deo, suaq; omnia ex ani-  
 mo commendet. 2. Ut vespèri ante somnum  
 conscientiam suam examinet, peccataq; diei  
 illius memoriæ mandet. 3. Ut Dominica die  
 totius hebdomadis peccata colligat, & con-  
 fessione conscientiam purget, sumptoq;e  
 Christi corpore, tempus ante meridianum,  
 vel totum, vel ex magna parte deuotioni,  
 Deoque, quo ad eius fieri poterit, impendat.

Posterius argumentum est hominum pio-  
 rum, qui post frequentem aliquanti temporis  
 communionem, magno dolore quaruntur,  
 adeo se nihil proficere, vt magis deficere quo-  
 tidie sibi videantur.

His quoq; respondendum est. 1. Non il-  
 los omnes deficere, qui sibi deficere videntur,  
 sed potius eò magis proficere, quò defectus  
 magis agnoscitur: sicut sordes cubiculi im-  
 mundi non videntur in tenebris, interdium au-  
 tem in lumine solis videntur etiam minutissi-  
 mæ sordes cubiculi mundi: quoq; maiori lu-

mine cubiculum illustratur, & homo ipse acutius videt: eò plus sordium ei apparet. Itaque, quod non videatur sibi homo proficere, non existit inde, quòd non proficiat: sed ex eo, quòd minuta peccata faciliùs aspiciat, magis que deieſtetur.

2. Proficientium eſſe non agnoſcere profectum, ne ſuperbia extollantur: tamen qui ſibi progredi in dies nihil videntur, ſi annos cum annis conferant, fortasè profectum inueniunt: ſicut puer, qui corpore creſcit non percipit incrementum, niſi poſt annos aliquot quando veſtes illas ſibi experitur non conuenire quibus antea commodè vti conſueuerat. 3. Quod pij homines non aduertant profectum, inde prouenire, quòd non ſtatim aſſequantur illud quod optant, nimirum paſſionum vacuitatem, in oratione feruorem, animum perpetuò ad Deum intentum. Sed licèt non aſſequantur iſta, vt optant: aſſequuntur tamen alia pro Dei voluntate: nimirum, peccatorum cognitionem, conſcientiam delicatam, animum ab hoc mundo alieniorem, atque ad res diuinas propenſiorem. Quibus in rebus dũ paulatim progrediuntur, tandem etiam accipiunt prædicta, quæ diu optarunt: ſed iã frequenter accipiunt, vt accepſiſſe ſe prorfus ignorent, donec nullum ſit à vana gloria periculum.

## CAPVT II.

DE DIGNA AD EVCHARISTIÆ  
*communione preparatiōe.*

*In quatuor rebus probatio, & preparatio ad hoc  
Sacramentum versatur.*

PRIMÒ, in fide, vt nimirum credas sub mi-  
nima visibili particula panis, post conse-  
crationem, contineri verum, & integrum cor-  
pus Christi IESV, veri Dei, & hominis; cor-  
pus, inquam, idem, quod ex Maria natum, cru-  
ci postea affixum, modò ad dextram patris  
omnipotentis in cœlis sedet gloriosum. Quia  
verò corpus Christi, corpus est viuum, & ani-  
matum, & corpus Christi veri Dei: Ideò sub  
ipsa specie panis, non caro tantum; sed & vna  
per concomitantiam sanguis, & anima glori-  
osa, & beatissima Christi diuinitas cum maie-  
state sua continentur: adeò vt necesse non  
sit laicis sumere Sacramentum sub specie vi-  
ni; quod solis conuenit Sacerdotibus; qui nõ  
tantum communicant, sed etiam sacrificant.  
Quapropter vinum quod communicatis lai-  
cis porrigitur, vinum est, non Christi sanguis,  
quod quidem ad abluendum os, & ad hosti-  
am facilius deglutiendam propinatur. Et sicut  
sub specie panis hæc quatuor, quæ diximus,  
caro scilicet Christi, sanguis, anima, & diui-  
nitas continentur; ita quoq; sub specie vini,  
Sanguis, & per concomitantiam, caro, ani-  
ma, & diuinitas concluduntur. Atq; hæc est

fides Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, pro qua occumbendum est potius millies, quam vel minimum de ea ambigendum: Quod si te dæmon, aut hæreticus, minister eius quispian tentauerit, & dubietatem aliquam circa veritatem hanc ingesserit, nihil pro responsione aliud ingeras, quam Credo, credo; Deus est omnipotens. Non est impossibile apud Deum omne verbum. Qui dixit: *Fiat lux, firmamentum*, & cætera. *Et facta sunt*: idem dixit: *Hoc est corpus meum.* & verè sit, & est post consecrationis verba, Corpus Christi. Sicut non fuit Deo impossibile, ait B. Augustinus, quas voluit naturas instituere; sic et non est impossibile, in quicquid voluerit iam institutas mutare. Quod credidit semper Ecclesia, quod tenuerunt Ecclesiæ Patres omnes, hoc credo, hoc teneo. Domine adauge fidem meam

2. Præparatio, & Probatio hæc consistit in Pœnitentia: scilicet, ut peccata tua agnoscas ex animo, ob ea verè doleas, eademq; Sacerdoti verè confitearis, si mortifera potissimum fuerint; ac impetrata eorum absolutione, firmum etiam animo concipias amplius non peccandi propositum: utque omni abiecta similitate, & odio, reconcilieris abs te læsis.

3. Sita in eo est hæc præparatio ut decens sit habitus & compositio corporis: ut non nisi scilicet ieiunus, modestus, humilis, minimeq; etiam exterius fordidus ad sacram synaxin accedas. Aegrotis tamen etiam non ieiunis dari potest, quibus timetur, ne sine viatico ex-



dant. Obligatur enim omnis Christianus (si modò fieri possit) in mortis articulo communicare.

4. Probatio hæc posita est in mentis attentione, & animi præsentia: vt nimirum per meditationes & orationes pias, ad hoc tantum Sacramentum, animum conuertas, consideresque, ac admireris incomprehensibilem Dei humilitatem, & charitatem non dedignantis venire ad te, a te accipi, tibi vniri, & coniungi, simulq; in memoriam reuoces passionem, & mortem ipsius, cuius mysterii, in hoc Sacramento singulariter memorẽ te esse voluit.

*DE MODO SE PRÆPARANDI  
ad sanctissimum Eucharistia sacramen-  
tum sumendum.*

**E**X hoc omnium bonorum Spiritualium fonte, tantum se quisque hausturum credat, ad quantum capiendum ipse se præparauerit. Potest autem ista præparatio fieri bifariam. Quidam enim satis habent, peccatum in communiõne euitare, ac se ad conseruationem & augmentum gratiæ aliquo modo disponere: Alii etiam ad gustandum in hoc Sacramento, quam suauis sit Dominus, & ad gratiam abundantiorẽ accipiendam, & vehementer augendam, se comparant.

*De priori præparatione minus perfectã, sed omnibus necessaria.*

**P**rima preparatio, quæ in omnibus esse debet, exigit, vt, quæ impediunt dignum accessum ad communionem, vitentur, cuiusmodi est excommunicatio, & peccatum mortale. Ab illa ergò absolui, qui ligatus est: & ab hoc emundari qui sibi peccati conscius est, per contritionem, & confessionem; & propositum firmum in posterum abstinendi, curet. Est etiam mane communicaturo impedimentum cibus post median noctem sumptus, nisi periculum mortis immineret, & huiusmodi impedimenta necessariò sunt remouenda. Decet etiam aliare moueri, cuiusmodi est nimia distractio mentis, tædium, & somnolentia, & magis quàm hæc, commotio à pollutione (etiam sine culpa) vel ab alio peccato, præsertim si mortale sit, nam illo die abstinendum esset etiam post confessionem, si causa vrgens non excusaret: non tamen mortaliter peccaret, qui cum his secundariis impedimentis ad communionem accederet; & deuotio multos huiusmodi defectus supplere posset.

**PRIMUM** ergo in hac præparatione, impedimenta remouere.

**SECUNDUM** est, bona cum voluntate in seruiendi DEO, quæ bonis operibus, cum opportunum fuerit, confirmetur: & cum fide sincera, ad nutriendam animam sanctissimo Christi corpore, accedere.

**TERTIO** curandum est, vt magna cum humilitate, ex consideratione tantæ maiesta-

tis ac sanctitatis, ad communionem accedatur.

**QUARTO**, querenda est deuotio ex consideratione passionis Christi, & ex presenti benignitate, quæ nobis in hoc Sacramento exhibetur ad spem & amorem se excitando, ad quod oratio cum consideratione multum valet.

Post communionem, hoc faciendum est Christo, quod solet fieri nobili hospiti.

**PRIMO**, agendæ illi gratiæ, quod ad tam vile hospitium accesserit.

**SECUNDO**, offeremus illi nos totos nostraque omnia, vt illa tanquam tua disponat, & curet.

**TER TIO**, aperiemus ei paupertatem nostram nostrosque omnes defectus, petemusque gratiam, ad malas affectiones omnes deponendas, virtuteque contrarias assequendas.

*De secunda preparatione exactiori.*

**S**ecunda dispositio tria exigit ante communionem, tria circa eam, totidem post eam.

Ante communionem primò exigitur dolor de peccatis etiam venialibus, & confessio, si quid conscientiam grauaret: & breuiter, quidquid ad puritatem animæ pertinet. Cor etiam purgandum est ab omni amore sensuali ac desiderijs, & delectationibus, quæ diuinum amorem non adiuuant; & sensus, discreta quadam seueritate, etiam in rebus licitis, restringendus est.

**SECUNDO**, fames huius cibi excitanda est.

est, duplici consideratione: altera, excellentiæ & vtilitatis huius Sacramenti; altera, propriæ paupertatis ac necessitatis. *Vide etiam infra cap: 3. sequentes rationes varias ad hanc famem excitandam, iuuantes.*

TERCIO, profunda reuerentia & humilitas, quæ duabus etiam considerationibus iuuatur: Altera immensæ magnitudinis, dignitatis, & imperij Christi Domini, & puritatis, quia nec stellæ in conspectu eius mundæ sunt. Altera, contrariæ vilitatis, & infirmitatis nostræ, quæ considerata efficiet; vt diuinam beneficentiam magnificiamus. *Vide cap: 3. sequente etiam plura, quæ ad hanc reuerentiam Sacramenti conciliandam facient.*

*Tria circa Communionem.*

IN primis circa Communionem exigitur Amor, qui in duabus considerationibus inuenitur: Altera, Pasionis Christi, ex cuius vulneribus amor conuenientissimè hauritur: altera, præsentis beneficii, in quo tanta cum dignatione & charitate Iesus Christus se communicat, tanquam familiariter & intimè nobis se coniungens; nec solùm eius maiestas pauperem nostram domum ingreditur, & à nostris vulneribus nõ abhorret, seu sanguinè etiam suam, & corpus, in medicamentum donat, ad nos sanandos, præseruandos, confirmandos: *Ad huiusmodi amoris exercitium, plurimum conducere videtur, si primum manè eius diei quo communicabis, te obiter iam in eo exerce-*



re incipias, cogitare benignissimum Dominum tuum: cum desiderio te expectare in Ecclesia, ut in anima tua requiescere possit. Deinde se aduendo illum cogites, quanto gaudio etiam Angelus tuus custos afficiatur, dum te comitatur eundem. Et suum tuumque Dominum, tam suorum amantem, hospitio recipias. Idemque de sanctis etiam Patronis tuis, Beatissimisque imprimis Virgine cogitare liceret. Quos propterea, templum iam ingressus, etiam deprecari possis, ut amorem tibi communis Domini sincerum, ac dignam communionem ab eo impetrent.

SECUNDO, Exercetur spes considerando in Christo esse quicquid confidentiam excitare potest; hinc quidem, quoniam potest omne bonum nobis conferre, cum sit omnipotens, & indigentiam nostram perspectam habeat. Cum ergo accedamus ad mare immensum bonorum omnium, quomodo non haurimus aquam gratiæ abundanter ex eo? Inde verò, quia vult omne bonum nobis impertire, cum sit summe benignus, cum nos diligat plus quam nos ipsi magisque largiri nobis sua dona, quam nos recipere desideret, cumque, ne meritum desit, suum nobis impendat.

TERTIO, ex intimo corde gratias agere pro tanto beneficio, & charitate, qua nos complexus est.

*Tria post Communionem.*

POST Communionem, ad fructum huius Sacramenti seruandum, & magnopere augen-

gendum, requiritur.

PRIMO, Custodia sollicita sensuum, lingue & cogitationum, post tantum hospitem domi nostræ exceptum, & si accideret quid committi, quod ipsius oculis displiceret, statim cum dolore ad veniam petendam accedere, & ne à nobis recedat, suppliciter orare.

SECUNDO, exhibere huic hospiti, quicquid obsequij bonorum operationum, ex ipsius amore poterimus; & quod eundem deest, bona voluntate supplere, illius gloriæ amplificationem cum maxima cupiditate desiderando. *Huc pertinet, die communionis libenter interesse Concioni, frequentare pios cætus, adesse vespertinis officiis in Ecclesia, & alia his similia præstare.*

TERTIO, assistere summo huic hospiti domi nostræ suo loco & tempore, per meditationes, & orationes deuotas, salutaria nobis & utilia petendo, ipsum laudando, gratias agendo, &c. iuuat ad hoc ipsum, crebro ad sanctum hoc Sacramentum accedere: Penitius enim in Iesum Christum ingrediemur, & magis ille participes donorum suorum nos facit. *Huc pertinet pia omnis meditatio vel de SS. Trinitate, vel de B. Virgine, vel de Christi passione & mysteriis redemptionis nostræ, vel de Venerabili Sacramento, vel de sanctis, prout dicit ipse feret & postulabit. Propterea etiam de his omnibus non est ommissa apta Meditationi in hoc thesauro nostro materia. Vide infra lib: 6. & 7. &c. Et de Eucharistia hoc ipso lib: cap. 4.*

## CAPVT III.

EXERCITATIONES VARIÆ  
ante sumptionem Eucharistia adhibenda.

Breuem, & efficacem Meditationem de causis Institutionis huius sanctissimi Sacramenti, Vide infra lib: 7. Cap: 2. Thom: 2.

Varia affectiones, & intentiones, quas habere possunt ij, qui ad SS. Eucharistia Sacramentum sapius accedunt. Item qz Sacerdotes sapè celebrantes.

1. Aliquos trahere potest Amor Dei, vt dilectum ad se inuient sapius, eumq; in telectabiliter amplexentur.
2. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, vt eum quasi medicum ad se inuient, per quem ab omni infirmitate sanentur.
3. Aliquos conscientia delictorum: vt per eum, quasi per hostiam placationis, à peccatis omnibus expiari purgentur.
4. Aliquos desiderium impetrandæ alicuius gratiæ, vel beneficij per Dominum Iesum.
5. Aliquos gratiarum actio pro beneficijs Dei: cum nihil habeant dignius reddere Deo, pro omnibus quæ retriit ut nobis, quàm accipere hostiam salutis, redemptionis monumentum, & redempti munimentum.
6. Aliquos laus, & honor Dei, & sanctorum cum non habeamus maius, in quo possimus Deum, & sanctos pro dignitate honorare.

7. Ali-

7. Aliquos pressura alicuius tribulationis, ut per eum, cui omnia patent, ab omni aduersitate citius liberentur, & singularius protegantur.

8. Aliquos charitas, & compassio proximorum; cum pro salute viuorum, & requie mortuorum nihil interpellat apud Patrem efficacius, quam sanguis Domini Iesu.

*Aliquot considerationes ad ingenerandam animis nostris reuerentiam erga hoc Sacramentum, per modum meditationis & surpandæ.*

1. Quis ego sum benignissime Iesu, ut desiderio apud me manendi tenearis? Num vilissimam originem meam ignoras? Non sum ex numero cœlestium illarum legionum; non sum Seraphim, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis spiritibus. Homo sum, qui ante nihil fui, ex terræ limo ducens initium. *Putredo pater meus est, mater mea, & soror mea & vermis.* Quid igitur reperis in me quod te tantopere delectet, & tecto ac domo inuitet?

2. Sed fortassè, ô speciosimè forma præ filijs hominum, deliciae tuæ sunt esse cum filijs hominum. Verum non sum ego Moses, non Abraham, non Iacob: longè absum à sanctitate Ioannis, à puritate Mariæ Virginis, à caritate Apostolorum, à sanctorum tuorum perfectione. Peccator sum, tua præsentia indignus: qui te pro scæda voluptate & lucro temp orali non semel Iudæis vendidi; & ego te



tam cum Iuda deosculabor? Et velut regem Iudæorum salutans arundine, hoc est, vacuitate virtutis, & leuitate nimia vitæ meæ, caput tuum percutiam.

3. Si S. Ioannes Baptista in ventre matris sanctificatus, vir tantus, & tam admirabilis, non reputat se dignum, qui te tangat, aut soluat corrigiam calceamenti tui. Si S. Petrus Apostolorum Princeps præsentiam tuam in nauicula sua extimelcens dicit: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*: Si Centurio indignu se ducit, sub cuius intres tectum: Quomodo ego, totus in peccatis natus, audebo te non dicam tangere, sed etiam in me accipere, & manducare? O flos campi, O liliu conuallium, panis Angelorum, quomodo nunc à bestia manducaberis? Quomodo qui pasceris inter lilia, pascuæ locum apud me inter spinas, & tribulos inuenies?

4. Si Oza sacerdos, tantum quod arcam testamenti attigisset, non ea qua debuit reuerentia, & puritate, repentina morte à Deo punitus est: Si Bethsamarum 50. millia occidit Deus, quod curiosè, & irreuerenter eandem arcam aspexissent: non erit mihi timendum qui non accedo ad tangendam, vel inspiciendam arcam testamenti, sed ad diuinissimum Corpus tuum, arcam scilicet veram testamenti, in qua inclusi sunt omnes thesauri sapientiæ & potentia Dei, complectendum & manducandum?

5. Sed tamen memini, Domine, quia meretricem

tricem suscepisti; quia cum peccatoribus manducaſti, quia gratiores tibi multò fuerunt Magdalene lachrymæ, quàm Phariſæi epulæ; quia non indignatus es à muliere, profluuiò ſanguinis laborante, ſimbriam veſtimenti tui tangi; quia cœcos, claudos, immundos, leproſos ad te appropinquantes non reieciſti; ideò ad te venio alacris & bonæ ſpei plenus, quod me non reiicies, nec repudiabis. Quare ò bone IESU, venientem me recipe, ac tibi per hunc myſticum panem, quem in me accipere ardeo, coniungè.

6. Si me ò ſuauiſſime IESU, ab hac menſa iuſtiſſimus timor, quem magnum ſclerum meorum generat, abducit, & abſtrahit; ad eam ſpes, & amor quem cognita miſerationũ tuarum immenſitas parit, inuitent, & vrgent. Scio te eſſe, quia dixiſti: *Non Veni Vocare iuſtos, ſed peccatores: Et: Non eſt opus medico ſanis, ſed malè habentibus.* Ideòq; Zachæo publicano tui videndi deſiderio æſtuanti non oſtendiſti te tantùm, ſed & eum benignè compellaſti, ad eius domum accedere; cum eo agere, & manducare voluiſti. Vt quid ergo de tua miſericordia, bone Ieſu, diſſidam? cur ad menſam tuam inuitatus adire refugiam? immò, cur ad eam non acturum prouolem? In ea enim pharmacum ſalutis, antydotum contra infirmitates mea, potentiſſimũ porrigas, In ea propinabis mihi vinum, quod germinare facit virgines, quod ſerpentes interimat, quod vitam mortuis, reſtituit: In ea, ſi infir-

mus

mus sum confido me sanandum; si debilis confortandum; si viuus, magis viuificandum: si mortuus, ad vitam reuocandum, si tepidus, accendendum; si ardens, inflammandum, si cæcus, illuminandum; si elius, erigendum; si nudus, vestiendum; si sordidus, abluendus; si pauper, ditandum. Venio ergo Domine, ostende mihi faciem tuam, ingredi in domum meam; dicas quia salus facta est domui meæ, & cur non salus illi fiet, si ad eam Saluator accesserit?

*Aspirationes aliquot, spiritualem famem, ardentem que desiderium huius sanctissimi Sacramenti excitantes.*

1. Quid tibi, Domine IESV, vt venias ad me, atq; sic te n. ihi communicates: Quis enim tu, & quis ego? Tu creator, ego creatura: tu Dominus, ego seruus: Tu Deus, ego limus: Tu qui es, ego nullus: Tu sanctitas ipsa, & bonitas, & beatitudo; ego impius, flagitiosus, & infelix. Cur ergo ad me properas? Cur mortem minaris, nisi te accepero: An tu fortasse præ amore mei, nescis quis, qualis & quantus sis? Sed quia icis, ad me tamen adire vis non refugio, non tergiuerfor. Veni ergo Domine, & noli tardare; tui enim amore languo.

2. Euge anima mea, annuncio tibi gaudium magnum: gaude & lætare, quia venit ad te creator tuus, pater, pastor, sponius tuus, Deus & homo Christus IESVS, cuius deli-

ciæ sunt esse cum filijs hominum. Compose te ergo, & dilatare ad tantum hospitem capiendum, euacua locum cordis tui. Ecce nunc amplissimo beatissimæ diuinitatis, sanctissimæ animæ, corporis gloriosissimi, sanguinis pretiosissimi munere auctam te esse desiderat. Occurre illi cum muneribus; sed quid tibi offeram, bone I E s v? Quid me opus habes, qui omnia habes? Si me totum dederò, quantulum id est? Si quod aliàs facere assoles, cor meum petis, illud tibi offerre non audeo: Est enim immundum, est frigidum, est asperum, est te planè indignum. Quod si omninò dari tibi vis; offero penitus; & quaecunque sit dono. Si enim immundum est purissimo sanguinis tui balneo, quod mihi paratur in hoc Sacramento, lauabis: Si frigidum Charitatis tuæ non tam igne, quam incendio quod in Eucharistia feruet, accendes: si durum, & asperum, benignitatis tuæ oleo, gratiæque vnguento, cuius plena sunt hæc mysteria, lenies: atque sic lotum, accentum mollitum, nec prorsus tua misericordia indignum cor meum accipies, & cor mihi tuum porriges. Accipe me tibi, bone I E s v, & te totum dona mihi. Accipe cum corde meo totum amorem meum, & porrige amorem tuum.

2. Scio, o bone I E s v, dulcedo cordis mei, vitæ animæ meæ, æternum bonum meum, quia amas me. Quæ enim alia fuit causa, vt dum se Iudas componeret ad tui proditiõem;

tu ho-



tu horum quasi nescius omnium, Sacramentum hoc institueres? nisi vt vicissim parares nobis amoris funes & vincula, quibus nos tibi constringeres; & gloriam, qua nos æternum beares? nisi vt passionis tuæ viuum nobis relinqueres memoriam: qua, procuratæ nobis per eam salutis, demonstratæq; tuæ admirabilis, & planè nimix charitatis essemus perpetuò memores. Agnosco ergo mysterium, agnosco caritatem: de qua verissimè scriptū; quia aquæ multæ (passionis scilicet) non potuerunt extinguere nec flumina obruere eam. Quocirca, vt eo caritatis igne incalescam, vti gratam vicem amoris rependam, vt à te cruciatibus nullis desciscam, venio ad te bone IESV; os meum per hanc participationem Corporis tui, lateri tuo applicare, & sanguinem tuum exfugere ardeo. Sic enim magnitudinem amoris tui non tantum intelligam, sed & palpabo quasi, & intimis precordiis sentiam; vt in me semper maneat, & ego in te, veni ergo Domine, & noli tardare.

4. Scio amator hominum, suauissime IESV, dum corpori tuo precioso communico, fieri me templum Spiritus sancti; tabernaculum sanctissimæ Trinitatis; sepulchrum viuuum tuum; hospitem etiam tuum; immò matrem Dei, sponfam tuam, beatæ matris filium; idèque, quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: vt in me habites, apud me commoreris, in me viuas. Festina ergo Domine, ne

tarda-

tardaueris, patent tibi cordis mei penetralia ; compositum sepulchrum ; in quo non 40. horis , vt in illo lapideo , sed in perpetuum conquiescas.

5. Non ignoro pientissime I E s u , carnem meam , dum Communico , tangi à benedicta carne tua , manus me tuas osculari , completi sanctum caput : tui propterea sumendi desiderio exæstuo. Scio cum te in me accipio , quendam quasi fieri cœlestem paradysum : vbi enim Deus est , ibi & paradyus est. Cupio ergo ex te audire iam glorioso , quod olim à mortali & crucifixo au. dijt latro : *Fili mi , hodie mecum eris in Paradyso.* Scio denique dum communico fieri me aulicum tuum ; alsidere mensæ Regiæ , vesci epulo preciosissimo , panem Angelorum sumere , delicias prægustare gratia compleri , futuræ gloriæ pignus accipere , ac denique bonis omnibus cumulari. Ea propter , cor meum , & caro mea exultauit in te Deum suum ; ad tuas delicias , ad tuum conuiuium anhelant.

*ALIÆ RATIONES, QVIBVS AD  
seruens communicandi desiderium  
seipsum excites.*

**E**Xcitet te primò propriæ infirmitatis intuitus ; quæ te meritò stimulare debet , vt Redemptorem tuum , in hoc Sacramento verè , & realiter præsentem , quasi medicum , ad te ardentè inuites , vt eius gratia , & auxilio , ab omni infirmitate , & imbecillitate cureris.

Excitet

Excitent pressuræ quarumcunq; tribulationum : vt per eum, qui non amat, & deserit, nec despicit in opportunitatibus, in tribulatione ab omni aduersitate citius libereris, & securius protegaris. Hęc est enim mensa, quam parauit Dominus aduersus omnes, qui tribulant me. Psal: 22.

Excitet gratiarum actio pro beneficijs Dei: cum nihil possis dignius reddere Deo tuo, pro omnibus quæ retribuit tibi, quam, accipere hostiam salutis, Redemptoris monumentum, & redempti munimentum.

Excitet laus & honor Dei, & Sanctorum, quia nihil habes maius, aut dignius hoc Sacramento, quod possis ad laudem Dei, & sanctorum offerre, & sumere.

Excitet desiderium, efficaciter impetrandæ cuiuscunq; gratiæ, vel beneficij, quod expetis. Ille enim ipse, quem sumere intendis, est fons, & origo omnium bonorum, & gratiarum. Per illum (ait Bern: Serm. de cœna Domini) minuitur in minimis peccatis sensus, in grauioribus tollitur omnis consensus. Per illum vim concipimus potestates Sathanæ repellendi: (ait Ignatius Epif: 14. ad Ephes.) & terribiles reddimur omnibus inimicis nostris, tanquam leones (inquit Chrysost. Homil: 61. ad popul: Antioch.) ignem spirantes: sanguine scilicet Iesu Christi imbuti. Per illum vires dantur: non solum ad omnem languorem, & teporem pellendum, sed ad ipsum etiam martyrium subeundum,

O

ait,

(ait Cyprianus lib: 1. Epist: 1.) Ille demum in Eucharistia est viaticum peregrinationis nostræ, & (vt Ecclesia canit) futuræ gloriæ pignus.

Excitet charitas & compassio proximorū, quia tam pro salute viuorum, quàm pro mortuorum requie & refrigerio, nihil interpellas efficacius, quàm sanguis Domini IESV.

Excitet postremò amor ipse Domini tui, Cuius cum deliciæ sint versari cum filijs hominum: ac propterea se in hoc sanctissimo Sacramento collocarit, vt nobiscum vniri posset: redama & tu illum eumq; sæpè, & libenter ad te inuita, & intimè ei vniri desidera. Domique, si expetis (vt vnicè velle, & optare debes) Christo Domino tuo perpetuò in cœlis adesse, & huc eum in Eucharistia præsentem, frequenti, & feruenti charitatis affectu, complectere, illoque delectabiliter fruire. Nam si huc verè præsens est thesaurus tuus, spes tua, fortitudo tua, solatium & gaudium tuum: qui fieri potest, vt rebus omnibus terrenis contemptis, huc non transferas cor tuum: illumque tibi ipsi, & cordi tuo reipsa vnias?

*Oratio ante Communionem.*

**S**I Ioannes Baptista tuo capiti, dulcissime Iesu, tantum honorem habet, sanctumque verticem tuum tantopere reueretur, & corrigiam calceamentorū soluere se indignum iudicat: si Petrus præsentiam tuam extime  
scens,



scens, dicit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Si panibus propositionis, non licuit vesci, nisi mundis & sanctis: quomodo ego, ab omni sanctitate alienissimus te recipiam? Si Oza Sacerdos, declinantibus bobus, arcam sustinens, luce communi priuatur: si Bethsamaritarum, inspicientium arcam, multa occiduntur millia: quomodo ego inter arcam illam, & hoc sacratissimum corpus dignitatis & Maiestatis distantiam considerans, non exhorrescam? Si me toto vitæ tempore, ad semel te dignum suscipiendum, Angelica præparatione disponerem, necdum tantis dignus essem mysterijs: nunc quomodo imparatus, & tepidus accedam? Quomodo, qui te pro foeda voluptate, & lucro aliquo Iudæis vendidi: nunc te cum Iuda deosculabor? Quomodo, qui me post tam frequentem communionem non emendaui: nunc te velut Regem Iudæorum salutans, arundine caput tuum percutiam? Quæ est communio lucis ad tenebras? O flos campi, ô lilium cōquallium, panis Angelorum: quomodo nunc à bestijs manducaberis? Quomodo, qui pasceris inter lilia, pascuæ locum apud me, inter spinas & tribulos, inuenies? Vbi est in me nouum illud sepulchrum, quod sacratissimum corpus tuum de cruce depositum suscepit? Vbi linteamina munda, quibus inuolutus eras, si nulla mei pars foridibus est vacua? O Deus meus, dulcissime sponse animæ meæ, itane pollutus ad thalamum tuum accedam?

Hucné tua se demittet pietas, vt cum Sathari  
 florem ætatis meæ præripuerit, tu fecibus, &  
 reliquijs contentus esse velis? Attamen, tu  
 idem ipse meretricem suscepisti: tu cum pec-  
 catoribus manducaſti: tu gratiores tibi la-  
 chrymas Magdalenæ, quam Pharifæi epulas  
 es conteſtatus. Hic, hic, ô dulciſſime Ieſu,  
 hic itidem nunc, tibi maioris gloriæ, & miſe-  
 ricordix oblata occaſio eſt: ſi me miſerrimū,  
 peccatorum multitudine, lachrymarum verò  
 inopia laborantem, ſimili cumulaueris bene-  
 ficio. Mihi quidem non ſunt tot lachrymæ,  
 quæ eluendis omnibus peccatis meis ſuffici-  
 ant: ſed tu, piſſime Deus, ſanguinem tuum  
 ſacrum fudiſti, cuius vel minima gutta, om-  
 nia totius mundi delere crimina poſſit. Noli  
 ergo mihi accedenti irarſci, qui non es iratus  
 mulieri profluuio ſanguinis afflicte, te tangen-  
 ti. Qui cœcos, claudos, immundos, leproſos,  
 ad te appropinquantes non reieciſti: hodie  
 me benignus ſuſcipe. Quò enim, ô Domine,  
 præter te, confugiam? Planè in hac Angelica  
 menſa, ſi inſirmus ſum, conſido, me ſanandū:  
 ſi debilis, confortandum: ſi viuus, magis vi-  
 uificandum: ſi mortuus, ad vitam reuocan-  
 dum: ſi tepidus accendendum: ſi ardens, in-  
 flammandum: ſi cœcus, illuminandum: ſi  
 eliuſus, erigendum: ſi nudus, veſtiendum: ſi  
 ſordidus, fonte medicinæ abluendum: ſi pau-  
 per, ditandum: denique, quò miſerior ego  
 ſum, eò miſericordia tua maiore irrorandum.

Tu autem, ô Pater clementiſſime, ſicut

Dauid

Dauid hominem claudum, eò quòd filius fuerit amici sui Ionathæ, mensæ suæ fecit accumbere: sic quoque ob amorem vnigeniti filij tui, largire mihi gratiam, vt cælestē hunc cibum in sacratissima mensa tua dignè possim percipere, ad honorem eiusdem dilectissimi filij tui. Qui tecum viuit & regnat, vnā cum sancto & viuifico Spiritu, in secula seculorum, Amen.

*Alia oratio ante Communionem.*

**O** Miranda, & stupenda cœcitas cordis mei, & duritia deploranda, in abundantia maxima spiritualium diuitiarum, hæctenus pauperrimus extiti; in copia tantarum deliciarum miser; in affluentia tantæ gratiæ aridus. Ad mensā Domini mei Iesu, toties inuitatus, accessi, & vacuus, ac confectus macie, miser ex conuiuio recessi. O dulcissime, & amantissime I E s u, gaudium meum, vita animæ meæ; ecce coram te meam cum gemitu ignauiam cordis accuso, tepiditatem deploro: ecce sterilitatem animæ meæ, pluuiam voluntariam postulans, ipse pronuncio. Tu mihi tam propè adfuiisti; & ego tam longè à te recessi. O melliflue I E s u, quàm tepidè te panem Angelorum, te mel in ore, & iubilum in corde, suscepi? O stupiditas animæ meæ, liquorem omni balsamo suauiore in ore habui: nec tamen illius sensi fragrantiam. O quàm tepidè me ad te, suauissime I E s u, recipiendum disposui: quàm citò me à te ad alia

vana conuerti : quàm citò te expuli ? Sic fui omni sensu Diuinitatis tuæ vacuus, ac si Deus meus præsens non fuisses. Heu, quoties tam in deuotè, & tam distracto corde, in præsentia Diuinissimi tui Sacramenti, steti ?

Flens igitur doleo, quod hucusque ad hoc mysterium intellectum habui tam excæcatum, & affectum tam induratum : eò quòd ponderanda non ponderaui ; & me ad tantam gratiam non melius humiliaui. Parce ergo mihi, dulcissime I E s v : parce tepiditati, & negligentia meæ : & da, vt cum frequentatione mysterij tui, crescat in me deuotionis affectus. Accende cor meum flagrantissimo huius Sacramenti amore, & desiderio, vt quando, & quoties tuæ Maiestati placuerit, maximè autem hora vitæ meæ extrema, ea humilitate, ac reuerentia, ea puritate, ac charitate, ea deuotionè, & intentione, qua tu instituisti, & sumi voluisti, merear ipsius sumptione, contra omnes hostium insidias præmuniri, contra omnes aduersitates confortari, in gratia tua confirmari, & amore tibi inseparabili vniri. Tibi laus & gloria in secula seculorum, Amen.

#### CAPVT IV.

QVID IN IPSA COMMUNIONE

& post agendum.

*Circa ipsam communionem breuè meditatio.*

ERgo ó bone I E s v, dulcissime & amantissime  
me le.



me Iesu, deliciae meae, amor meus, æternum bonum meum, melliflue & desideratissime Iesu, miserere mei, coniunge me tibi, *quia ego seruus tuus sum, & filius ancilla tuae*, Ecclesiae, & Mariæ. Paratum tibi cor meum, *fiat mihi secundum verbum tuum.*

*De corporis compositione in sacra Communione.*

**Q**uod ad corporis compositionem attinet, ea sit eiusmodi; quæ & tantum Sacramentum deceat, & nihil insolens habeat, & Sacerdoti sacram hostiam porrigenti, molestiam non adferat. Itaque genua flectantur, manus complacentur, non ad os eleuate, ne Sacerdotem impediunt, sed circa pectus decenter compositæ. Caput sine motione sit in neutra partem inclinatum, aut anterius demissum, sed moderatè eleuatum; vt citra difficultatem à Sacerdote os attingatur. Oculi vel clausi, vel demissi. Turpe enim est eo tempore vel Sacerdotem aspicere, vel aliò oculos conuertere. Os omninò quietum, sine vlla lectione, vel labiorum motu, honestè apertum, non nimis diductum. Lingua extremum labium attingat, non nimis extensa, vt hostiam suscipiat, & in os deferat. saliuamque reuerenter liquefactam, in corpus demittat. Non enim est dentibus terenda, vel palato admouenda, vel ante abluitionis sumptionem, deglutienda. Corpus totum erectum sit, & sine vllò motu quietum, suspiria, flatus, gemitus, pe-

storis tunctiones, exclamationes, vocales orationes, & id genus alia, quæ non rarò periculum adferunt, vel casus hostiæ sacræ, vel contactus dentium aut labiorum; communionis tempore omittuntur. Oret tunc solus spiritus, sanctæque & suavi in Deum meditatione feratur.

*Quid post communionem faciendum.*

**V**Idetur quæ de hac re dicta sunt supra, cap: 1. ubi de modo præparationis ad communionem actum. Sed ante omnia orationi aliquid dandum est, & confestim gratiæ agendæ, quod dignatus sit Deus ingredi in te, & suscipi à te. Quocirca opportunè adieceris psalmum sequentem.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Dñi manet in æternū.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Anima Christi sanctifica me:

Corpus Christi salua me:

Sanguis Christi inebria me:

Aqua lateris Christi laua me:

Passio Christi conforta me:

O bone IESU, exaudi me:

Intra vulnera tua absconde me:

Et ne permittas me separari à te:

Ab hoste maligno defende me:

In hora mortis meæ voca me:

Et iube me venire ad te:

Vt cum sanctis & electis laudem te :  
In secula seculorum, Amen.

*Oratio S. Thoma ad Deum Patrem, post  
Communionem.*

**C**Ratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, & æterne Deus, qui me indignum famulum tuum, nullis meis meritis exigentibus, sed sola dignatione misericordie tue, satiare dignatus es pretioso corpore, & sanguine filij tui, Domini nostri IESU Christi. Te deprecor, vt hæc sancta communio nõ sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei: & scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio: concupiscentiæ ac libidinis exterminatio, caritatis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, omniumq; virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum tam visibilium, quàm inuisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quàm spiritualium perfecta quietatio in te vno, ac vero Deo firma adhæsiõ, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu ipse es cum filio tuo & Spiritu sancto, sanctis tuis lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, & felicitas perfecta,  
Amen,

*Alia oratio Sancti Bonaventurae, post  
Communionem.*

**T**Ransfige, dulcissime Domine IEsu, medullas & viscera animæ meæ, suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serena, & Apostolica sanctissima charitate; ut langueat, & liquefiat anima mea, solo semper amore, & desiderio tui: te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolui, & esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectioem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem, & saporem, & omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiât fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei. Te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui: cum humilitate, & discretionem, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perseverantia usque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea refugium meum,

auxi.



auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, Thelaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum, Amen.

*D. Petri Canisii precatio ad B. Virginem post Communionem.*

**C**ommendo me tibi, serenissima, vereque inclita virgo Maria, cæli, ac terræ Regina, quæ in tuo sacratissimo utero eundem Dominum, & omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum dignè portasti; precor te, matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eundem filium tuum intercedas, & quacunque ratione in summi Sacramenti huius sumptione deliqui, huius negligentia, & indignitatis meæ veniã impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum filium etiam castior, purior, & sanctior, Deoque gratior euasisti. Vnam & me tam diuini Sacramenti perceptio, ita sanctificet, ut deinceps cor, & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto filio de Spiritu sancto magnificas laudes Domino lætè decantasti, & in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hac sacra communionem nouum, & ardentem spiritum coniungam, ac semper in gratiarum actione pia verser, tantoque Redemptori, & hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam, Amen.

*Per breues aspirationes, & conceptus animi per modum meditationis post SS. Communionem fructuosissimè adhibenda.*

1. **M**irantur, bone Iesu, creaturæ omnes, te in purissimum Mariæ matris tuæ vterum descendisse: cum tamen integerrima illa & omni virtute, & gratia refertissima fuerit. An non, mirari magis debeo, voluisse te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, deformi, inopi, sordido?

Tunc Domine in me manere, & inter vasa electorum tuorum collocare me vis, qui vas fui hætenus immundum & sordidum. Et quamuis singulari tua gratia, per pœnitentiam, vt spero, ablutus sum, numquid tamen vas olim, ad excipiendos vomitus destinatum nullam, vel sola recordatione, nauseam mouebit? Itane in me manere, & tanquam vasculum, aut pixidem sacrarum reliquiarum, immò Corporis tui constituis?

2. Benedicant te omnes Angeli tui, bone IESV, quia quod proprium est sponsi & sponsæ, tibi me vis inseparabili vinculo coniungere: effice ergo te vnum vt diligam, te vnum vt sitiam, & amem, ac nullæ me mundi illecebræ, nullæ carnis voluptas, nullæ dæmonum insidiæ, abs te auellant, & separent.

3. Da mihi præsentia tuæ effectus persentiscere, bone IESV: Memini benedictionum, quibus cumulaisti eos, qui te aliquando in domum suam acceperunt. Mariam matrem tu-

am,

am, vbi in vterum te suum accepit, omnibus donis & gratiis compleuisti; Zachæum illum publicanorum principem, quod te acceperit hospitio, cœlesti benedictione cumulasti. Simul atq; obita pro nobis morte ad infernum descendisti, illum in paradysum quendam cōmutasti. Domum Obededom, in qua arca testamenti, huius Sacramenti, vmbra tantum & figura, reposita fuit, omni benedictione locuplerasti; da quoque domui meæ, in quam ingressus es, benedictionem; eam, quæso, in paradysum conuerte, eam donis tuis & gratiis cumula.

4. Memini pientissime Iesu, sacris de te literis esse mandatum, quod omnis turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat & sanabat omnes. Ecce ego te iam non tetigi tantum, sed in me quoq; accepi; exeat, quæso, à te virtus, quæ omnes languores meos sanet, quæ vires nouas sufficiat ad seruiēdū tibi, &c.

6. Simul atq; anima tua pretiosissima ex facratissimo tuo Corpore egressa est, ô I E s u pro nobis crucifixe, voluisti Corpus tuum myrrha, & aromatis conditum, sindoneq; purissima inuolutum inferri in sepulchrum, petra benè munitum, & iam toto terrarum orbe gloriosum. Et ecce modo (quæ tua est incomprehensibilis bonitas!) Corpus idem tuum, à morte suscitatum, animaq; beatissima informatum mihi porrigis; in me, vt in sepulchrum aliquod inferam, in me vt illud recondam; da ergo mihi, obsecro, fortitudinis pe-  
tram

tram ad vincendas omnes imperfectiones, & ferendas omnes aduersitates, labores, & pericula omnia, quæ pro tuo honore, & mea salute mihi sunt sustinenda. Da quoque mihi linteum, sindonemque castitatis, & puritatis. Dona postremò myrrham mortificationis, vt huius diuinissimi sacramenti gratia delibutus, à criminibus purus, & integer, nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar; & corrumpar, sed odor & mihi, & aliis omnibus sim in vitam; tibi verò in nominis tui gloriam sempiternam.

*PETITIONES DEVOTÆ AD DOMINUM IESVM Christum, ex S. Augustino, quæ etiam coram S. Eucharistia dici possunt.*

**D**omine Iesu, nouerim me, nouerim te,  
 Nec aliquid cupiam nisi te;  
 Vt odiam me, & amem te,  
 Quicquid agam propter te;  
 Humiliem me, exaltem te;  
 Nihil cogitem nisi te.  
 Mortificem me, & viuam in te.  
 Quæcunque veniant, accipiam à te.  
 Persequar me, sequar te;  
 Semper optem sequi te.  
 Fugiam me, confugiam ad te.  
 Dignus sim defendi à te.  
 Timeam mihi, timeam te;  
 Simque de electis à te.



Diffidam mihi, fidam in te:  
 Obedire velim propter te.  
 In nullo afficiar, nisi in te:  
 Aspice me, vt diligam te.  
 Voca me, vt videam te:  
 Et in æternum potiar te.

*Oremus.*

Absorbeat, quæso, Domine I E s v Chrifte, mentem meam ignita & meliiflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

*Litania de Venerabili Sacramento, ex Scripturis sacris, & SS. Patribus.*

In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, A.  
*Antiph:* O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

**K**Yrie eleison. Chrifte eleison. Kyrie eleison. Chrifte audi nos, Chrifte exaudi nos. Pater de cœlis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Panis viuus, qui de cœlo descendisti.

Deus absconditus, & Saluator.

Fruentum electorum.

Vinum germinans virgines.

Panis pinguis, deliciæ Regum.

Miserere nob.

Iug

Iuge sacrificium.  
 Oblatio munda.  
 Agnus absque macula.  
 Mensa purissima.  
 Angelorum esca.  
 Manna absconditum.  
 Memoria mirabilium Dei.  
 Panis super substantialis.  
 Verbum caro factum.  
 Verbum habitans in nobis.  
 Hostia sancta.  
 Calix benedictionis.  
 Mysterium fidei.  
 Præcellum, & venerabile Sacramentum.  
 Sacrificium omnium sanctissimum.  
 Vere propitiatorium pro viuis & defunct.  
 Cœleste antydotum, quo a peccatis præ-  
 feruamur.  
 Stupendum supra omnia miraculum.  
 Sacratissima Dominicæ passionis com-  
 memoratio.  
 Donum transcendens omnem pleni-  
 tudinem.  
 Memoriale præcipuum diuini amoris.  
 Diuinæ affluentia largitatis.  
 Sacrosanctum, & augustissimum my-  
 sterium.  
 Pharmacum immortalitatis.  
 Tremendum ac viuificum sacramentum.  
 Panis omnipotentia Dei, caro factus.  
 Incruentum sacrificium.  
 Cibum, & conuiuia.

Miserere nobis

Dul-

Dulcissimum conuiuium, cui assistunt  
 Angeli ministrantes.  
 Sacramentum pietatis.  
 Vinculum charitatis.  
 Offerens & oblatio.  
 Spiritualis dulcedo, in proprio fonte  
 degustata.  
 Refectio animarum nostrarum.  
 Viaticum in Domino morientium.  
 Pignus futuræ gloriæ.  
 Propitius esto. Exaudi nos Dñe.  
 Ab indigna Corporis, & sanguinis tui  
 susceptione.  
 A concupiscentia carnis.  
 A concupiscentia oculorum.  
 A superbia vitæ.  
 Ab omni peccandi occasione.  
 Per desiderium illud, quo hoc Pascha  
 cum discipulis manducare desi-  
 derasti.  
 Per summam humilitatem, qua discipu-  
 lorum pedes lauisti.  
 Per ardentissimam caritatem, qua hoc di-  
 uinum sacramentum instituisti.  
 Per sanguinem tuum pretiosum, quem  
 nobis in altari reliquisti  
 Per quicunque vulnera huius tui Corporis  
 Sacratissimi, quæ pro nobis su-  
 scepisti.  
 Peccatores Te rogamus audinos.  
 Ut in nobis fidem, reuerentiam, & deu-  
 tionem huius admirabilis Sacra-

Miserere nob.

Libera nos Dñe.

mea

menti conferuare digneris.

Vt ad frequentem vsum Eucharistiæ  
per veram peccatorum confes-  
sionem nos perducere digneris.

Vt nos ab omni hæresi, perfidia, ac cor-  
dis cœcitate liberare digneris.

Vt sanctissimi huius Sacramenti pretio-  
sos, & cœlestes fructus, nobis im-  
pertiri digneris.

Vt in hora mortis nostræ hoc cœlesti Vi-  
atico nos confortare, & munire  
digneris.

Te rogamus audi nos.

Fili Dei-

Agnus Dei, &c. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, &c. Exaudi, &c.

Agnus Dei, &c. Miserere nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

✠. Et ne nos: &c. R. Sed libera nos à malo.

✠. Panem cœli dedit eis.

R. Panem Angelorum manducauit homo.

✠. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

**D**EVS, qui nobis sub Sacramento mirabili,  
passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue  
quæsumus, ita nos Corporis & sanguinis tui  
sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ  
fructum in nobis iugiter sentiamus; Qui vi-  
uis, & regnas in vnitæte Spiritus sancti Deus,  
Per omnia secula seculorum, Amen.

Quam



O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, vt dulcedinem tuam in filios demonstra- res, pane suauissimo de cœlo præstito, esuri- entes replebis bonis, fastidiosos diuites dimittis inanes: tua nos, quæsumus, gratia semper præueniat, & sequatur; ac studiis nostris bo- nisque operibus iugiter præstet esse intentos. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*PROSA, aliâs Sequentia Ecclesiastica, totam  
tantum mysterij rationem breuissimis ritibus  
explicans.*

**L**auda Sion Saluatorem, lauda Ducem & Pastorem, in hymnis & canticis.  
Quantum potes, tantum aude: quia maior omni laude: nec laudare sufficis.  
Laudis thema specialis, panis vitæ & vita- lis hodie proponitur.  
Quem in sacra mensa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.  
Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit de- cora mentis iubilatio.  
Dies enim solennis agitur, in qua mensæ pri- ma recolitur huius institutio.  
In hac mensa noui regis, nouum Pascha no- uæ legis, phæse vetus terminat  
Vetustatem nouitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.  
Quod in cornu Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.  
Docti sacris institutis, panem vinum in salu-

tis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmet fides, præter rerum ordinem.

Sub diuersis speciebus, signis tantùm & non rebus latent res eximiæ.

Caro cibus, sanguis potus; manet Christus tamen totus sub vtraque specie.

A sumente non concisus, non contractus, non diuisus, integer accipitur.

Sumit vnus, sumunt mille; quantum isti, tantum ille: nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.

Fracto demum sacramento, ne vacilles: sed memento, tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur.

Nulla rei sit scissura: signi tantùm fit fractura: qua nec status, nec statura signati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: verè panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur, Agnus paichæ deputatur, datur manna Patribus.

Bone pastor, panis verè, Iesu nostri miserere: tu nos pascere, nos tuere: tua nos bona fac videre in terra viuentium.

Tu,

Tu, qui cuncta scis & vales: qui nos patris  
hic mortales: tuos ibi commentales, co-  
hæredes & sodales fac sanctorum ciui-  
um, Amen,

*IUBILVS D. BERNARDI ABBATIS,  
diei sacra: communionis aptissimus.*

**I**ESV, dulcis memoria,  
Dans vera cordis gaudia:  
Sed super mel & omnia,  
Eius dulcis præsentia,  
Nil canitur suavius,  
Auditur nil iucundiùs,  
Nil cogitatur dulciùs,  
Quàm IESVS Dei filius,  
**I**ESV spes poenitentibus,  
Quàm pius es petentibus,  
Quàm bonus te quærentibus:  
Sed quid inuenientibus?  
**I**ESV dulcedo cordium,  
Fons viuus, lumen mentium:  
Excedens omne gaudium,  
Et omne desiderium.  
Nec lingua valet dicere,  
Nec litera exprimere:  
Expertus potest credere,  
Quid sit IESVM diligere.  
Iesum quæram in lectulo  
Claufo: cordis cubiculo,  
Priuatim & in publico  
Quæram amore sedulo.

Cum Maria diluculo  
 IESVM quæram in tumulto,  
 Clamore cordis querulo,  
 Mente quæram non oculo.  
 Tumbam perfundam fletibus,  
 Locum replens gemitibus,  
 IESV prouoluar pedibus,  
 Strictis hærens amplexibus.  
 IESVS Rex admirabilis,  
 Et triumphator nobilis,  
 Dulcedo ineffabilis,  
 Totus desiderabilis.  
 Mane nobiscum Domine,  
 Et nos illustra lumine.  
 Pulsamentis caligine,  
 Mundum replens dulcedine.  
 Quando cor nostrum visitas,  
 Tunc lucet ei veritas,  
 Mundi vilescit vanitas,  
 Et intus feruet charitas.  
 Amor IESV dulcissimus,  
 Et verè suauissimus,  
 Plus millies gratissimus.  
 Quàm dicere sufficimus.  
 Hoc probat eius passio,  
 Hoc sanguinis effusio;  
 Per quem nobis redemptio;  
 Datur & Dei visio.  
 IESVM omnes cognoscite,  
 Amorem eius poscite.  
 IESVM ardentè quærite,  
 Quærendo inardescite.



Sic amantem diligite,  
 Amoris vicem reddite:  
 In hunc odorem currite,  
 Et vota votis reddite.  
**IESVS** auctor clementiæ,  
 Totius spes lætitiæ:  
 Dulcoris fons & gratiæ,  
 Verè cordis deliciæ.  
**IESV** mi bone sentiam  
 Amoris tui copiam,  
 Da mihi per præsentiam,  
 Tuam videre gloriam.  
**Cùm** dignè loqui nequeam:  
 De te tamen non fileam,  
 Amor facit vt audeam,  
 Cùm solùm de te gaudeam.  
**Tua IESV** dilectio,  
 Grata mentis refectio,  
 Replens sine fastidio,  
 Dans famem desiderio.  
**Qui** te gustant, esuriunt,  
 Qui bibunt, adhuc sitiunt,  
 Desiderare nesciunt  
 Nisi **IESVM**, quem diligunt.  
**Quem** tuus amor ebriat,  
 Nouit quid **IESVS** sapiat,  
 Quàm felix est quem iatiat:  
 Non est vltra quod cupiat.  
**IESVS** decus Angelicum:  
 In aure dulce canticum,  
 In ore mel mirificum,  
 In corde nectar cœlicum.

Desidero te millies,  
 Mi IESV quando venies?  
 Me lætum quando facies?  
 Me de te quando faties.

Amor tuus continuus,  
 Mihi languor assiduus,  
 Mihi fructus mellifluus,  
 Est & vitæ perpetuus.

IESV summâ benignitas,  
 Mira cordis iucunditas,  
 Incomprehensa bonitas,  
 Tua me stringat charitas.

Bonum mihi diligere  
 IESVM, nil vltra quærere;  
 Mihi prorsus deficere,  
 Vt illi queam viuere.

O IESV mi dulcissime,  
 Spes suspirantis animæ,  
 Te quærunt piæ lachrymæ,  
 Et clamor mentis intimæ.

Quocunq; loco fuero,  
 Mecum IESVM desidero,  
 Quàm lætus cum inuenero.  
 Quàm felix cum tenuero.

Tunc amplexus, tunc oscula  
 Quæ vincunt mellis pocula:  
 Tunc felix Christi copula,  
 Sed in his parua morula.

Iam quod quæsiui video,  
 Quod concupiui teneo,  
 Amore IESV languëo,  
 Et corde totus ardeo

IESVS cū sic diligitur,  
Hic amor non extinguitur,  
Non tepescit nec moritur,  
Plus crescit & accenditur.

Hic amor ardet iugiter,  
Dulcescit mirabiliter,  
Sapit delectabiliter,  
Delectat & feliciter.

Hic amor missus cœlitus,  
Hæret mihi medulitus,  
Mentem incendit penitus,  
Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium,  
Et ardens desiderium,  
O dulce refrigerium,  
Amare Dei filium.

IESVS flos matris virginis,  
Amor nostræ dulcedinis,  
Tibi laus honor numinis,  
Regnum beatitudinis,

Veni, veni, Rex optime,  
Pater immensæ gloriæ,  
Affulge menti clariùs,  
Iam expectatus sapiùs.

IESVS sole serenior,  
Et balsamo suavior,  
Omni dulcore dulcior,  
Cæteris amabilior.

Cuius gustus sic afficit,  
Cuius odor sic reficit,  
In quo mens mea deficit,  
Solus amanti sufficit

Tu mentis delectatio,  
 Amoris consumatio,  
 Tu mea gloriatio,  
 IESV mundi saluatio.  
 Mi dilectus reuertere,  
 Confors paternæ dexteræ,  
 Hostem vicisti prospere,  
 Iam cœli regno frueri.  
 Sequar te quocunque ieris,  
 Mihi tolli non poteris,  
 Cum meum cor abstuleris,  
 IESV laus nostri generis.  
 Cœli ciues occurrite,  
 Portas vestras attollite,  
 Triumphatori dicite:  
 Aue IESV Rex inclyte.  
 Rex virtutum, Rex gloriæ,  
 Rex insignis victoriæ:  
 IESV largitor veniæ,  
 Honor cœlestis patriæ.  
 Tu fons misericordiæ,  
 Tu veræ lumen patriæ,  
 Pelle nubem tristitiæ,  
 Dans nobis lucem gloriæ.  
 Te cœli chorus prædicat,  
 Et tuas laudes repleat,  
 IESVS orbem hætificat,  
 Et nos Deo pacificat.  
 IESVS in pace imperat,  
 Quæ omnem sensum superat,  
 Hanc mea mens desiderat,  
 Et illa frui properat.



IESVS ad Patrem redijt,  
 Coelesté regnum subijt,  
 Cor meum à me tranſijt,  
 Simul post IESVM abijt.  
 Quem prosequamur laudibus,  
 Votis, hymnis, & precibus,  
 Vt nos de net coelestibus,  
 Secum perfrui sedibus.

## LIBER SEXTVS.

*VARIARVM SPIRITVALIVM  
 Exercitationum & Orationum sylvæ.*

Hoc libro primùm quædam, quæ ad SS. Trinitatis deuotionem singularem spectant, proponemus. Inde quæ ad sanctissimæ passionis Dominicæ debitam commemorati-  
 onem, Tum quæ ad 'Beatissimæ Virginis Dei-  
 paræ peculiarem cultum. Posthæc, quæ  
 ad sanctorum omnium cœlitum venerati-  
 onem pertinent, adferemus. Ad extre-  
 mum, varias omnium generum precatio-  
 nes & instructiones subiiciemus.

## CAPVT I.

*De Sanctissima Trinitate peculiare exercitium,  
 diebus maximè Dominicis adhibendum circa  
 SS. Trinitatem.*

**I**ncumbit Christianis omnibus, vt intinuum  
 quendam amorem, & obseruantiam sibi

excitent erga Sanctissimam Trinitatem, qua nihil coli debet religiosius, nihil amari ardentius nihil in memoria versari frequentius, Ad quam singulari studio colendam, & honorandam, dies Dominicus à S. matre Ecclesia institutus; vt propterea dies iste salutarius, & vtilius obseruari non possit, quàm si eo mysterium recolat Sanctissimæ Trinitatis.

*Hymnus ad SS. Trinitatem.*

O nullis hominum peruia sensibus,  
 Naturæ penitus sola capax tuæ.  
 Cuius condita sunt omnia numine,  
 Aeterna & monas, & trias.  
 Nato æqueus Pater, Nateque par Patri,  
 Et manans ab utroque in clype spiritus,  
 Circumfusa tuo nubila lumine,  
 Nostro discute pectore.  
 Da mens per speculum cernere te queat  
 Nostra, & posthabitis te petat omni-  
 E iussisque tuis pendeat, & tibi (bus,  
 Soli dedita seruiat.  
 Tu clemens miseris da veniam Pater,  
 Tu Fili miseris sterne viam ad Patrē,  
 Tu sanctum miseris Pneuma vaganti-  
 Præfer conspicuam facem. (bus  
 Simplex ætherei numinis vnitas, (nitas,  
 Quæ distincta eadem est, veraque Tri-  
 Aeternis videat semper honoribus,  
 Et terra simul, & polo. Amen.

LITANIÆ AD SANCTISSI-  
mam Trinitatem ex scripturis Sa-  
cris, & Patribus.

Antiph. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera  
& vna Trinitas, vna & summa Deitas, san-  
cta & vna vnitas: benedicta sit sancta cre-  
atrix, & gubernatrix omnium, sancta & in-  
diuidua Trinitas, nunc & semper, & per in-  
finita secula, Amen.

**K**Yrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

Pater de cœlis Deus.

Fili redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi

Pater misericordiarum.

Pater increate, immense, & æterne,

Pater qui à nullo es factus, nec creatus,  
nec genitus.

Pater ex quo omnis paternitas in cœlis,  
& in terra nominatur.

Pater, qui quæris in spiritu adorantes.

Pater, cui omnia sunt possibilia.

Pater qui es, & manes in filio.

Pater iuste & sancte,

Pater gloriæ.

Pater spirituum,

Pater totius consolationis.

Fili ante Luciferum genite,

Fili amator humanæ salutis,

Miserere nobis

Fili, cui data est omnis potestas in coelo, &  
 in terra,  
 Fili candor lucis æternæ,  
 Fili figura substantiæ Patris.  
 Fili rex regum, & Domine Dominantiũ.  
 Fili expectatio Israël, & gentium.  
 Fili princeps pacis.  
 Fili Sapiaentia patris.  
 Fili speciose forma præ filijs hominum.  
 Fili sol oriens ex alto.  
 Fili via, veritas, & vita,  
 Fili altissimi, & Mariæ virginis,  
 Fili delectatio mentium.  
 Fili doctor iustitiæ,  
 Fili lympiditas omnium Angelorum,  
 Fili cõtemplatio Patriarcharum,  
 Fili illuminatio Prophetarum.  
 Fili norma Apostolorum.  
 Fili victoria Martyrum.  
 Fili confortatio Confessorum.  
 Fili pastor bone omnium pastorum  
 Fili Domine & magister Doctorum.  
 Fili corona virginum.  
 Fili caput iustorum.  
 Fili mediator Dei & hominum.  
 Fili merces Sanctorum omnium.  
 Spiritus sancte à Patre Filioq; procedens.  
 Spiritus Dni, qui ferebaris super aquas,  
 Spiritus replens orbem terrarum.  
 Spiritus habens omnem virtutem  
 Spiritus veritatis, omnia suggerens.  
 Spiritus sapientiæ, & intellectus.

Miserere nobis.

Spiritus



Spiritus consilij, fortitudinis, scientiæ & pietatis.

Spiritus timoris Domini.

Spiritus quo inspirante loquuti sunt sancti Dei homines.

Spiritus Domini & promissio Patris.

Spiritus ex quo renascimur.

Spiritus in quo dæmonia eijciuntur.

Spiritus adoptionis filiorum Dei.

Spiritus adiuuans infirmitatem nostram:

Spiritus pignus hæreditatis nostræ.

Spiritus reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei.

Spiritus principalis, viuificans, & cõfortans

Spiritus fidei, pacis & ardoris,

Spiritus gratiæ & misericordiæ.

Spiritus lenitatis & veritatis.

Spiritus renouationis, ac sanctificationis.

Spiritus vitæ, & patientiæ.

Spiritus continentiæ ac modestiæ.

Spiritus suauis & super mel dulcis

Spiritus omnium gratiarum.

Deus qui vnus est in substantia, trinus in personis

Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis.

Kyrie eleison, Christe, eleison. Kirie eleison

Pater noster, &c.

Et ne nos inducas, &c. Sed libera, &c.

¶ Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu.

Miserere nobis.

R. Laudemus & superexaltemus eum in secula.  
 V. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

R. Et metuant eum omnes fines terræ.

V. Domine exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

*ORATIO.* Omnipotens sempiternæ Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus vt eiusdē fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum, &c.

Custodiat me sempiterna Deitas, Defendat me immensa Trinitas, dirigat me inæstimabilis bonitas, Regat me potentia Patris: viuificet me sapientia Filij: illuminet me virtus spiritus sancti: Sit mihi ista inuocatio salus & protectio: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

*Peculare Exercitium, quod eisdem diebus Dominicis subinde adhibendum circa tres personas SS. Trinitatis.*

**Q**uamuis Sanctiss: ac indiuiduæ Trinitatis opera ad extra sint indiuisa, & communia tribus diuinis personis; ad animi tamen affectus singillatim erga illas excitandos, iuxta tres animæ potentias, ac tria nostrarum actionum genera; ea spectando potissimum, quæ à SS. Patribus vnicuique personæ attribuuntur; hoc est, patri potestas, Filio sapientia; sancto

sancto Spiritui bonitas; sequens exercitium  
subijciendum duximus.

*MODVS ORANDI, GRATIAS-  
QUE AGENDI PATRI ATERNO.*

**HYMNVS.**

**R**erum  $\hat{o}$  conditor, & repertor orbis,  
Expers principij, carensque fine.  
Quem patrem, ac Sabaoth Deum vocamus,  
Omnes quod sumus, aut vigemus, abs te est.  
Quod verbis animoque; predicamus,  
Grates & damus & sacramus hymnos.  
Tu nos eripe à vinculis Tyranni,  
Qui circumfremit, ac vorare tentat,  
Inlanos acuens furore dentes,  
Mundum sollicitans premensque; Carnem.  
Ut mentem lacerent, trahant laceffent,  
Virusque; insinuent nocens medullis.  
Ergo tendimus ad superna palmas,  
Ut tu qui omnia contines, regisque,  
Afflictos recrees, feram retundas.  
Tanto pectora libera hoste, numen  
Lingua, voceque lætiore sanctum,  
Vita & morte tuum colent beatiore.  
Sit Patri tibi laus, honorque; Nato,  
Sancto Spiritui Deus; potestas,  
Par, & vita quibus manet perennis. Amen.

**G**RATIAS ages Deo Patri de cunctis qui-  
dem beneficijs, præsertim vero de creati-  
one Item de amore, quo sic dilexit mun-  
dum ut Filium suum vnigenitum daret.  
2. Offerres omnia vitæ, & passionis dilectis-

fimi eius Filij merita, & in illorum vnione te-  
 iplum totum, præcipue autem memoriam,  
 & opera tua.

3. Petes quæ & tibi, & proximis tuis sunt ne-  
 cessaria, præcipue tamen, vt memoriam tu-  
 am sanctis, pijsque cogitationibus inbuat:  
 vtque fortitudinem, & vires ad bona opera  
 strenue propaganda, itemque ad dæmonis  
 tentationes propullandas præbeat.

4. Omnia denique per Christum merita, in  
 quo sibi bene complacet Pater, petes, dicens:  
 Per Dominum nostrum Iesum, &c.

*Finem quoque facies, benedictionem a Deo  
 patre petendo illis verbis: Benedictione perpe-  
 tua benedicat nos Pater æternus, Amen.*

COMMENTARIOLVS, SIVE  
*brevi expositio singulariũ dictionum Orationis  
 Dominice, accommodata ad meditationem, &  
 affectus excitationem in orando vel meditando.*

**P**ater, Excelsus in creatione.

Suavis in amore,  
 Diues in hæreditate.

*Noster*, Iesu Christi per naturam,  
 Hominum mortalium per gratiam,  
 Beatorum per gloriam.

*Qui es*, Duratione æternus,  
 Substantia infinitus,  
 Bonitate optimus.

*In calis*, Speculum æternitatis,  
 Corona iucunditatis.  
 Thelaurus felicitatis.

*Sanctificetur*, Per fidem viuam,

Per



Per spem solidam ,  
 Per caritatem inflammatam,  
*Nomen*, Gloria Filij tui,  
 Maiestas tui sancti Spiritus,  
 Paternitas tua.  
*Tuum*, Vt sis mel in ore,  
 Melos in aure,  
 Iubilus in corde.  
*Tuum etiam*, Vt tu solus glorificeris,  
 Solus desidereris,  
 Solus, ceu vltimus finis ameris.  
*Adueniat*, Suprà à Patre luminum,  
 Intus ab anima,  
 Foris à gratia, non natura.  
*Regnum*, Iustitiæ, ( in Spiritu sancto.  
 Gaudij, (   
 Pacis, (   
*Tuum*, Non huius mundi fallacis,  
 Non huius carnis mortalis,  
 Non Diaboli impostoris,  
*Sed tuum*, Iucundum sine afflictione,  
 Tranquillum sine perturbatione,  
 Securum sine perditione.  
*Fiat*, Per tuum mandatum,  
 Per tuum consiliū,  
 Per tuum, & cum tuo auxilio.  
*Voluntas tua*, Bona in creatione,  
 Beneplacens in redemptione,  
 Perfecta in iustificatione.  
*Sicut in celo*. Ad imitationem beatorum,  
 Ad similitudinem B. Virginis,  
 Ad modum Chrilli.

*Et in terra.* Ut quicquid tu non vis, nolimus,

Ut quicquid amas, amemus,

Ut, quicquid iubes, faciamus.

*Panem nostrum,* Panem lachrymarum,

Panem verbi Dei,

Panem sanctorum Sacramentorum.

*Quotidianum,* Quia sine illo morimur,

Sine illo nihil scimus,

Sine illo delinquimus.

*Da,* Quia tibi proprium est dare,

Quia beatius est dare, quam accipere,

Quia nostrum est à te accipere.

*Da etiam,* Non Angelus, sed Filius,

Non homo, sed creator,

Non datum, sed dator.

*Da Domine,* In Incarnatione verbum tuum,

In iustificatione Spiritum sanctum,

In glorificatione te ipsum,

Indignis

*Nobis,* Ingratis } *Seruis tuis.*

Inutilibus }

*Hodie,* In hoc die malitiæ,

In hoc die tenebrarum,

In hoc die miseriarum.

*Et dimitte nobis,* Tu qui es misericordia,

Tu qui es fons gratiæ,

Tu qui in Cruce debitorum nostrorum po-  
suisi precium,

*Debita,* Contra tuam maiestatem commissa,

Contra proximi caritatem,

Contra nostram salutem.

*Nostra,* Ea enim contraximus corde,

Profudimus ore,  
Expleuimus opere.

*Sicut & nos dimittimus, Si nos non dimittimus*  
illis, tu non dimittis nobis.

Si eis dimittimus, filij tui per imitationem  
sumus.

Si condonamus, verbis tuis paremus.

*Debitoribus nostris.*

Qui leuiter,	} offenderunt nos, qui di gni sumus mille gehen nis.
Ignoranter,	
Iustè,	

*Et ne nos inducas,* Tollendo tuam gratiam,  
Remouendo salutis media.

Tuam dulcem præsentiam subtrahendo,  
Occasionem peccati permittendo.

*Intentationem,* Carnis, Mundi, Diaboli.

*Sed libera,* Tu qui es liberator, saluator, & re-  
demptor.

*Nos,* Mortis filios, peccati seruos, Diaboli  
mancipia.

	Præterito,	} Culpæ & pœnæ.
<i>Amalo,</i>	Præfenti, &	
	Futuro,	

<i>Amen, Fiat,</i>	A te, Per te,	} vt fine ultimo.
	In te.	

### ALIA BREVIS EXPLICATIO

*Orationis Dominica.*

**O**Rationis huius præfatio pauca habet ver-  
ba, plena mysteriis. *Pater,* est nomen a-  
moris, significans primò, quòd oraturus non  
debeat inimicus esse Dei, sed amicus, imò fi-  
lius, deposita voluntate peccandi, & de pec-

catis

catis dolens. Secundò, quòd magna fiducia ad Deum sit accedendum, quia à patre nihil non est expectandum.

*Noster*, non dicitur, meus, sed nomine communi *noster*, quia æqualiter Deus est omnium pater, omnes ex equo attingens, pauperes atque diuites. Adferenda est ergo ad hanc orationem, 1. Charitas proximorum, qua omnes filios Dei ames, eisque benè velis: 2. Humilitas: ne te cuiquam præponas.

*Qui es in cælis*, Significatur primò, ad hanc orationem adferendam esse mentem ad cœlestia eleuatam, exclusis terrenis cogitationibus. Secundò, magnam totius hominis externam atque internam reuerentiam: quia pater est cœlestis, non terrenus. Tertio, nihil nisi cœleste à patre cœlesti petendum.

*Sequuntur nunc petitiones septem, quarum priores quatuor cupiunt, bona conceda, posteriores reliqua mala remoueri.*

1. *Sanctificetur nomen tuum*, Id est, Gratias tibi pro beneficiis tuis ago; oroque vt nomen, bonitas, atque maiestas tua omnibus hominibus innotescat, ab omnibus laudetur, & vbi que deprædicetur; potissimè verò precor, vt ego in actionibus meis omnibus & verbis, tuam gloriam quæram, & mea omnia ad tuam laudem proximorumque vtilitatem referam.

2. *Adueniat regnum tuum*, Id est, Opto vt tu Deus in terris vbi que regnes; atque excluso imperio diaboli, tu omnia mundi regna posside-



as; & præsertim ne regnet peccatum in meo mortali corpore: sed tu domineris omnibus viribus & potentiis meis, meque ad cœlestè regnum dirigas, atque perducas.

3. *Fiat Voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Id est, Da quaeso gratiam populo tuo, vt iussis tuis obtemperet: præterea in singulis actionibus nostris voluntatem tuam nobis aperias: denique meipsum Domine tuæ voluntati totum resigno, vt ( dummodo per me celebretur & sanctificetur nomen tuum, & tu, excluso regno peccati, in me solus regnes ) facias de me & statuas iuxta sanctissimam voluntatem tuam.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Id est, Nutri & pascè animam meam, & corpus meum conuenientibus nutrimentis: Animam quidem verbo tuo, vt illud mihi sapiat, siue in concione, siue in oratione, siue quouis alio modo mihi proponatur, item sacro corpore tuo, ad quod frequenter & deuotè sumendum peto excitari: Corpus verò, cibo quotidiano, rebusque non superfluis, sed necessarijs, iusto labore aut titulo, non per iniustitiam acquisitis.

*Sequuntur tria mala, quæ cupimus amoueri.*

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Id est, Mala præterita, nimirum peccata, quibus te offendimus, gratis per Filij tui passionem dimitte: venialia quidem seu quotidiana, per dolo-

rem,

rem, & hanc orationem à te institutam : grauiora verò seu mortalia per Sacramentum Poenitentiae, ad quod deuotè accedendum, da, quaeso, tempus oportunum, gratiam, & deuotionem. Et tamen si ego ex animo proximi omnibus offensas remittere videar, tu tamen me iuua, vt nunquam offensa alicuius reminiscar.

6. *Et ne nos inducas in tentationem*, Id est, Mala futura à nobis arceas, cauens ne vnquã in peccatum consentiamus, neue occasionem demus vt à te deseramur : & si vitio nostro nos labi contingat, ne cor nostrum obduretur, sed statim conuertatur, & à peccato resurgat.

7. *Sed libera nos a malo. Amen.* Præsentia mala à nobis depelle, famem, bella, pestem, aliaq; corporales calamitates : & etiam prosperitates, si ad animæ salutem non conducunt : spiritualia quoque mala, in quibus est concupiscentia nostra quæ continuum spiritui bellum infert : vt ab ea si non penitus, saltem ex parte absoluiamur.

*MODVS ORANDI, GRATIASQVE  
agendi Domino nostro IESV Christo.*

H Y M N V S.

**I**ESV nostra redemptio,  
Amor, & desiderium,  
Deus creator omnium,  
Homo in fine temporum.

Quæ

Quæ te vicit clementia,  
 Ut ferres nostra crimina,  
 Crudelem mortem patiens,  
 Ut nos à morte tolleres?

Inferni claustra penetrans,  
 Tuos captiuos redimens,  
 Victor triumpho nobili,  
 Ad dextram Patris residens.

Ipsa te cogat pieras,  
 Ut mala nostra superes  
 Parcendo, & voti compotes  
 Nos tuo vultu faties.

Tu esto nostrum gaudium,  
 Qui es futurus præmium:  
 Sit nostra in te gloria,  
 Per cuncta semper secula, Amen.

1. Gratias ages pro beneficijs omnibus, præsertim quòd te tuo precioso sanguine redemerit; quòd tibi seipsum in SS. Eucharistiæ Sacramento reliquerit, eiusque te toties participem fecerit: quodque aduocatus noster apud Patrem esse dignetur.

2. In vnione sui preciosissimi sanguinis totum illi te offeres, præcipuè tamen intellectum, & verba.

3. Beneficia tibi, tuisque proximis necessaria petes: præcipuè vero, vt intellectum cognitione summæ veritatis, tuæque extremæ vilitatis illustret, vt tua verba eius honori, ac proximorum vtilitati propter ipsum deseruiant: vt scientiam denique tibi ad res dirigendas tribuat, eas duntaxat, quæ ad ipsius gloriam

riam referantur: Cuncta per eius preciosum sanguinem petes.

*Finem facies benedictionem petendo illis scribis: vnigenitus Dei filius nos benedicere & adiuuare dignetur, Amen.*

LITANIÆ DE SANCTISSIMO nomine IESV.

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.  
 Pater de coelis Deus.  
 Fili redemptor mundi Deus.  
 Spiritus sancte Deus.  
 Sancta Trinitas vnus Deus.  
 Iesu Fili Dei viui.  
 Iesu potentissime.  
 Iesu fortissime.  
 Iesu perfectissime.  
 Iesu gloriosissime.  
 Iesu iucundissime.  
 Iesu charissime.  
 Iesu clarior sole.  
 Iesu pulchrior luna.  
 Iesu splendidior stellis.  
 Iesu admirabilis.  
 Iesu delectabilis.  
 Iesu honorabilis.  
 Iesu humillime.  
 Iesu pauperrime.  
 Iesu mitissime.  
 Iesu patientissime.  
 Iesu obedientissime.

Miserere nobis.

Iesu



Iesu castissime.  
 Iesu amator castitatis.  
 Iesu amator pacis.  
 Iesu amor noster.  
 Iesu speculum vitæ.  
 Iesu exemplar virtutum.  
 Iesu decus morum,  
 Iesu zelator animarum,  
 Iesu refugium nostrum,  
 Iesu pater pauperum,  
 Iesu consolator afflictorum,  
 Iesu thesaurus fidelium,  
 Iesu gemma pretiosa,  
 Iesu armarium perfectionis,  
 Iesu bone pastor ovium,  
 Iesu stella maris,  
 Iesu lux vera,  
 Iesu sapientia æterna,  
 Iesu bonitas infinita,  
 Iesu gaudium Angelorum,  
 Iesu Rex Patriarcharum,  
 Iesu inspirator Prophetarum,  
 Iesu magister Apostolorum,  
 Iesu Doctor Euangelistarum,  
 Iesu fortitudo Martyrum,  
 Iesu lumen Confessorum,  
 Iesu sponse virginum,  
 Iesu corona Sanctorum omnium.  
 Propitius esto.      Parce nobis Iesu.  
 Propitius esto.      Exaudi nos Iesu.  
 Ab omni malo.      Libera nos Iesu.  
 Ab omni peccato,

Miserere nobis.

Ab ira



Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.  
Pater noster.

℣. Et ne nos &c. R. Sed libera, &c.

℣. Sit nomen Domini benedictum,

R. Ex hoc nunc & vsque in seculum.

℣. Non nobis Domine non nobis,

R. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Exurge Domine, adiuua nos

R. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Domine exaudi, &c. R. Et clamor. &c

O R A T I O.

**D**EVS, qui gloriosissimum nomen IESV  
Christi filij tui, Domini nostri fecisti fide-  
libus tuis summo suauitatis affectu amabile,  
& malignis spiritibus tremendum atq; terri-  
bile; concede propitius, vt omnes qui hoc no-  
men IESV deuotè venerantur in terris, san-  
ctæ consolationis dulcedinem in præsentì  
percipiant, & in futuro gaudium exultationis  
& interminabilis beatitudinis obtineât in coe-  
lis. Per eundem Dominum nostrum Iesum  
Christum filium tuum, qui tecum viuit & re-  
gnat in vnitæte spiritus sancti Deus, per om-  
nia secula seculorum, Amen.

Iubilus D. Bernardi de nomine Iesu deuotissimus, Vide supra lib: 5. cap: 4. in fine.

*Alia Oratio deuotissima ad IESVM.*

○ Bone IESV, ô pijsime IESV, ô dulcissi-  
me IESV, ô IESV fili Mariæ Virginis,

ple-

plenè misericordia & pietate, & dulcis I E s v,  
 secundum magnam misericordiam tuam, mi-  
 serere mei.

O clementissime Iesu, te deprecor, per il-  
 lum sanguinem preciosum, quem pro pecca-  
 toribus effundere voluisti, vt abluas omnes  
 iniquitates meas, & in me respicias miserum  
 & indignum humiliter veniam petentem, &  
 hoc nomen sanctum I E s v s inuocantem. O  
 nomen I E s v, nomen dulce, nomen I E s v,  
 nomen delectabile, nomen I E s v, nomen  
 confortans. Quid est enim I E s v s, nisi Sal-  
 uator? Ergo I E s v, propter nomen Sanctum  
 tuum, esto mihi I E s v s & salua me, nec per-  
 mittas me damnari, quem de nihilo creasti.

O bone I E s v, ne perdat me iniquitas  
 mea, quem fecit omnipotens bonitas tua: Ô  
 dulcis I E s v, recognosce quod tuum est in  
 me, & absterge, quod alienum est: Ô beni-  
 gnissime I E s v, miserere mei dum tempus  
 est miserendi: ne damnes me in tempore iu-  
 dicandi: Quæ utilitas in sanguine meo dum  
 descendero in æternam corruptionem? Non  
 mortui laudabunt te domine, neque omnes  
 qui descendunt in infernum

O amantissime I E s v, Ô desideratissime  
 I E s v, Ô mitissime I E s v, Ô I E s v, I E s v, I E s v,  
 dimitte me intrare in numerum electorum  
 tuorum. O I E s v salus in te credentium, Ô  
 I E s v solatium ad te confugientium, Ô I E-  
 s v dulcis remissio omnium peccatorum. O  
 I E s v fili Mariæ Virginis, infunde in me gra-  
 tiam



tiā, sapientiam, charitatem, castitatem & humilitatem, vt possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire, & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum, quod est IESVS. Amen.

*MODVS ORANDI GRATIAS-  
QVE agendi Spiritus sancto.*

H Y M N V S.

Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum, veni dator munerum,  
veni lumen cordium,

Consolator optime, dulcis hospes animæ,  
dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu  
solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima, tuo-  
rum fidelium

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil  
est innoxium.

Laua quod est sordidum, riga quod est aridū,  
fana quod est faucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est frigi-  
dum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum  
septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da  
perenne gaudium, Amen.

I. Gratias ages pro beneficijs omnibus in  
te collatis, ac præcipuè quod te ad sacri bap-  
t-

linatis

finatis gratiam perduxerit, & ex Christianis te nasci parētibus, ac ab iisdem in fide Catholica educari voluerit; quodq; à pristino tuo viuendi genere ad frequentem Sacramentorum perceptionem traduxerit.

2. In vnione meritorum, ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi totū illi te offeres, præsertim verò voluntatem, & cogitationes.

3. Beneficia tibi, tuisque necessaria petes: præcipuè verò, vt voluntatem tuam tanto caritatis igne inflammet, vt nulla eum tentationis, vel tribulationis procella extinguat: vt tua voluntas diuinæ ipsius voluntati semper sit conformis, tuas item cogitationes castas, & puras efficiat; tibiq; bonitatem, ac sanctitatem, & septem illa dona sua largiri dignetur, quo anima tua templum ipsius effici mereatur, eaq; omnia per Iesu Christi preciosum sanguinem petes.

*Finem facies ipsius benedictionem petendo:*  
Spiritus sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra, Amen.

### ORATIONES AD INVOCAN- dam gratiam Spiritus sancti.

*Hymnus qui supra, Veni S. Spiritus, &c.  
Vel Hymnus qui sequitur.*

**V**eni creator Spiritus,  
Mentes tuorum visita:  
Imple superna gratia,  
Quæ tu creasti pectora.

Qui

Qui paracletus diceris,  
 Donum Dei altissimi:  
 Fons viuus, ignis, charitas,  
 Et spiritalis vnctio.

Tu septiformis munere,  
 Dextræ Dei tu digitus;  
 Tu ritè promissum Patris,  
 Sermone ditans guttura.  
 Accende lumen sensibus,  
 Infunde amorem cordibus;  
 Infirma nostri corporis,  
 Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,  
 Pacemque dones protinus:  
 Ductore sic te præuio,  
 Vitemus omne noxium.

Per te sciamus dea patrem,  
 Noscamus atque filium:  
 Te vtriusque spiritum,  
 Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino,  
 Natoque, qui à mortuis  
 Surrexit ac Paraclito,  
 In seculorum secula, Amen.

℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur,

℞. Et renouabis faciem terræ.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. **D**Eus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Q

Deus,

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum: purifica per infusionem S. Spiritus, cogitationes cordis nostri, vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

Vre igne S. Spiritus renas nostros, & cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus S, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis.

Deus, qui Apostolis tuis S. dedisti Spiritū, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem.

Mentes nostras, quæsumus Domine, paracletus, qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Spiritus, veritatem.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ omnipotens Deus, vt S. Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dnm n. I. C. ψ. Domine exaudi, &c. R. Et clamor. &c. ψ. Exaudiat nos Dominus, R. Et custodiat nos semper, Amen

*Ad SS. Trinitatem Gratiarum actio pro beneficiis. Hymnus-*

**T**E Deum laudamus, Te Domine confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cœli & vniuersæ  
pote



potestates.

Tibi Cherubim, & Seraphim; incessabili  
voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus De-  
us Sabaoth.

Pleni sunt coeli, & terra; maiestatis gloriæ  
tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus;

Te Prophetarum laudabilis numerus;

Te martyrum candidatus laudat exercitus

Te per orbem terrarum sancta confitetur  
Ecclesia.

Patrem immensæ maiestatis.

Venerandum tuum verum, & vnicū filiū.

Sanctum quoq; Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem,  
non horruisti virginis uterum.

Tu deuicto mortis aculeo; aperuisti cre-  
dentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes; in gloria Patris.  
Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus famulis tuis subueni,  
quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis gloria mune-  
rari.

Saluum fac populum tuum Domine, & be-  
nedic hæreditati tuæ.

Et rege eos; & extolle illos vsq; in æternū.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in seculum, &

in seculum seculi.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos ;

Quemadmodum sperauimus in te.

In te Domine speraui ; non confundar in æternum.

*Vel Hymnus.*

**O** Lux beata Trinitas ,  
 Et principalis uitas :  
 Iam sol recedit igneus,  
 Infunde lumen cordibus.  
 Te mane laudum carmine ,  
 Te deprecamur uespere :  
 Te nostra supplex gloria ,  
 Per cuncta laudet secula.  
 Deo Patri fit gloria ,  
 Eiusque soli Filio ;  
 Cum Spiritu paraclito ,  
 Et nunc & in perpetuum, Amen.

*Antiph.* Te Deum Patrem ingenitum. te filium unigenitum, te Spiritum sanctum paraclitum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde, & ore confitemur, laudamus, atque benedicamus : tibi gloria in secula.

℣. Benedicamus Patrem, & F. cum S. Spiritu ;  
 ℞. Laudemus & superexaltemus eum in secula.

Oremus Omnipotens sempiternæ Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in po  
 tentia

tentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, vt eiusdem fi dei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Deus cuius misericordiae non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae maiestatis tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: vt qui petentibus postulata concedis, eisdem non deserens ad praemia futura disponas. Per.  
 ✠. Domine exaudi, &c. R. Et clamor, &c.  
 ✠. Benedicamus Dno. R. Deo gratias, &c.

## C A P V T II.

### DE PASSIONE DOMINI NO- stri IESU Christi,

Vide supra li. 3. c. 4. Orationem D. Augustini, qua homo deuotè praesentat Patri caelesti passionem Filij.

Item vide lib. 4. c. 9. deuotissimam omnium laborum & poenarum Christi oblationem pro peccatis nostris, ad ipsum Christum directam.

Item de Passione & Cruce Domini, breue ac pium exercitium vide infra li. 7. cap. 3. feriis sextis maximè, ac diebus Quadragesimae usurpandum.

Ibidem vide Orationem pro percipiendo fructu Passionis Christi. Itemque etiam Litaniae de Passione Domini.

Eodem lib. 7. cap. 2. inuenies Meditationes de singulis passionis Dominicæ partibus, ad longum positas, ac per dies hebdomadæ distributas, sualque etiam singulis annexas proprias ad Christum D. orationes.

Putat, Feria 2. De Lotione pedum ac SS. Sacramenti institutione.

Oratio de iisdem: Benignissime Iesu laude, &c.

Feria 3. de oratione Christi in horto, captione, in domo Annæ illusionem.

Oratio de iisdem: Clementissime Iesu, quis ego sum, &c.

Feria 4. de iniuriis in domo Caiphæ illatis Petri negatione, Pilati flagellatione.

Oratio de iisdem: D. Iesu Christe æterne, &c.

Feria 5. de spinea corona, ecce homo, & crucis baiulatione.

Oratio de iisdem: O pie Iesu benignissime Rex, &c.

Feria 6. De cruce ipsa, & 7. verbis in ea prolatis.

Oratio de iisdem: Verè amantissime Iesu, &c Sabbatho, de lateris perfossione & officio sepulturæ.

Oratio de iisdem: Domine I. C. piissime.

Dominica de descensu ad inferos, Resurrectione, Ascensione.

Eodem lib. 7. cap. 1. habes Meditationes de singularibus virtutibus Christi passionis, nobis ad imitandum propositis. Die Dominica de Humilitate Christi. Feria 2. de Man-

fuetu-



suetudine. Feria 3. de Patientia. Feria 4.  
de Obedientia. Feria 5, de Benignitate. Fe-  
ria 6 de ardentissima Charitate. Sabbatho  
de Liberalitate & Compasione, Lege vlti-  
ma tria puncta Meditationum; & adde orati-  
onem ad singulas, quæ ibidem subiunguntur.

ORATIONES SANCTÆ  
BRIGIDÆ.

*Oratio prima.*

**O** Domine Iesu Christe, æterna dulcedo te  
amantium, iubilus excedens omne gau-  
dium, omneque desiderium, salus & amator  
pœnitentium peccatorum, qui delicias tuas  
attestatus es, esse cum filiis hominum, pro-  
pter hominem homo factus es in fine tempo-  
rum. Memento piè Iesu omnis præmeditati-  
onis, & intimi mœroris, quem ab initio con-  
ceptionis tuæ in humana natura sustinuisti,  
maximè instante saluberrimæ passionis tuæ  
tempore, in diuino corde ab æterno præordi-  
nato. Memento tristitię & amaritudinis, quã  
in anima tua, teipso attestante, habuisti, quan-  
do dixisti: Tristis est anima mea vsq; ad mor-  
tem. Et quando in vltima cœna discipulis tu-  
is corpus & sanguinem tuum tradidisti, pe-  
des eorum lauisti, & dulciter eos consolando,  
imminentem passionem tuam prædixisti.  
Memento tremoris, angustię & doloris, quẽ  
in toto corpore tuo delicato ante passionem

crucis tuæ pertulisti, quando post trinam orationem sanguineum sudorem effudisti, à discipulo proprio tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus iudicibus iniuste iudicabaris, in electa ciuitate, in Paschali tempore, in florida corporis tui iuuentute, innocenter damnabaris, tradebaris, conspuebaris, veste propria exuebaris, vestibus alienis induebaris, colaphis abaris, oculis & facie velabaris, a lapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, ô dulcissime Iesu, da mihi, queso, ob memoriam harum pœnarum & passionum quas ante crucis tuæ passionem habuisti & sustinuisti, veram ante mortem meam contritionem, puram confessionem, dignam satisfactionem, & omnium peccatorum meorum remissionem. Amen. Ave benignissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Ave Maria.

*Oratio secunda.*

**O** Iesu vera libertas Angelorum, & Paradisus deliciarum. memento terroris & horroris, quos sustinebas, quando omnes inimici tui quasi leones ferocissimi te circumsteterunt, & collaphisationibus, conspuitionibus, iugulationibus, cæterisque inauditis suppliciis te molestauerunt, & per omnia contumeliosa verba, dura verbera, durissimaque tormenta, quibus te omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, vt liberes me ab omnibus inimi-

cis meis visibilibus & inuisibilibus, & dones mihi sub umbra alarum tuarum protectionem salutis æternæ inuenire, Amen.

Aue pretiosissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio tertia.*

**O** Iesu mundi fabricator & creator, quem nulla dimensio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amarissimi doloris tui, quem sustinebas, dum sanctissimas manus tuas ad crucem obtulit clauis primò affixerunt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos, cum non esses conueniens voluntati eorum, dolorem super dolorem addiderunt vulneribus tuis, & ita crudeliter distraxerunt & extenderunt in longum & latum crucis tuæ, vt dissoluerentur omnes compages membrorum tuorum, precor te, per huius sanctissimi & amarissimi in cruce doloris memoriam, da mihi timorem & amorem tuum. Amen. Aue pijsime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Ma.

*Oratio quarta.*

**O** Iesu cœlestis medice, recordare languoris & doloris atque liuoris, quos in alto crucis pabulo leuatus passus es in omnibus dilaceratis membris, tuis: quorum nullum in suo statu rectè permanerat, ita vt nullus dolor dolori tuo similis inueniretur: quia à plan-

ta pedis vsq; ad verticem capitis non fuit in te sanitas, & tunc, dolorum omnium immemor, Patrem pro inimicis pie exorasti, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc charitatem & misericordiam, & ob memoriam doloris, concede, vt hæc memoria amarissimæ passionis tuæ, sit omnium peccatorum meorum plenaria remissio, Amen. Ave misericordissime Iesu Christe; miserere mihi peccatori. Pater noster. Ave Maria.

*Oratio quinta.*

**O** Iesu, speculum charitatis æternæ, memento illius mœroris, quæ habuisti quando in speculo serenissimæ Maiestatis tuæ conspexisti prædestinationem electorum tuorum, per merita passionis tuæ saluandorum, & reprobationem malorum, ob ingratitude[m] damnandorum, & per abyssum miserationis tuæ, qua perditis & desperatis peccatoribus tunc contulisti, & præcipuè quam latroni in cruce exhibuisti, dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Rogo te pie Iesu, vt facias mecum misericordiam in hora mortis meæ. Amen. Ave dulcissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Ave Maria.

*Oratio sexta.*

**O** Iesu Rex amabilis, totusque desiderabilis, memento mœroris, quem habuisti, quan-



quando nudus & miserabilis in cruce pependisti, & amici ac noti tui aduerſum te ſteterunt, & nullam conſolationem inueniebas, niſi ſolam dilectam genitricem in agone tibi fideliffimè aſſiſtentem, quam diſcipulo tuo commendasti, dicens: Mulier ecce filius tuus: Et ad diſcipulum tuum: Ecce mater tua. Rogo te pie Ieſu per gladium doloris, qui tūc eius animam pertranſiuit, vt compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & ſpiritualibus, da mihi conſolationem in omni tempore tribulationis meæ, Amen, Ave deſideratiſſime Ieſu Chriſte, miſerere mihi peccatori. Pater noſter. Ave Maria.

*Oratio ſeptima.*

O Ieſu fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo dilectionis affectu in cruce dixiſti: Sitio, ſcilicet ſalutem humani generis: accende, quæſumus, noſtrum deſiderium ad omne opus perfectum: & ſitim carnalis concupiſcentiæ, & æſtum mundanarum dilectionum in nobis penitus refrigera & extingue. Amen. Ave delicatiſſime Ieſu Chriſte, miſere mihi peccatori. Pater noſter. Ave Maria.

*Oratio oſtana.*

O Ieſu, dulcedo cordium, ingensque ſuauiſſitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis ſuſtinuiſti in cruce &

degustasti, concede nobis miseris peccatoribus corpus & sanguinem tuum omni tempore, & præcipue in hora mortis nostræ dignè percipere, ad remedium & consolationem animarum nostrarum. Amen. Aue mansuetissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio nona.*

**O** Regalis virtus, iubilusque mentalis, memento angustiarum, quam passus es, quando præ mortis amaritudine, & Iudæorum insultatione, cum magna voce te à Deo Patre derelictum clamasti, dicens: Heli, Heli, lama-zabatani, quod est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Per hanc angustiam peto, ut in angustis mortis meæ, non derelinquas me Domine Deus meus, Amen. Aue patientissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio decima.*

**O** Iesu alpha & o, vnio & virtus in omni medio, recordare quòd à summo capite vsque ad plantam pedis, pro nobis in aqua passionis te demersisti: propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum, doce me per veram charitatem custodire latum mandatum tuum nimis. Amen. Aue prudentissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio Undecima.*

**O** Iesu abyssus profundissime misericordiae, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quae transierunt carnem tuam, & medullam ossium, & intima viscerum tuorum, vt me submersum in peccatis emergas, & abscondas me in foraminibus vulnerum tuorum, à facie irae tuae, donec pertranseat furor tuus Domine, Amen. Ave potentissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater n. Ave M-

*Oratio duodecima.*

**O** Iesu veritatis speculum, vnitatis signum, & charitatis vinculum, memento innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à summo capite vsq; ad ima pedum vulneratus fuisti, & ab impiis Iudæis laceratus, & sanctissimo sanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris tui in virginea carne tua pertulisti pro nobis. O pie Iesu, quid ultra facere debuisti, quod non fecisti? Scribe, quaeso, omnia vulnera tua in corde meo, pretiosissimo sanguine tuo, vt in illis legam dolorem & amorem tuum, vt eorum memoria apud secretum cordis mei remaneat, & dolor passionis tuae in me quotidie renouetur, & amor augetur, vsque dum perueniam ad te desideratum thesaurum omnium bonorum & gaudiorum repletum, quod mihi donare digneris Christe dulcissime in vita mea, Amen.

Aue

Aue splendidissime Iesu Chrifte, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio tredecima.*

**O** Iesu Leo fortissime, Rex immortalis & inuictissime, memento doloris, quem passus es, cum omnes vires corporis & cordis tui penitus defecerunt, & inclinato capite dixisti: Consumatum est. Per hanc angustiam & dolorem tuum miserere mei in vltima consumatione vitæ exitus mei, cum anima mea anxiosa fuerit, & spiritus meus conturbatus, Am̄ Aue nobilissime Iesu Chrifte, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio quatuordecima.*

**O** Iesu vnigenite altissimi Patris, splendor & figura substantiæ eius, memento subnixæ commendationis, qua spiritum tuum Patri commendasti, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, & lacerato corpore ruptoque corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expirasti: per hanc pretiosissimam mortem tuam deprecor te Rex sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, & sanguini: vt mundo mortuus, tibi soli viuam, & in nouissima hora exitus mei suscipe reuertentem ad te spiritum meum exulem & peregrinum: Amen. Aue dulcissime Iesu Chrifte, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.

*Oratio*



*Oratio quindecima?*

**O** Iesu vitis vera & foecunda, memento superfluentis & abundantis effusionis sanguinis tui, quem tu de corpore tuo, sicut de botro expresso, copiosissimè effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lancea militari perfollo latere, nobis sanguinem & aquam propinasti, ita vt ne minima gutta in te remaneret: tunc demum tanquam fasciculus Mirrhæ, in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua euanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit, & medulla ossium tuorum emarcuit. Per hanc amarissimam passionem tuam, & pretiosissimi sanguinis tui effusionem, precor te dulcissime Iesu, vulnera cor meum, vt pœnitentiæ & amoris lachrymæ sint mihi panes die ac nocte, & conuerte me totaliter ad te, vt cor meum fiat tibi perpetuò habitabile, & conuersatio mea tibi placita & accepta sit, ac finis vitæ meæ ita laudabilis, vt post vitæ meæ terminum, te laudare merear cum omnibus Sanctis tuis in æternum, Amen.

Aue dignissime Iesu Christe, miserere mihi peccatori. Pater noster. Aue Maria.



ALIAE ORATIONES DE  
*passione Domini.*

Oratio de singulis articulis passionis.

**D**EVS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis cõspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: Tu Domine per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me à poenis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum: Qui cum Patre, & Spiritu sancto. viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

*Alia oratio de Passione:*

**D**omine Iesu Chrïste, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ, qui dignatus es nasci, mori, & resurgere: per mysterium sacratissimi corporis tui, & per quinque vulnera, & effusionem pretiosissimi sanguinis tui, miserere nobis sicut tu scis necessarium esse animabus & corporibus nostris. Libera nos à diaboli  
 tenta-

tentatione, & ab omnibus, quibus nos angustiatos esse cognoscis: nosque in seruitio tuo vsque in finem conserua, atque corrobora, & veram emendationem, spaciumque veræ poenitentiae nobis tribue, & remissionem omnium peccatorum post obitum: & fac nos fratres, sorores, amicos, & inimicos inuicem diligere, & cum omnibus sanctis tuis in Regno tuo sine fine gaudere: qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

*Ad Vulnera Christi, O R A T I O.*

**R**Ogo te, Domine Iesu, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra, è quibus emanauit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti: vulnera animam meam peccatricem, pro qua mori dignatus es: vulnera eam igneo, & potentissimo telotue nimie charitatis. Confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum: vtque ex ipso vulnere amoris tui, vberimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Percute Domine percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis tue, & aliis ad intima penetra potenti virtute, Qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

*Considerationes piæ de passione Christi, D.  
Gregorij Pape.*

**O** Domine I E s u Chriſte, adoro te in cruce pendentem, & coronam ſpineam in capite portantem: deprecor te, vt me tua crux liberet ab Angelo percutiente, Amen.

*Pater noſter. Aue Maria.*

2. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum: deprecorte, vt vulnera tua ſint remedium animæ meæ, Amen. *Pater noſter, Aue Maria.*

3. O Domine Ieſu Chriſte, propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in cruce, maximè in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto corpore tuo: deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam in vitam æternam, Amen. *Pater noſter. Aue Maria.*

4. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te deſcendentem ad inferos, & liberantem captiuos: deprecor te, ne permittas me illuc introire, Amen. *Pater noſter. Aue Maria.*

5. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te reſurgentem è mortuis, aſcendentem ad cœlos, ſedentemq; ad dexteram Patris: deprecor te, vt illuc te ſequi, & tibi præſentari merear. Amen *Pater noſter. Aue Maria.*

6. O Domine Ieſu Chriſte, paſtor bone, iuſtos conſerua, peccatores iuſtifica, omnibus fidelibus miſerere, & propitiuſ eſto mihi peccatori, Amen. *Pater noſter. Aue Maria.*

7. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrha & aromatibus conditum: deprecor te, vt tua mors ſit vita mea,

Amen.



Amen. *Pater noster. Aue Maria.*

*De septem Verbis, qua Christus in cruce pendens dixit. O R A T I O.*

**D**omine IESU Christe, fili DEI viui, qui in cruce pendens dixisti: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt: fac vt ego amore tui, parcam cunctis mihi malè facientibus. Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in paradiso; fac me ita viuere, vt in hora mortis meæ dicas mihi, hodie mecum eris in paradiso. Et qui dixisti matri tuæ: Mulier, ecce filius tuus: deinde discipulo: Ecce mater tua: fac vt matri tuæ me lociet amor tuus & charitas vera. Et qui dixisti: Eli, Eli, lamafabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? fac me dicere in omni tribulatione, & angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mihi peccatori, & adiuua me, Rex meus, & Deus meus, qui tuo proprio sanguine redemisti me, Et qui dixisti: Sitio: fac vt semper sitiam te fontem aquæ viuæ Et qui dixisti: Pater. in manus tuas commendo spiritum meum: suscipe me redeuntem ad te. Et qui dixisti: Consummatum est: Fac vt audire merear illam dulcissimam vocem tuam, scilicet: Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea, veni, vt mecum conscendas cum Angelis, & Sanctis meis, in regnum meum, epulari, iucundari, & comorari, per infinita seculorum secula, Amen

*Salutationes ad omnia membra CHRISTI,  
& suis ipsius ad eum commendatio.*

**S**alue tremendum cunctis potestatibus caput Domini Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum.

Salue speciosissima Saluatoris nostri Iesu Christi facies, pro nobis sputis illita, & alapis caesa.

Saluete benignissimi Domini Iesu Christi, Saluatoris nostri oculi, pro nobis lachrymis perfusi.

Salue mellifluum os, gutturque suauissimum Domini Iesu Christi, pro nobis felle & aceto potatum.

Saluete aures nobilissimae Domini Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis contumelijs & opprobrijs affectae.

Saluete venerabiles Domini nostri IESU Christi manus, & brachia, pro nobis in cruce extensa.

Salue pectus mitissimum Domini IESU Christi Saluatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum.

Salue latus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum.

Saluete Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri sacra misericordiae genua, pro nobis in orationibus flexa.

Saluete Domini Iesu Christi, Saluatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi,

Salue

Salve totum corpus Iesu Christi, pro nobis  
in cruce suspensum, vulneratum, mortuum,  
& sepultum.

Salve sanguis pretiosissime, de corpore  
Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri pro no-  
bis effuse.

Salve sanctissima Domini nostri Iesu Chri-  
sti anima, in cruce pro nobis in manus Patris  
commendata.

In eadem commendatione, tibi commen-  
do hodie, & quotidie animam meam, vitam  
meam, cor & corpus meum, omnes sensus &  
actus meos, omnes amicos, benefactores, &  
consanguineos meos, animas parentum, fra-  
trum, sororum & omnium amicorum, ac ini-  
micorum meorum, ut nos protegere, libera-  
re, & defendere digneris ab omnibus insidijs  
inimicorum nostrorum, visibilium, & inuisi-  
bilium, nunc, & in perpetuum, Amen.

*Planctus B. Mariae Virginis.*

**S**tabat mater dolorosa;  
Juxta crucem lachrymosa,  
Dum pendebat filius.

Cuius animam gementem,  
Contristantem, & dolentem,  
Pertransiit gladius.

O quam tristis, & afflicta,  
Fuit illa benedicta,  
Mater unigeniti.

Quae mœrebat & dolebat,

Et tre-

Et tremebat, cū videbat  
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,  
Christi matrem si videret  
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,  
Piam matrem contemplari,  
Dolentem cum filio?

Pro peccatis suæ gentis,  
Vidit Iesum in tormentis,  
Et flagellis subditum:

Vidit suum dulcem natum,  
Morientem desolatam,  
Dum emisit spiritum.

Eia mater fons amoris,  
Me sentire vim doloris  
Fac, vt tecum lugeam.

Fac vt ardeat cor meum,  
In amando Christum Deum,  
Vt ei complaceam.

Sancta mater istud agas,  
Crucifixi sige plagas  
Cordi meo valide.

Tui nati vulnerati,  
Iam dignati pro me pati,  
Pœnas mecum diuide-

Fac me verè tecum flere,  
Crucifixo condolere,  
Donec ego vixero.

Iuxta crucem tecum stare,  
Te libenter sociare  
In planctu desidero.



Virgo virginum præclara,  
 Mihi iam non sis amara,  
 Fac me tecum plangere.

Fac vt portem Christi mortem,  
 Passionis eius fortem,  
 Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,  
 Cruce hac inebriari,  
 Ob amorem filij.

Inflammatum, & accensum  
 Per te, Virgo sim defensus  
 In die iudicij.

Fac me cruce custodiri,  
 Morte Christi præmuniri,  
 Confoueri gratia,

Quando corpus morietur,  
 Fac, vt animæ donetur  
 Paradisi gloria, Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius  
 pertransiuit.

℞. Vt reuelentur ex multis cordibus co-  
 gitationes.

### O R A T I O.

**I**Nterueniat pro nobis, quæsumus, Domine  
 Iesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ  
 apud tuam clementiam, beata virgo Maria,  
 mater tua, cuius sacratissimam animam in  
 hora tuæ passionis, doloris gladius pertransi-  
 uit. Per te Iesu Christe, Saluator mundi, qui  
 cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas in  
 secula seculorum, Amen.

## CAPVT III.

Orationes, & exercitia ad Deiparæ Vir-  
ginis Mariæ cultum peculiarem  
spectantia.

*D. Bernardus serm. de Natiuit. Maria.*

**T**otius medullis cordium, totis præcordiorum af-  
fectibus, & totis omnibus Mariam veneremur:  
quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere  
voluit per Mariam. Filioli, hæc peccatorum scala  
est. Quid nos alta concupiscimus fratres? Quæra-  
mus gratiam & per Mariam quæramus, quia  
quod querit, inuenit, & frustrari non potest.

*Vndecim officia, quibus omnis cultus beatissima  
Virginis continetur.*

**C**um beatissima virgo, Dei mater, Ecclesiæ  
totius, patrona sit præcipua, quam proin-  
de præcipua veneratione, cultuq; profèqui  
debent pij omnes, dicendum paucis initio vi-  
detur quibus officijs cultus hic, & veneratio  
definiatur, vt qua ratione, quibusque modis  
colenda sit, omnes intelligant.

Vndecim officijs cultus hic Deiparæ gene-  
ratim continetur.

Primus est honor internus & externus. In-  
ternus in actu eo reuerentiæ voluntatis no-  
stræ consistit, quo cum debita submissiõne,

subic-

subiectionisq; recognitione, de ipsius dignitate, & excellentia conuenienter sentimus, esse nimirum illam maiori, perfectiori que dignitate & excellentia præditam, quam quæuis alia creatura sit, vt propterea singulari animi demissione, ac summæ subiectionis recognitione eam creaturæ omnes admirari, & suspicere, & complecti debeant. Externus verò D. Virginis honor ex hoc interiori proficiscitur: vt nimirum exterius verbo vel quocunq; officio testificemur & protestemur illius, quam interius, & mente cognoscimus, maiestatem, dignitatem, excellentiam. Atq; hic honor D. Virgini debitus Hyperdulia vocatur. Ex hoc primo fonte Christiani officij in beatam Virginem, factum est, vt sancti patres tam honorificis, tam excellentibus titulis, ac nominibus eam appellauerint, vt patet in Litanijs, quæ illi concinuntur ad eam debitis præconijs, & laudibus honestandam.

2. Colimus deinde beatissimam virginem, salutatione ea, quæ verbis Angeli, & Elizabethæ, pro veteri Catholicæ Ecclesiæ instituto & consuetudine, continetur. Quam quidem salutationem aliquoties subinde iteramus, vt sæpius memoriam Redemptoris nostri, perduto mundo, tam latè annunciati reficemus, officiumq; quod tantæ matri, à nobis iurè debetur, declaremus. Hinc Rosarium, eiusque recitandi ritus, de quo infra dicemus capite hoc eodem, emanauit.

3. Salutationi Angelicæ prouida mater Ec-

R

clesia

clesia conclusionem eam adiecit, quæ apertam continet precationem; vt doceat B. Virginem à nobis inuocandam, opem illius, & suffragia nobis necessariò suppliciter imploranda: cum potissimum nihil tanta mater petat à filio, quod non impetret, cum nihil aliud petere possit, quod & illi gratissimum, & ijs quibus postulat salutare esse non sciat.

4. Colimus deinde B. Virginem statis diebus, & ferijs illi sacris, scilicet Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visit. Purific. & Assumpt. de quibus paulò infra dicemus.

5. Sed & templis, Oratorijs, Altaribus Deo primùm erectis in honorem & memoriam parentis sibi carissimæ, ipsam colimus, & honoramus.

6. Sacrificijs quoq;, etsi enim sacrificium nullum B. Virgini immolemus, cum soli Deo debeat; pro eius tamen B. parentis gloria, & in eius honorem noua, ac verè munda corporis Christi, & sanguinis oblatio à tota Ecclesia in vniuerso mundo offertur. Vnde pij homines Sacra & Missas de B. Virgine à sacerdotibus celebrari curant, non quòd sacrificium offerri velint Virgini, sed quòd offerri velint Deo in gratiarum actionem pro gloria collata D. Virgini, & vt simul eam interpellent tanquam patronam, & Aduocatam, & Mediatricem suam apud Deum.

7. Adhæc votis illi nuncupatis, honorem tribuimus, non tantum quatenus Deo voue-



mus ex parentis eius Mariæ amore ac reuerentia, illam quasi testem obligationis, quæ nos Deo obstringimus, appellantes, ac illius gloriosa & potenti intercessione exequi, votumque dependere; sed etiam ipsum votum, & promissionem in ipsam terminantes; promittentes nimirum illi aliquid, actu non latræ, sed hyperdulæ, ad eius opem tanquam patronæ aduocatæq; nostræ apud Deum implorandam: vel in signum gratitudinis, quod per eam insigne aliquod beneficium, ab ipsius filio Deo acceperimus.

8. Insuper & imaginibus cuiuscunque generis, seu sculptis, seu pictis, seu in compitis & truijs, siue alibi positis pio instituto & more B. Virginem colimus & veneramus.

9. Succedant his peregrinationes ad loca illa sancta, & miraculis celebria, quibus mirifice & admirabili sæpè fructu à Catholicis B. Virgo colitur. Observatione autem & admiratione dignum est, nullam propè in Christiano orbe esse prouinciam, in qua vel templa, vel loca non sint mirandis effectibus, & miraculis illustria, ad quæ proficiscentes Christi fideles opportuno tempore misericordem Dominum per benedicta matris merita, ad casus & pericula cum corporis, tum animæ propulsanda non exorent. Obeundæ autem sunt eiusmodi peregrinationes fidè integra spe magna, caritate feruida, intentione purissima, spectato animæ, fructu potius quam corporis.

10. Deniq; Sodalitijs colitur beata Virgo, quæ sub augustissimo ipsius nomine instituta, diuini cultus, laudis Virgineæ, salutisq; propriæ amore, ac desiderio, ab ijs qui illius veri esse cultores desiderant, piè sancteq; frequentantur. Vide infra lib: 10. cap: 5. &c.

11. Cæterum præcipuus, & potissimus B. Virginis cultus in virtutum eius imitatione consistit *Talis fuit Maria, ait B. Ambr. Et eius Vita omnium disciplina sit. Quicumq; ergo sibi Maria optat præmium (dico ego & beneficium) Maria imitetur exemplum.* Quocirca ut eius virtutes, ac integerrimæ vitæ exemplum exprimere in nobis vel adumbrare saltem aliquo modo possimus, libet hic primum omnium breuem cathalogum virtutum eius omnium præcipuarum subnectere, ex quo amplissima ad eam imitandam materies eruatur

*BREVIS ET SÛCCINCTVS, AMPLISSIMARVM B. Virginis Virtutum Cathalogus, ex B. Ambrosio decerptus.*

**C**Athalogum autem hunc decerpsimus, ex B. Ambrosij lib: 2. de virginibus, quem totidem propterea verbis referemus. Sic igitur magnus ille Doctor scribit, virgines cum primis, ac simul cultores illius omnes compellans

Sit vobis tanquam in imagine, descripta virginitas, vitaq; B. Mariæ, de qua velut speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis.

tutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, ubi  
 tanquam in exemplari magisteria expressa  
 probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid  
 tenere debeatis, ostendunt. Primus dicendi  
 ardor, nobilitas, est magistri, Quid nobilius  
 Dei matre? quid splendidius eâ, quam splen-  
 dor elegit? quid castius eâ, quæ corpus sine  
 corporis contagione generauit?

1. *Puritas B. Mariæ.*) Virgo erat non solum  
 corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli  
 ambitu sincerum adulteraret affectum.

2. *Humilitas & prudentia.*) Corde humilis,  
 verbis grauis, animi prudens, loquendi par-  
 cior, legendi studiosior, non in incerto diui-  
 tiarum, sed in prece pauperis spem reponens.  
 Intenta operi, verecunda sermone, arbitrum  
 mentis solita non hominem, sed Deum qua-  
 rere.

3. *Lenitas & mansuetudo.*) non lædere reos,  
 bene velle omnibus, assurgere maioribus na-  
 tu, æqualibus non inuidere, fugere iactanti-  
 am, rationem sequi, amare virtutem.

4. *Modestia in conuersatione.*) Quando ista  
 vultu læsit parentes? quando dissensit propin-  
 quis? quando fastidiuit humilem? quando  
 derisit debilem? quando vitauit inopem? eos  
 solos solita cœtus virorum inuisere, quos mi-  
 sericordia non erubesceret, neque præteriret  
 verecundia.

7. *Modestia in verbis, gestu, incessu, æstu.*) Nihil  
 toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil  
 in actu inuerecundum; non gestus fractior,

non incessu solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis figura probitatis.

6. *Sobrietas, & precationis assiduitas.*) Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? alterum vltra naturam superfuisset, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.

7. *Somni parcitas.*) Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit: & tamè cum quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat.

8. *Modestia foras prodeundo.*) Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliori tamen sui custode, quàm seipsa, quæ incessu affectuq; venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret: vt tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, bonorum autem suorum se habeat ipsa custodem.

9. *Studium profectus.*) Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur, sic implebat omnia virtutis officia, vt nō tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit; talem Angelus reperit, talem Spi-



ritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? ut eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur.

29. *Quies, & sollicitudo non otiosa.*) Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetrabilibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites sceminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset: nam quemadmodum sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ: Denique & Gabriel eam ubi reuifere solebat, inuenit; & Angelum Maria, quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit.

12. *Pietas eius, & charitas in alios.*) Quam verò religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina significat. Nam & humilior facta est, ubi se à Deo cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit; non utique ut exemplo crederet, quæ iam crederat oraculo. Et tribus cum ea mensibus mansit; tanti autem interuallo temporis non fides quaeritur, sed pietas exhibetur.

13. *Studium eius in Dei præceptis cognoscendis.*) Quamuis esset mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat, & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

14. *Pudor & Verecundia eius in omnibus.*) Quid quoddam annis quoque omnibus ibat in Hierusa-

lem folemni die Palchæ, & ibat cum Ioseph<sup>o</sup> Vbique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Talis denique fuit Maria, vt eius vnus vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, vt quicumque eius optat præmium, imitetur exemplum. Hactenus B. Ambrosius.

*Ratio breuis, & efficax commendandi se B. Virgini, crebrò à pijs Ecclesia filiis, ac potissimum Studiosis in congregationum sodalitatibus, instituenta.*

**F**ACTO signo crucis, ac mente, corporeq; ad orationem composito, imaginabor B. Mariam coram me positam, ac omninò paratissimam ad indigentiam, & paupertatem meam subleuandam; si modò me illi gratum præstitero, ac eam feruidè quicquid oportuerit, rogauero.

**G**RATIAS itaque illi agam de cunctis beneficiis, quæ illa mihi à Christo impetravit; præcipuè verò de ijs, quæ peculiariter intelligo me ipsius intercessione obtinuisse; qualia sunt, maior seruator, & deuotio, maior affectus erga res sacras, studium virtutum, humilitatis cum primis, castitatis, mansuetudinis, caritatis, sobrietatis, ardentius desiderium promouendæ meæ salutis, & aliorum, præclariùs ingenium

genium, memoria felicior, intellectus acuti-  
or, diligentia maior in studiis, & eiusmodi,  
quæ ab dato nomine eius Congregationi ( si  
fortè ei nomen dederint) aucta esse in me vi-  
deo & sentio.

Totum illi me tradam, atq; offeram, orans vt  
me in tutelam, patrociniūq; suscipere, meq;  
suo præsidio munitum, ab omni tum animæ,  
tum corporis periculo tueri dignetur.

Aliqua beneficia pro me, cæterisq; proxi-  
mis meis petam, vel certè conseruari, & au-  
geri rogabo; præsertim vt mihi à suo filio pro-  
fundam humilitatem, purissimam castitatem,  
& in recto virtutis itinere profectum, ac per-  
seuerentiam impetret: prætereà vt nonnihil  
doloris illius mihi impertiat, quem ex filij cru-  
ciatibus cepit: præparationis etiam atq; ar-  
doris scintillam, quo sacram Eucharistiam  
post ascensionem Domini nostri sumebat. De-  
nique augmentum deuotionis, & affectus er-  
ga eandem sanctissimam virginem. Hæc au-  
tem beneficia per septem eius gaudia, dolo-  
resq; totidem petam, quibus fuit affecta  
dum viueret.

*Commendatio ad Beatissimam Virginem*

M A R I A M.

O Domina mea S. Maria, me in tuam be-  
nedictam fidem, ac singularem custodiã  
& in sinum misericordiæ tuæ hodie, & quoti-  
diè, in hora exitus mei, & animam meam, &  
corpus meum tibi commendo. Omnem spẽ

R 5

meam

meam & consolationem meam, omnes angustias & miseras meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, vt per tuam sanctissimā intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & disponantur opera, secundum tuam tuique filij voluntatem, Amen.

*Oratio Sodalium B. Virginis, pro perseverantia in cultu Dei, & B. Virginis impetranda.*

**D**EVS, qui nos sub alis sanctissimæ matris filij tui constitutos ad brauium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te & seruitio eiusdem sacratissimæ virginis Mariæ perseueremus, infunde: vt protectionis vestræ muniti præfidiis, quod te Domine donante promissimus, impleamus: & nostri propositi executores effecti, ad ea, quæ perseuerantibus in te, promittere dignatus es, pertingamus.

*Alia oratio.*

**B**EATÆ & gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, quaesumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducatur æternā. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*M Y S T E R I A R O S A R I I.*

**R**osarium apud Catholicos aliud nihil est, quam sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Euangelio depromptis, tanquā  
rosis



rosis contextum, quod virgini virginum, Dei matri offerimus. Serta enim virginum capitibus ornandis propriè adhibentur Rosarium autem constat Oratione Dominica quinquies, & Salutatione Angelica 50. repetita; vnde Rosarium tertio dictum efficit numerum 550 in Salutatione, qui est numerus Psalmorum Dauidicorum, à quo numero vocarunt trinū illud Rosarium, Psalterium beate Virginis. Quinquies in Rosario Orationem Dominicam repetimus, vt quinque vulnerum Christi memoriam refricemus. Salutationem verò Angelicam cuiq; Orationi decies subijcimus, vt in mentem nobis veniat 50. Dei mandatorum. Eandem 50. toto Rosario iteramus, vt plenam peccatorum remissionem, quæ quinquagenario numero Iubilæi in scripturis sanctis significatur, intercessione B. Virginis, per merita Dominicæ passionis cõsequamur.

Porro, vt mens orantis, cui difficile videtur, & tœdiosum, ad eadem verba toties repetita attendere, fructu suo non careat, piè ordinatum est, vt quodlibet Rosarium quinque mysteriis perficeretur, quibus meditandis, dum os verba proferret, mens occuparetur.

Primo Rosario assignata sunt quinq; gaudia sanctissimæ Matris; quinque decadibus accommodata: quibus illa ex his, quæ circa Christi naturam humanam contigerunt, affecta fuit: Nimirum ista.

1. *Annunciatio Dominica Incarnationis.* 2. *Visitatio Elizabethæ.* 3. *Natiuitas Christi.* 4. *O-*

*blatio Christi in templo. 5. Inuentio pueri Iesu inter Doctores.*

In secundo Rosario memoria fit quinque mysteriorum passionis Christi, quæ sunt:

1. *Oratio, & captiuitas Domini in horto.*
2. *Flagellatio.*
3. *Coronatio.*
4. *Ecce homo.*
5. *Crucifixio.*

In tertio Rosario proponuntur quinque mysteria glorioſa post Christi Domini mortem; nimirum:

1. *Resurrectio Domini.*
2. *Ascensio eius in caelos.*
3. *Aduentus Spiritus sancti in Mariam & Discipulos.*
4. *Assumptio B. Virginis.*
5. *Coronatio eiusdem.*

Ex quibus patet multiplex Rosarij vsus & fructus, quo scilicet renouatur memoria omnium mysteriorum vitæ Christi, & B. Virginis, capitumq; præcipuorum fidei. Quod sane compendium eo est apud omnes vtilius, quo latius patet eius vsus quam librorum. Legi enim potest eüam à literarum imperitis, à cæcis, in equis, & in curribus, & in tenebris densissimis. Nunquam verò omittenda sunt mysteria, circa quæ intelligentia & memoria occupentur, etsi initio aliquid videatur habere difficultatis, eorum ita semper meminisse, paucorum dierum vsus rem totam facillimã reddet. Simplex certè & ieiuna decadem decursio & obnoxia est, multis distractionibus, & parùm consolationis, multùm verò tædij habet; nisi vna in decadibus singulis mysteriũ aliquod euoluas. Si enim mysteria ea omiseris,

priuas

priuas te saluberrima, suauissima, Deo que & parenti eius gratissima recordatione diuinitimorum vitæ Christi & Mariæ, salutisq; omnium nostræ mysteriorum.

*Modus recitandi faciliè Rosarij.*

**V**T tantò faciliùs & diligentius Sodales in recitando Rosario mysteria proposita percurrant, modum sat opportunum, & facilem subijciemus. Is est, vt antequam ad eadem aliquam inchoes, mysterium quod in ea meditandum est, breuiter in memoriam reducas, retinendum postea, dum decadem absoluas. Deindè sub initium orationis Dominicæ, Deum velut præsentem animo subijcias, vt patrem. Sub initium Salut. Angelicæ, beatam Virginem, vt matrem; vt nimirum imaginatio circa id occupata, euagari huc illuc non possit. Vel certè imagineris te ferri per ea loca in quibus ea mysteria facta sunt, illisque te præsentem esse cogites, ac si ea oculis tuis haberes proposita. Quod citra difficultatem magna animi voluptate sensuq; fieri potest; sicut ociosi aliquando imaginamur nos rotam Hispaniam percurrere, videre, intueriq; mira, &c. Et die quidem Dominico, & feriâ tertij generis mysteria, quæ gloriosa dicuntur. Feriâ 2. 3. & Sabbatho, primi generis, quæ gaudiofa appellantur. Feriâ 4. & 6. ea quæ luctuosa nuncupantur expendi & considerari possunt.

Ad faciliorem quoque mysteriorum considerationem.

derationem quidam vir doctus; & pius, insignem modum suggerit, vt ad singulas scilicet decades, mysterium ipsum, cui volumus intendere, in ipsis salutationibus Angelicis tribus verbis interseratur, hoc pacto :

In Rosario gaudioſo.

*Ad decades singulas, cum peruentum fuerit ad nomen IESVS adijciatur.*

Ad	}	Quem	1.) Virgo concepisti.	}	S. Maria
			2.) Visitando Elizabet		Mater
			3.) portasti.		Dei, ora
			4.) Virgo genuisti;		pro no-
			5.) In templo præ-		bis pecca-
			sentasti.		toribus,
			(In templo inuenisti.)		&c.

In Rosario Doloroso.

*Ad decades singulas, cum peruentum fuerit ad nomen IESVS adijciatur.*

Ad	}	qui p nobis	1.) Sanguinem sudauit.	}	Sancta
			2.) Flagellatus est.		Maria
			3.) Spinis coronatus est.		Mater
			4.) Crucem baiulauit.		Dei &c.
			5.) Crucifixus est.		

In Rosario glorioso.

*Ad decades singulas, cum peruentum fuerit ad nomen IESVS, adijciatur.*

Ad	}	Qui	1.) Resurrexit à mortuis.	}	Sancta
			2.) In cœlum ascendit.		Maria
			3.) Spiritum sanctum misit.		Mater
			4.) Te assumpsit.		Dei,
			5.) Te in cœlis coronauit.		&c.

Qui



Quidam alius pius, iuxta & doctus (*Mart. Nauarrus Miscelan. 24.*) cum 60. amplius annos habuisset consuetudinem quotidie recitandi Rosarij, negat se melius quicquam reperisse ea exercitatione, modoque, quem initio proposuimus. Is quoque absoluta quauis decade, quasi animi recreandi causa, hisce verbis ad gratulationem se excitabat.

*Absoluta prima.* Decies millies te benedicant virgo mater; gloriosa Maria, omnes Angeli, & Archangeli, vniuersique Curie celestis Spiritus, cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in caelo, Amen.

*Post 2. decadem.* Vicies millies te benedicant, virgo mater gloriosa Maria, omnes SS. Patriarchae, & Prophetae, Innocentes, S. Iohannes Baptista; & omnes Sancti antiqui testamenti: cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in caelo, Amen.

*Post 3.* Tricies millies te benedicant, virgo mater, gloriosa Maria, omnes sancti Apostoli, discipuli Domini, Euangelistae, omnesque gloriosi martyres, cum quibus, &c.

*Post 4.* Quadragies millies, &c omnes SS. Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitae, Virgines, Vidui, coniugati, cum quibus, &c.

*Post 5.* Quinquages millies te, &c. S. Anna mater tua, & Mariae cognatae tuae, amicissimeque tibi Magdalena & Martha, omnes sanctae Virgines, Viduae, Coniugatae, cum quibus, &c.

*Quid Corona, & quis eius recitanda modus,*

**I**am valdè in vſu eſt id genus Roſarij, quod D. Virginis Corona dicitur, quæ ſex decadibus continetur, quibus addijcitur oratio Dominica, & ter ſalutatio Angelica, ac poſtremò cõcluditur ſymbolo Apoſtolorũ. Corona hæc inuenta, & vſurpata videtur in honorem 63. annorum, qui à multis, diuæ Virgini tribuuntur, vt ſingulis annis respondeant ſingulæ ſalutationes Angelicæ, quæ ſunt 63. Corona autem hæc cum recitatur, in quinq; primis decadibus, antedicta myſteria pia cogitatione tuolui debent. In ſexta autem decade, eadem repeti poſſunt, primum ſcilicet in primo Aue, ſecundum in ſecundo, & ſic deinceps: ita vt in ſingulis decem illius decadis ſalutationibus, bis ſingula myſteria repetantur: aut in duabus primis ſalutationibus vnum: in duabus ſecundis ſecundum, & ſic deinceps: aut certè vnum aliquod myſterium, in quo magis nos commoueri ſenſimus, in tota vltima decade iterum mentis oculis ſubiicitur. Ad tria autem vltima, Aue Maria, virtutes ſubiectas, vel alias pro cuiuſque deuotione, per interceſſionem glorioſæ virginis poſſumus à Deo poſtulare, hoc modo:

*In 1. Roſario poſt I E S V S, adijciatur.*

Qui nobis augeat	{	Fidem rectam, Spem firmam, Chacitatem perpetuam.	}	S. Maria mater, &c.
---------------------	---	---	---	------------------------

*In 2. Rosario post IESVS, adijciatur.*

Qui nobis	{	Intellectum illuminet,	} Sancta	
		Voluntatem perficiat,		Maria,
		Memoriam roboret		&c.

*In 3. Rosario post IESVS, adijciatur.*

Qui	{	Dirigat cogitationes,	} Sancta	
		Regat verba,		Maria,
		Gubernet opera.		&c.

Post sextam autem Corouæ decadem adijci potest; *Centes millies te benedicant, Virgo mater gloriosa Maria, omnes sancti, sanctæq; Doct, cum quibus speramus, &c.*

Plenum sane pietatis, & voluptatis spiritualis, id est, benedictionis, & gratulationis exercitium: quandoquidem gratam memoriam continet sanctorum omnium; quorum vocibus, & æternis encomijs, honoribusq; , quos semper Deo, parentiq; eius tribuunt, & decantant, nostras quali voces & laudes adiungimus; facere iam incipientes in terris, quod facere cupimus æternum in coelis.

*Expositio Salutationis Angelica ex sanctis Patribus Latinis & Græcis contexta, per modum meditationis & surpanda: cum aliquot SS. Patrum orationibus; quibus orem implorant B. Virg: Maria.*

**A**ve Maria) Ave Domina, stella fulgentissima, lux illustrissima.

Ave pax, gaudium & salus mundi.

Ave generis humani lætitia.

Aue patrum patrociniū, & Prophetarū decus.  
 Aue Martyrum pulchritudo, & corona fan-  
 corum. *S. Ephram orat. de laudibus san-  
 ctissima Deſ matris.*

*Gratia plena.*) Impleta es gratia, & Eux  
 vacuata est culpa: Maledictio Eux, in bened-  
 ictionem mutatur Mariæ. *S. August: ser: 1.  
 de Annunc.*

Singulis gratia se est largita per partes, tibi  
 verò se totam dedit gratiæ plenitudo. *S. Pe-  
 trus Chrysologus serm: 341.*

*Dominus tecum*) Tecum in corde, tecum  
 in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio.  
*S. August: loco citato.*

Nec tantum Dominus filius tecum: quem  
 carne tua indues: sed & Dominus Spiritus  
 sanctus, de quo concipis, & Dominus Pater,  
 qui genuit quem concipis. *S. Bern: hom: 3.  
 super missus.*

*Benedicta tu in mulieribus*) O foemina super  
 omnes foeminas benedicta, quæ virum non  
 nosti, & virum tuo vtero circumdedisti. *S.  
 August: loco citato.*

Verè benedicta, quæ fuisti maior cælo, for-  
 tior terra, orbe latior; nam Deum quem mun-  
 dus non capit, sola cepisti. Portaſti Deum,  
 nutriuiſti omnium viuentium nutritorem:  
 benedicta tu, quæ illam generalem maledi-  
 ctionem euasiſti, qua dictum est: In triftitia  
 paries filios: & nihilominus illam, quâ scri-  
 ptum est: Maledicta ſterilis in Iſraël; ac ſin-  
 gularem conſecuta es benedictionem, vt nec  
 ſterilis



sterilismaneas; nec cum dolore parturias.

*S. Chrysoſt: l. cit.*

Tu verè benedicta, quæ ſola ſine viri conjunctione filium genuiſti, qui cœlos condidit, & terram virginitate tua cœlis æquauit.

*S. Aug: Cretenſ: in ſalut. Angel.*

Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes; quam Reges honorant, principes venerantur; diuites populi obſecrant; virgines quæ vel præceſſerunt, vel ſequuntur, in templum regis comitantur.

*Et benedictus fructus ventris tui (Jeſus.)* Vere benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoque accepiſti cum cæteris, eſi differentiùs à cæteris. Benedictus in odore, benedictus in ſapore, benedictus in ſpecie.

*S. Bern: lo. cit.*

Benedictus fructus, ex quo ligni amaritudo dulceſcit; qui ex incorrupta virginei vteri planta racemos extulit. *S. Andr Cret: lo. cit.*

Benedictus fructus, de quo veſcens protoplastus Adam euomuit veterem illam potionem, per quam fraudis venenum hauſerat.

Benedictus fructus, ex quo vitalis panis Dominici corporis, & ſalutare immortalitatis poculum conficitur.

*Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtra, Amen.* His paucis verbis ſancta mater Eccleſia comprehendit, ac per epitomen quaſi complectitur omnes SS. Patrum orationes, preces, ſup-

plica-

plicationes, quas ipsi B. V. obtulerunt: ut ex sequentibus fiet manifestissimum.

*Alia brevis expositio Salutationis Angelica.*

**O**Rationi Dominicæ subiungi solet Salu-  
tatio Angelica, duplici de causa. Primò  
quidem ut sciamus, non nostris meritis præ-  
dictas petitiones vel obrinendas, vel expe-  
ctandas, sed per Christum Iesum incarnatum:  
qui hac salutatione virginem matrem, ad con-  
sensum, in incarnationem, Angelica voce in-  
uitauit. Secundò verò, ut discamus, in cœlis  
nobis esse patronam & aduocatam negotio-  
rum nostrorum, apud æternum Regem, cui  
curam libelli nostri supplicis Deo porrecti cõ-  
mittimus, ut eius nobis petitiones impetret,  
causamq; nostram agat.

*Aue*) Id est, Gaude, lætare, salue. Salutata  
B. V. pro benigna sua charitate, resalutabit.

*Maria*) Nomen proprium, quod dominam  
significat, & stellam maris.

*Gratia plena*) Id est, Ornata Dei gratia atq;  
iustitia, repletaque virtutibus in anima, eiusq;  
potentijs omnibus.

*Dominus tecum*) Id est, Placent Deo cogi-  
tationes, verba, & opera tua nihil in te est,  
quod ipsi displiceat: ideoque nunquam à te  
Deus absuit, & semper tu Deo in cœlis ad-  
hæres.

*Benedicta tu in mulieribus.*) Id est, Tu præ-  
ter cæteras mulieres es benedicta: 1. quia  
mater & virgo: 2. quia mater Dei: 3. quia af-

sequuta

sequuta summam dignitatem quæ muliebri  
sexui dari poterat, nempe vt esses Regina cœ-  
li & terræ, prima sub Deo, super omnem cre-  
aturam. Vnicus te præcedit vir, Christus, Rex  
orbis, Deus & homo. Duo enim erant sum-  
ma officia conferenda: alterum viro, esse  
Regem orbis: alterum foeminae, esse orbis  
Reginam: illud habet Christus, hoc tibi est  
concessam.

*Es benedictus fructus Ventris tui Iesus.)* Hoc  
est, Filius tuus est verus, perfectusq; homo:  
idem est filius Dei super omnia Deus benedi-  
ctus in secula, cui innumeris nominibus, &  
præsertim hoc nomine à nobis laus, gratia-  
rum actio, & benedictio debetur, quod te  
matrem suam & Dominam nobis, Patronam,  
& Aduocatam contulerit.

*Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis pecca-  
toribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* Me-  
ritò rogare potes: quia vt Domina, curam no-  
stri geris: & non difficile impetrabis: quia fi-  
lius est quem rogas. Oramus autem te, vt per  
te bona omnia impetremus, per quam bono-  
rum omnium auctorem accepimus.

*Sancti Augustini, Ecclesie summi Doctoris,  
perelegans ad B. Virginem Mariam*

## O R A T I O.

**O** Beata Maria, quis tibi digne valeat iura  
gratiarum, ac laudum præconia repende-  
re, quæ singulari tuo assensu, mundo succurri-  
sti perditio? Quas tibi laudes fragilitas huma-  
ni pe.

ni generis perfoluat, quæ solo tuo commercio recuperandi cœli aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones; & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrariū exauditionis, & reporta nobis antydotū reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes vnica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue debiles; ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui uiuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

*Beati Ephraem Syri, Sivi sanctissimi, & doctissimi ad eandem B. Virginem  
Oratio.*

**O** Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica virgo, Dei sponsa, Domina nostra, vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, & ad te currentium auxilium præsentissi-



tilissimum, omnium denique Christianorum  
 perfugium; meam sordidissimam, indignisq;  
 labijs expressam orationem; admitte, nec  
 nos tuum quidem filium, meum autem he-  
 rum, & Deum materna tua liberalitate vo-  
 lens exora: vt mihi quoque mitissima illa suc-  
 pietatis viscera referet, & posthabitis in-  
 numerabilibus peccatis, ad pœnitentiam me  
 conuertat, probeq; sua complere mandata  
 concedat. Adis mihi semper virgo miseri-  
 cors, clemens, & benigna, in præfenti quidem  
 vita feruens protectrix, & auxiliatrix, hostiles  
 impetus repellens, & me deducens ad salu-  
 tem, ac in supremo vitæ momento, miseram  
 meam animam conseruans, & tenebrosos ma-  
 lorum dæmonum aspectus ab ea procul abi-  
 gens: in terribili autem die iudicij, ab æter-  
 na damnatione me liberans; postremò in ac-  
 cessæ tui filij & Dei gloriæ me heredem effi-  
 ciens, quam per intercessionem fauoremq;e  
 tuum Domina mea sanctissima, Dei mater,  
 te etiam atque etiam oro assequi valeam, gra-  
 tia, miseratione & humanitate vnigeniti tui  
 filij, Domini & Dei, ac Saluatoris nostri Iesu  
 Christi, cui conuenit omnis gloria, honos,  
 & veneratio cum æterno eius Patre, & san-  
 ctissimo, optimoq; vitæ auctore Spiritu, nunc  
 & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Beati Bernardi Doctoris mellisui Oratio ad D.  
 Virginem. Serm. 2. de Aduenta  
 Domini.*

**P**ER te accessum habeamus ad filium, & benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriola fœcunditatem nobis conferat meritorum, Domina nostra, mediatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos comenda, tuo Filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam, quam inuenisti, per prerogatiuam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseræ nostræ, te quoq; intercedente participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ, Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

*Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.*

*Alia Oratio ad Beatam Virginem Mariam.*

**O**bscuro te Domina sancta Maria, Mater Dei, pietate plenissima, summi Regis filia, mater gloriosissima, mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantium, virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum, fons misericordiæ, fons salutis & gratiæ, fons consolationis & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ: Per illam sanctam inef-

fabi.

fabilem lætitiã, qua exultauit spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annunciatus, & conceptus filius Dei fuit. Et per illam sanctam ineffabilem humilitatem, in qua tu respondi Archangelo Gabrieli, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et per illud diuinum mysterium, quod tunc operatus est in te spiritus sanctus. Et per illam ineffabilem gratiam, pietatem, misericordiam, amorem, & humilitatem, per quas filius tuus, Dominus noster Iesus Christus, descendit accipere humanam carnem in venerabilissimo utero tuo. Et per gloriosissima tua gaudia, quæ habuisti de dilecto filio tuo, Domino nostro Iesu Christo. Et per illam sanctam, & maximam compassionem, & acerbissimum cordis dolorem, quæ habuisti, quando filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, ante crucem nudatum, & in ipsa leuatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potum, fel. & acetum ori eius apponi vidisti: Eli clamantem audisti, & morientem aspexisti. Et per quinque vulnera eiusdem filij tui: & per contractionem viscerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum suorum: & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari: Per fontes sanguinis eius, & per omnem passionem eius: & dolorem cordis tui, & per fontes lachrymarum tuarum. Per hæc omnia te obsecro gloriosa Virgo, vt cum omnibus sanctis & electis Dei venias, & festines

in auxilium, & consilium meum, in omnibus orationibus & petitionibus meis, in omnibus angustiis & necessitatibus meis; & in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atq; momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, virtutum omnium complementum, cum omni misericordia & consolatione, omni consilio & adiutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni saluatione, pace, & prosperitate, omni gaudio & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum spiritualium & corporalium, & gratiam sancti Spiritus, qui me benè per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, & futura moderetur: vitam honestam, & castam mihi tribuat, fidem, spem, & charitatem mihi præstet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis obseruare me faciat: sensus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me semper liberet, & defendat usque in finem meum: hanc orationem suppliciter exaudiat, & suscipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi, & intercede pro me, dulcissima virgo Maria, mater Dei, & misericordix, Amen.



*Alia oratio ad Virginem.*

**O** Maria Dei genitrix, & virgo gratiosa,  
 omnium desolatorum ad te clamantium  
 consolatrix vera; per illud magnum gaudi-  
 um, quo consolata es, quando cognouisti Do-  
 minum Iesum die tertia à mortuis impalsibi-  
 lem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ,  
 & apud eundem tuum, & Dei natum vnige-  
 nitum, in die exitus mei; quando anima mea  
 à corpore meo separabitur, & de singulis me-  
 is factis rationem redditurus sum, me digneris  
 iuuare: vt perpetuæ damnationis sententiam  
 per te pia mater & virgo valeam euadere, &  
 cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia  
 foeliciter peruenire, Amen.

*Salutatio ad B. Virginem.*

**A**Ve virgo virginum laus & lux iustorum:  
 Ad te clamat iugiter turba populorum.  
 Nos à malis eripe, quos in via morum,  
 Detorquere latagit tractus vitiorum,  
 Aue torrens gratiæ, torrens fontis viui:  
 Torrens, de quo profluunt vbertatis riui.  
 Fac vt Deum sitiam magis quàm sitium?  
 Qui per mundi scelera currens circuiui.  
 Aue nostrum gaudium, nostra spes & vita:  
 Per quam sunt remedia ægris impartita,  
 Generalem generis sortem non oblita,  
 Ad æternæ pabulum vitæ nos inuita.  
 Aue fons clementiæ veniæque vena:

Per quam nobis redditur vitæ cantilena.  
 A peccato libera nos, & eius pœna,  
 Ad æternæ patriæ perduc nos amœna.  
 Ave nostri generis parens & patrônâ:  
 Supra cunctos possidens gratiarum bona.  
 Tuis sanctis precibus meritisque dona,  
 Ne mens nostra solito sit in malum prona.  
 Ave virgo, suscipe mentis in conclavi,  
 Verba, quibus toties veniam rogavi.  
 Et audito sæpius Ave tam suavi,  
 Fac me, quæso, domina procul à vœ graui.

## D. BRIGITTÆ

*Orationes dua pulcherrime de Vita, compa-  
 sione, & laudibus B. Virginis.*

## ORATIO PRIMA.

**B**enedicta & Venerabilis sis tu Domina  
 mea Virgo Maria, Dei mater sanctissima;  
 cuius tu verè es optima Creatura, & nullus  
 vnquam tam intimè eum dilexit sicut tu Do-  
 mina gloriosa.

Gloria sit tibi Domina mea Virgo Maria  
 mater Dei, quæ ab illo Angelo quo Christus  
 tibi nunciatus fuit; ab eodem & tu patri &  
 matri tuæ nunciata fuisti, & eorum coniugio  
 honestissimo concepta & genita extitisti.

Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria,  
 quæ in tua infantia sanctissima statim post ab-  
 lactationem tuam à parentibus tuis in tem-  
 plo Dei portata fuisti, & custodiæ deuoti Põ-  
 tificis cum alijs Virginibus cõmissa extitisti.

Laus

Laus fit tibi Domina mea Virgo Maria, quæ cum ad illam ætatem peruenisti, qua Deum intelligeres tuum existere creatorem, confestim ipsum intimè amare super omnia incepisti; & tunc diurna tua tempora & nocturna, per diuersa officia & exercitia ad Dei honorè discretissime ordinasti, somnumque & cibum tui gloriosi corporis taliter moderabaris, vt ad seruiendum Deo existeres semper apta.

Gloria fit tibi Domina mea Virgo Maria, quæ Virginitatem tuam ipsi Deo humiliter vouisti; & ideo non curasti quis te desponsaret, quia tu sciebas, quod ille cui prius fidem dederas potentior & melior erat vniuersis.

Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ sola stabas ardore diuini amoris accensa, tota mente totaque virtute virium eleuata, altissimum Deum, cui tuam Virginitatem obtuleras ardentè diligens contemplando, quando Angelus à Deo fuit missus ad te, & te salutando Dei voluntatem tibi annunciabat. Cui tu respondens, humillimè professa fuisti, ancillam Dei te esse; & spiritus sanctus omni virtute mirabiliter te repleuit, Deus pater filium suum sibi coæternum & coæqualem tibi misit; qui in te veniens de carne & sanguine tuo, sibi tunc corpus humanum assumpsit, & sic in illa hora benedicta, Dei filius in te factus est tuus filius, viuens cum omnibus membris suis, non tamen amissa diuina Maiestate.

Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ Christi corpus, de tuo benedicto corpore creatum, in tuo utero sensisti semper crescere & moueri, usque ad tempus tuæ Natiuitatis gloriosæ; quem tu ante omnes, tuis sanctis manibus attrectasti, pannis inuoluisti, ac iuxta Prophetæ vaticinium, in præsepio reclinasti, & sacratissimo tuorum uerberum lacte, cum cum exultationis gaudio maternaliter educaisti.

Gloria sit tibi o Domina mea virgo Maria, quæ domum contemptibilem, id est stabulum inhabitans, Reges potentes à longè ad filium tuum venire vidisti, regalia xenia cum magna reuerentia tuo filio humiliter offerentes. Quem postmodum tuis pretiosis manibus in templo præsentasti; & in tuo benedicto corde omnia ab eo audita, & visa in eius infantia, diligenter conseruasti.

Benedicta sis tu Domina mea virgo Maria, quæ cum prole illa sanctissima in Ægyptum fugisti, quam postea in Nazareth cum gaudio apportasti, & ipsum tuum filium tibi & Ioseph in accrescentia sui corporis humilem & obedientem vidisti.

Benedicta tu sis Domina mea virgo Maria, quæ filium tuum prædicantem, miracula facientem, & Apostolos eligentem vidisti; qui eius exemplis, miraculis & doctrinis illuminati, veritatis testes effecti sunt, I E S U M, tuum & Dei filium veraciter existere diulgantes cunctis gentibus, quòd ipse erat, qui

Pro.



Prophetarum scripturas per seipsum adimpleuerat, quando pro humano genere durissimam mortem patienter sustinuerat.

Benedicta sis tu Domina mea virgo Maria, quæ filium tuum debere captiuari antea præsciuiisti; & cum postea ligatum & flagellatum spinis coronatum, cruciq; nudum clauis affixum, & multos eum contemnentes, & proditorem vocantes, tuis beatis oculis doloresè vidisti.

Honor sit tibi Domina mea virgo Maria, quæ filium tuum de cruce tibi loquentem cum dolore conspexisti, & in mortis agonia ad Patrem clamantem, & animam suam in eius manibus commendantem, tuis benedictis auribus dolenter audiuiisti.

Laus sit tibi Domina mea virgo Maria, quæ filium tuum in cruce pendentem, à vertice capitis, vsq; ad plantas pedum liuidum & proprio sanguine rubricatum, & sic crudeliter mortuum, cum amaro dolore vidisti; necnon & pedes ac manus ipsius vnà cum glorioso suo latere transforata, totamq; cutem eius sine aliqua misericordia laceratam amarissimè conspexisti.

Benedicta sis tu Domina mea virgo Maria, quæ filium tuum deponi, pannis inuolui, in monumento sepeliri, & ibi à militibus custodiri, tuis lachrymosis oculis vidisti.

Benedicta sis tu Domina mea virgo Maria, quæ intrinseco dolore tui cordis grauissimè lacescitis, à tui filij sepulchro separata fuisti, &

ab amicis eius ad domum Ioannis, tota plena dolore portata extitisti, & ibi statim leuamen tui magni doloris sensisti, quia filium tuum citò resurrecturum, certissimè præcisiisti.

Gaude dignissima Domina mea virgo Maria, quia in eodem puncto, quo filius tuus à morte resurrexit, tibi suæ beatissimæ matri, hoc innotescere voluit, quia ilicò tibi per te ipsum apparuit, deinde alijs personis se illum esse à morte resuscitatum ostendit, qui in corpore suo viuo mortem pertulit.

Gaude dignissima Domina mea virgo Maria, quæ morte deuicta, & mortis auctore supplantato, cœliq; introitu patefacto, filium tuum resurgentem, & corona victoriæ triumphantem vidisti, & quadragesima die post resurrectionem suam honorificè, vt Regem sociatum Angelis, ad suum Regnum cœlorum, videntibus multis, ascendere conspexisti.

Exulta dignissima Domina mea virgo Maria, quia videre meruisti, qualiter post ascensionem suam, Apostolis & discipulis suis Spiritum sanctum, quo te antea totam repleuerat, filius tuus repentè transmisit, & augendo in eis charitatis feruorem, & Catholicæ fidei rectitudinem, ipsorum corda mirabiliter illustrauit.

Lætare insuper Domina mea virgo Maria, & de tua lætitia totus mundus lætetur, quia post ascensionem suam ad amicorum suorum consolationem, & fidei reborationem, indigentium auxilium, & Apostolis sanum consi-  
lum

hū in hoc mūdo filij tuus multis annis, te permanere permisit. Et tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera vir tuosa, innumerabiles Iudæos & infideles paganos ad Catholicam fidem conuertit: & te confiteri virginem matrem, ipsumq; tuum filium & Deum, cum vera humanitate illuminando eos mirabiliter illustrauit.

Benedicta sis tu Domina mea virgo Maria: quæ ex ardenti charitate & materno amore, indefinenter omni hora, ad tam dilectum filium tuum iam in cælo sedentem venire desiderasti: & in hoc mundo tu degens, ad celestia suspirando, diuinæ voluntati te humiliter conformasti, propter quod tibi dictante iustitia diuina, æternam gloriam ineffabiliter augmentasti.

Sit tibi o Domina mea virgo Maria æternus honor & gloria, quia quando Deo placuit à seculi huius exilio te eripere & tuam animam in Regno suo æternaliter honorare, tunc per Angelum suum hoc tibi dignatus est nunciare, & venerabile corpus tuum iam mortuum, per suos Apostolos cum omni reuerentia in sepulchro voluit tumulari.

Gratulare o domina mea virgo Maria: quia in illa leuissima tua morte, anima tua à Dei potētia amplexata extitit, & ipse ab omni aduersitate eam paternaliter custodiendo protexit: & tunc ipse Deus Pater, omnia quæ creata sunt, tuæ potestati subiecit: & Dei filius te suam dignissimam matrem in sede su-

blimissima secum honorificè collocavit : sanctus quoq; Spiritus ad régnum suum gloriosum te sibi desponsatam virginem deferendo mirabiliter exaltauit.

Gaude æternaliter Domina mea virgo Maria ; quia post tuam mortem aliquot diebus corpus tuum in sepulchro iacuit tumulatum , donec per Dei potentiam denuò animæ tuæ cum honore exitit copulatum.

Exulta satis ð Mater Dei gloriosa Domina virgo Maria ; quia corpus tuum post tuam mortem simul cum anima viuificatum , assumi in cœlum cum honore Angelorum videre meruisti, tuumq; filium gloriosum cum humanitate Deum existere agnouisti , ac eum esse omnium iustissimum Iudicem , & bonorum operum remuneratorem, cum exultationis gaudio conspexisti.

Gaude etiam Domina mea virgo Maria , quia tui corporis caro sanctissima se virginem & matrem iam in cœlo nouit existere , nullocq; mortali vel veniali crimine se vidit maculatã aliquatenus esse ; imò omnia opera virtuosa tam charitatiuè se nouit fecisse quod Deum ex iustitia, oportuit te summò honore venerari. Intellexisti tunc etiam, quod quicumque Deum in hoc mundo ardentius amaret, ipse eum in cœlo, iuxta se vicinius collocaret. Et quia toti cœlesti curiæ erat manifestum ? quod nullus Angelorum nec hominum tanta charitate, quanta tu ipsum Deum, amauit. Idcirco dignum & iustum fuit, quod



in summa sede gloriæ, cum anima & corpore, te ipse Deus honorificè collocavit.

Benedicta sis tu ò Domina mea virgo Maria, quia omnis creatura fidelis pro te sanctã collaudat Trinitatem, eo quòd tu eius creatura es dignissima: quæ pro miseris animabus veniam impetres promptissima, & pro omnibus peccatoribus existis aduocata & procuratrix fidelissima. Laudetur igitur Deus summus Imperator & Dominus, qui te ad tantum honorem creavit, ut tu Imperatrix & Domina fieres perenniter in Regno cœlorum, cum ipso æternaliter regnatura in secula seculorum, Amen.

ORATIO SECUNDA

O Domina mea, vita mea, Regina cœli, mater Dei: quamvis ego certus sim, quòd tuum corpus gloriosum à tota cœlesti curia, cum canore Iubilo incessanter laudatur in cœlis: tamen ego licèt indigna persona sim toto corde meo desidero omnibus tuis membris pretiosis laudes & gratias, quas valeo, reddere in terris. Idcirco ò Domina mea virgo Maria laudetur coma tua cum capillis tuis diademate gloriæ decorata: quia solis iurare clariores sunt. Nam sicut crines capitis computari nequeunt, ita virtutes tuæ innumera-biles existunt.

O Domina mea virgo Maria, frons & facies tua honestissima super lunæ albedinem col-

laudentur, quia nullus fidelis in hoc tenebroso mundo te aspiciebat, qui non aliquam consolationem spirituales a tua visione sibi infundi sentiebat.

O Domina mea virgo Maria, benedicta sis tu; cuius supercilia cum palpebris, claritatis nitore radios solares excedebant.

O Domina mea virgo Maria, benedicti sint oculi tui pudicissimi; qui nihil concupiebant de rebus transitorijs, quas in hoc mundo videbant; quia quotiescunque oculos tuos leuabas, eorum aspectus stellarum exellebat nitorem coram tota coelesti curia.

O Domina mea virgo Maria, collaudentur maxillae tuae beatissimae super aurorae pulchritudinem, quae pulcherrimae cum colore rubeo & candido exoritur; sic & maxillae tuae speciosae, dum in hoc mundo fuisti coram Deo & Angelis claritatis nitore fulgebant, quia illas nunquam pro mundana pompa, vel vana gloria ostendisti.

O Domina mea virgo Maria, celebrentur & honorentur aures tuae honestissimae super omnes vires maris, & omnium aquarum motum, quia contra omnem fluxum immunditiae mundani auditus semper ipsae aures tuae viriliter militabant.

O virgo Maria Dominatrix mea, gloriatur nasus tuus suauissimus, qui ex virtute spiritus sancti nunquam anhelitum attraxit vel emisit, quin tota cogitatio tua semper esset apud altissimum. Et quamuis aliquando dormie-

bas,

bas, voluntatem tamen tuam ab eo nunquam mutabas. Sit igitur seu per odor suauitatis, laudis & honoris eidem naso tuo, cum naribus tuis beatissimis semper commixtionem odoriferam omnium aromatum, & omnium herbarum, quæ delectabilem fragrantiam de te solent emittere:

O Domina mea virgo Maria, laudetur lingua tua Deo & Angelis gratissima, super omnes arbores fructiferas: Nam omne verbum quod lingua tua protulit nulli personæ vquam nocuit, sed in alicuius commodum semper venit. Erat enim lingua tua prudentissima, omnibus dulcior ad audiendum, quàm aliquis dulcissimus fructus ad gustandum.

O Regina & Domina mea virgo Maria, laudetur os tuum benedictum cum labijs tuis super Rosarum & omnium florum amœnitatem, & specialiter pro illo benedicto tuo verbo humillimo, quod eodem ore tuo pretioso Angelo Dei respondisti; quando ipse Deus suam voluntatem quam per Prophetas prædixerat, per te in mundo voluit adimplere, cuius virtute potentiam Dæmonum in Inferno diminuisti, & Angelorum choros in cœlo honorificè restaurasti.

O virgo Maria Domina & consolatio mea, honoretur perpetuò collum tuum cum humeris tuis & tergo tuo, super omnium liliorum venustatem: quia nunquam dicta membra tua inclinaisti, nisi propter aliquid vtile, vel honoris Dei, nec etiam erexisti. Nam sicut lili-

lium

lium ad flatum ventorum motum facit & inclinationem; ita omnia membra tua mouebantur ad Spiritus sancti infusionem.

O Domina mea, virtus mea, & dulcedo mea, benedicantur brachia tua sanctissima cum manibus & digitis tuis, & æternaliter honorentur super omnes gemmas pretiosas; quæ tuis virtuosis operibus comparantur; quia sicut virtuosa opera tua filium Dei ad te alliciebant? sic & brachia, & manus tuæ ipsum materno amoris amplexu dulciter stringebant.

O Domina mea & illuminatio mea, benedicta sint vbera tua sacratissima super omnes dulcissimos fontes aquarum; quia sicut aqua ipsorum scaturiens præbet solamen & sitientibus refectionem; sic tua sacra vbera filium Dei lactando præbuerunt nobis indigentibus medicinam & consolationem.

O Domina mea virgo Maria, benedictum sit pectus tuum pretiosissimum super aurum purissimum, quia quando sub cruce filij tui tota dolorosa stetitisti, tunc gloriosum pectus tuum ex sonitu malleorum quasi in duro prælo acerrimè stringi sensisti, & quamuis filium tuum cordialiter diligebas, maluisti tamen illam poenam amarissimam sustinere; vt scilicet ipse, pro animabus redimendis moreretur, quam quod ipsis perditis mors illa ab eo euitaretur. Et sic tu in virtute constantiæ firmissima perstitisti, quando in omni aduersitate voluntati diuinæ te totaliter cōformasti.

O Domi-



O Domina mea, !ætitia cordis mei, virgo Maria, glorificetur & honoretur cor tuum reuerendissimū, quod ad Dei honorem ardentissimum erat super omnes creaturas cæli & terræ, ita vt flamma charitatis eius, in cœlorū celsitudinem ad Deum Patrem conscenderit, propter quod Dei filius à Patre cum Spiritus sancti feruore in vterum tuum gloriosum descendit. Qui tamen à Patre separatus non extitit, quamuis secundum Dei præordinationem in tuis virgineis visceribus humanatus honestissimè fuit.

O Domina mea fœcundissima virgo Maria, benedictus sit venter tuus beatissimus, super omnes agros fructiferè germinantes: quia sicut semen quod cecidit in terram bonam de se fructum adfert possessori centesimum; sic venter tuus virginalis & fœcundissimus, benedictum fructum Deo Patri attulit plus quàm millesimum. Et sicut ex fertili abundantia fructus agri Dominus gloriatur, ac etiam auiculæ & animalia delectanter pascuntur: sic ex benedicto fructu fertilis agelli ventris tui, summè Deus in cœlo honoratur, Angeli gratulantur, & homines in terra largituè sustentantur & viuunt.

O Domina mea virgo prudentissima, laudentur æternaliter pedes tui sacratissimi, super omnes radices incessanter fructum adferentes; sic itaq; sint pedes tui benedicti, qui Dei filium gloriosum, fructum dulcissimum in tuo corpore portabant inclusum, tuo cor-

pore

pore incorrupto existente, & virginitate tua illæsa semper permanente. O quam honestè incedebant pedes tui sacratissimi: verè de quolibet eorum vestigio Rex coelestis consolatus extitit, & tota curia coelica gauisa & iucundissima fuit.

O Domina mea virgo Maria mater omnium: Deus Pater simul cum Filio & Spiritu sancto, in sua incomprehensibili Maiestate æternaliter collaudetur, pro cella illa sanctissima totius corporis tui, in quo Dei filius suavissimè requieuit; quem totus Angelorum exercitus collaudat in coelis, totaꝫ Ecclesia veneranter adorat in terris.

O tu etiam Dñs meus, Rex meus & Deus meus; sit tibi perpetuus honor, perennis laus, benedictio & gloria, cum infinita gratiarum actione, qui illam dignissimam, honestissimamque virginem creasti, & eam tibi in matrem tuam elegisti, præ omnibus qui in coelo & in terra quomodolibet consolati fuerunt. Atque pro his qui in Purgatorio per eam adiutorium & solamen habuerunt. Qui vult & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, A.

ANTIPHONÆ DE BEATA  
Virgine Maria.

*A Dominica prima Aduentus vsque ad Purificationem inclusivè.*

**A**lma Redemptoris mater, quæ peruia cœli  
Porta manes, & stella maris: succurre ca-  
denti,

Surgere qui curat, populo; Tu quæ genuisti,  
Natura mirante, tuum sanctum genitorem.  
Virgo prius ac posterior, Gabrielis ab ore  
Sumens illud Aue, peccatorum miserere.

*In Aduentu Seruus.*

Angelus Domini nunciauit Mariæ,  
R. Et concepit de Spiritu sancto.

O R A T I O

**G**ratiam tuam, quæsumus Domine, men-  
tibus nostris infunde: vt qui Angelo nun-  
ciante Christi filij tui incarnationem cogno-  
uimus, per passionem eius, & crucem, ad re-  
surrectionis gloriam perducamur. Per eun-  
dem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Post Natiuitatem Vers.*

Post partum virgo inuiolata permansisti,  
R. Dei genitrix intercede pro nobis.

O R A T I O.

**D**eus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ vir-  
ginitate fœcunda, humano generi præmia  
præstitisti: tribue, quæsumus, vt ipsam pro  
nobis intercedere sentiamus, per quam me-  
ruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum  
nostrum Iesum Christum filium tuum, qui  
tecum viuit & regnat in vnitæte Spiritus  
sancti Deus, per omnia secula se-  
culorum, Amen.

*A Purificatione & ſque ad ſeriam quintam in  
Cæna Domini excluſiue.*

**A**Ve Regina cœlorum,  
Aue Domina Angelorum:  
Salve radix, ſalve porta,  
Ex qua mundo lux eſt orta.  
Gaude virgo glorioſa,  
Super omnes ſpecioſa:  
Vale ô valdè decora,  
Et pro nobis Chriſtum exora.

✱. Dignare me laudare te virgo ſacrata,  
R. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

## O R A T I O.

**C**oncede miſericors Deus fragilitati noſtrę  
præſidium: vt qui ſanctę Dei genitricis  
memoriam agimus, interceſſionis eius auxi-  
lio, à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per  
eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Am.

*Tempore Paſchali & ſque ad Octavam Pen-  
thecoſt: excluſiue.*

**R**egina cœli lætare, alleluia.  
Quia quem meruiſti portare, alleluia.  
Reſurrexit, ſicut dixit, alleluia.  
Ora pro nobis Deum, alleluia.  
✱. Gaude, & lætare virgo Maria, alleluia.  
R. Quia ſurrexit Dominus verè, alleluia.

## O R A T I O.

**D**eus, qui per reſurrectionem filij tui Do-  
mini noſtri Ieſu Chriſti familiam tuam  
lætifi-



lætificare dignatus es præsta, quæsumus, vt  
per eius genitricem virginem Mariam, perpe-  
tuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Chri-  
stum Dominum nostrum, Amen.

*Ab Octaua Pentecostes, usque ad Aduentum,  
exclusiue.*

**S**alue Regina, mater misericordiæ: Vita,  
dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clama-  
mus exules filij Eux. Ad te suspiramus ge-  
mentes, & flentes in hac lachrymarum valle.  
Eia ergo aduocata nostra, illos tuos miseri-  
cordes oculos ad nos conuerte: Et Iesum be-  
nedictum, fructum ventris tui, nobis post hoc  
exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis  
virgo Maria.

✠. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

✠. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

O R A T I O.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui glorio-  
sæ virginis matris Mariæ corpus & ani-  
mam, vt dignum filij tui, habitaculum effici  
mereretur, Spiritu sancto cooperante, præ-  
parasti: da, vt cuius commemoratione læta-  
mur, eius pia intercessione ab instantibus ma-  
lis, & à morte perpetua liberemur. Per eun-  
dem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Hymnus in laudem D. Virginis.*

**A**ve maris stella,  
Dei mater alma,  
Atque semper virgo,  
Felix cœli porta.

Sumens

Sumens illud Aue,

Gabrielis ore,

Funda nos in pace,

Mutans Euz nomen.

Solue vincla reis,

Profer lumen cæcis :

Mala nostra pelle,

Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,

Sumat per te preces,

Qui pro nobis natus

Tulit esse tuus.

Virgo singularis,

Inter omnes mitis,

Nos culpis solutos,

Mites fac, & castos.

vitam præsta puram,

Iter para tutum.

Vt videntes Iesum,

Semper collætetur.

Sit laus Deo Patri,

Summo Christo decus,

Spiritui sancto,

Tribus honor vnus, Amen.

¶ Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi

O R A T I O.

**D**efende, quæsumus Domine, B. Maria  
semper virgine intercedente, istam ab o-  
mni aduersitate familiam, & toto corde tibi  
prostratam, ab hostium propitius tuere cle-  
menter

menter infidijs. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Huc pertinet Appendix quæ infra est, fol: 531. ad finem.

*LITANIÆ DEIPARÆ VIRGINIS, ex sacra scriptura de prompta, qua in alma domo Lauretana, omnibus diebus Sabbathi, Vigiliarum, & Fæstorum eiusdem B. Virginis decantari solent.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.  
 Christe audi nos. Christe exaudi nos.  
 Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.  
 Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.  
 Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.  
 Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.  
 Sancta Maria, Ora pro nobis.  
 Sancta Dei genitrix, ora.  
 Sancta virgo virginum, ora.  
 GEN. 3. Mater viuentium, ora.  
 ECCL. 24 Mater pulchræ dilectionis, ora.  
 IBID. Mater sanctæ spei, ora.  
 GEN. 2. Paradisus voluptatis, ora.  
 IBID. Lignum vitæ, ora.  
 PROV. 9. Domus sapientiæ, ora.  
 GEN. 28. Porta cœli, ora.  
 GEN. 49. Desiderium collium æternorû, ora.  
 NV. 35. Ciuitas refugij, ora.  
 IVD. 15. Gloria Hierusalem, ora.  
 EXOD 15. Sanctuariûm Dei, ora.

EXOD.

EXOD. 25.	Tabernaculum foederis,	ora.
EXOD. 30.	Altare thymiamatis,	ora.
GEN. 27.	Scala Iacob,	ora.
SAP. 7.	Speculum sine macula,	ora.
CAN. 2.	Lilium inter spinas,	ora.
EXOD. 3.	Rubus ardens incombustus,	ora.
IVD. 6.	Vellus Gedeonis,	ora.
2. REG. 1.	Thronus Salomonis,	ora.
CAN. 7.	Turris eburnea,	ora.
CAN. 4.	Fauis distillans,	ora.
IBID.	Hortus conclusus,	ora.
IBID.	Fons signatus,	ora.
IBID.	Puteus aquarum uiuentium,	ora.
PROV. 31.	Nauiſ institoris de longè rans panem,	ora.
ECCL. 5.	Stella matutina,	ora.
ECCL. 6.	Aurora confurgens,	ora.
CAN. 6.	Pulchra vt luna,	ora.
IBID.	Electa vt sol,	ora.
IBID.	Caſtrorum acies ordinata,	ora.
IER. 14.	Solium gloriæ Dei,	ora.
A cunctis periculis, libera nos gloriosa Virgo.		
Per salutarem Conceptionem tuam, libera nos gloriosa Virgo.		
Per sanctam Natiuitatem tuam, libera nos gloriosa Virgo.		
Per admirabilem Annunciationem tuam, libera nos gloriosa Virgo.		
Per immaculatam Purificationem tuam, libera nos gloriosa virgo.		
Per gloriosam Assumptionem tuam, libera nos gloriosa Virgo,		



Peccatores te rogamus audi nos.

Vt veram poenitentiam nobis impetrare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt societates tibi peculiari obsequio deuotas conferuare, & augere digneris, Te rogamus audi nos.

Vt Ecclesiæ sanctæ, cunctoq; populo Christiano pacem & vnitatem impetrare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris, Te rogamus audi nos.

Mater Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, misere-re nobis.

✠. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

✠. Vt digni efficiamur promissionibus Christi

## O R A T I O.

Dietate tua, quæsumus Domine, nostrorum  
 2 solue vincula peccatorum, & intecedente B. Maria, cum omnibus sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores atq; loca nostra; in omni sanctitate custodi; omnesq; conlanguintate, affinitate, atque familiaritate nobis coniunctos, à vitijs purga, virtutibus illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles, & inuisibiles remoue, carnalia desideria

fideria repelle, ærem salubrem, & fertilitatem indulge, amicis & inimicis nostris charitatem largire; atq; urbem N. cum omnibus in ea habitantibus ab omni peste, infideliumq; feritate, & potentia illæsam conserua, & omnibus fidelibus uiuis & defunctis, in terra uiuentium vitam & requiem æternam concede; & Pontificem nostrum N. Antistitem N. omnes Prælatos, & cunctum populum Christianum, ab omni aduersitate custodi: & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

### ORATIONES SINGVLORVM

*Festorum Beatæ Virginis, qua secundum occurrentes dies possunt recitari, antè iam scriptam orationem.*

Pietate tua, &c.

*Festo Purificationis.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam supplices exoramus; vt sicut vnigenitus filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia, à purificata virgine matre tua, in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eundem Dominum, &c. *Vel reliqua conclusione eà potest subijci: Pietate tua, quæsumus, &c.*

*Festo Annunciationis.*

**D**EUS, qui de Beatæ Virginis Mariæ utero verbum tuum Angelo nunciante, carnem  
sulci-

luscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, vt qui verè eam Dei genitricem credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum, &c.

*Festo Visitationis, Natiuitatis, & Conceptionis.*

**F**Amulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire, vt quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium (Visitationis) (Natiuitatis) (Conceptionis) eius votiuæ solennitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum, &c.

*Festo Assumptionis.*

**F**Amulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce; vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis filij tui, Domini nostri, intercessione saluemur. Per eundem Dominum.

*Festo Præsentationis.*

**D**eus, qui B. Mariam semper virginem tabernaculum sancti Spiritus post triennium in templo, præsentari voluisti, præsta, quæsumus, vt qui præsentationis eius festa recolimus in terris, ipsius intercessione, ad templum, qui Christus est, in cælesti gloria præsentari mereamur. Qui tecum viuit & regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, Per, &c.

LITANIÆ B. MARIÆ

*Virginis communes.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, Christe audi nos. Christe exaudi nos

T

Pater

Pater de coelis Deus ,	Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus ,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus,	Miserere nobis.
Sancta Maria ,	Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,	Ora pro nobis.
Sancta virgo virginum,	ora.
Mater Christi ,	ora.
Mater diuinæ gratiæ ,	ora.
Mater purissima,	ora.
Mater castissima ,	ora.
Mater inuiolata ,	ora.
Mater intemerata ,	ora.
Mater amabilis ,	ora.
Mater admirabilis ,	ora.
Mater creatoris ,	ora.
Mater Saluatoris ,	ora.
Virgo prudentissima ,	ora.
Virgo veneranda ,	ora.
Virgo prædicanda,	ora.
Virgo potens ,	ora.
Virgo clemens ,	ora.
Virgo fidelis ,	ora.
Speculum iustitiæ ,	ora.
Sedes sapientiæ,	ora.
Causa nostræ lætitiæ,	ora.
Vas spirituale ,	ora.
Vas honorabile,	ora.
Vas insigne deuotionis ,	ora.
Rosa mystica ,	ora.
Turris Dauidica ,	ora.
Turris eburnea ,	ora.



Domus aurea ,	ora.
Fœderis arca ,	ora.
Ianua cœli ,	ora.
Stella matutina ,	ora.
Salus infirmorum ,	ora.
Refugium peccatorum ,	ora.
Contolatrix afflictorum ,	ora.
Auxilium Christianorum.	ora.
Regina Angelorum ,	ora.
Regina Patriarcharum ,	ora.
Regina Prophetarum ,	ora.
Regina Apostolorum ,	ora.
Regina Martyrum ,	ora.
Regina Confessorum ,	ora.
Regina virginum ,	ora.
Regina Sanctorum omnium ,	ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi , parce nobis Domine.	
Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , exaudi nos Domine.	
Agnus Dei , qui tollis peccata mundi , mise- rere nobis.	
ψ. Post partum virgo inuiolata permansisti ,	
℞. Dei genitrix intercede pro nobis.	

## O R A T I O.

**G**Ratiam tuam, quæsumus Domine, menti-  
bus nostris infunde : vt qui Angelo tuo  
nunciante Christi filij tui incarnationem co-  
gnouimus, per passionem eius, & crucem, ad  
resurrectionis gloriã perducamur. Per eun-  
dem Christum Dominum nostrum. Amen.

## ORATIO SODALITATIS

*B. Virginis.*

**S**ancta Maria, mater Dei & virgo, Ego N. te hodie in Dominam, Patronam & Aduocatam eligo, firmiterq; statuo & propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid vnquam dicturum aut facturum, neque permissurum, vt à meis subditis aliquid contra tuum honorem vnquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in seruum perpetuum, adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis, Amen.

## CAPVT IV.

EXERCITIA PIA, ET ORATIONES  
ad omnes cœlites ritè colendos.

*Puncta aliquot circa Generationem Sanctorum  
utilissimè expendenda.*

**C**onsiderabis Sanctos esse coheredes Christi, & cœli principes, iamque in æterna illa gloria collocatos: ab SS. Angelis ipsaque SS. Trinitate honorari, cuius beatissima visione perfruuntur, ex quo cognosces, quo honore & obseruantia à te coli debeant.

2. Considerabis Sanctos maxima tibi & innumerabilia beneficia à Deo impetrare posse, sicut multis adhuc alijs impetrarunt: Itaque concludes vehementer tibi expedire

eos habere amicos; in hora potissimum mortis, in qua circumdatus impuris spiritibus ad exitium tuum paritissimis felix eris, si aliquot tibi Sanctos à te diligenter cultos assistentes tibi habere possis, qui te iuuent, qui tartareas eas furias in fugam vertant, ac te æternæ beatitudini, in qua nunc triumphant, adscribenda à Deo impetrent

3. Procurabis tibi confusionem, conferens Sanctorum vitam cum tua; quantum nimirum hæc flagitiosa sit, & differat ab illorum pia conuersatione; ponderando ita ex vna parte virtutes eorum, & mores sanctos, ex altera multitudinem tuorum peccatorum.

4. Pones tibi ob oculos sanctorum labores & ærumnas, quas in hoc mundo pro Christo Domino assidue pertulerunt; ipsorum fidem, spem, caritatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, zelum, inuictam in certaminibus, & tormentis fortitudinem, insuperabilem in capeffenda morte alacritatem denique Apostolorum, Martyrumque inclytam firmitatem, ac in medijs difficultatibus perseverantiam: Confessorum verò, Monachorum, Religiosorum vigiliis, ieiunia, solitudines, vitæ asperitates, corporis mortificationes, studia, poenitentias, lachrymas, & cætera id genus pietatis Exercitia: Virginum denique, & sanctarum mulierum integerrimam castitatem, exhaustos pro ea seruanda labores, angustias, persecutiones, torturas, flammæ, mortes; quæ quidem omnia admirabilis

consecuta est beatitudo, & gloria nullis annorum myriadibus terminanda. Contra verò videbis, quàm breui felicitas impiorum (si modò felicitas, quæ illos rapit ad æternos cruciatus appellanda est) finiatur, pœna eam subsequente intollerabili, & in omnem duratura æternitatem.

5. Postremò, excirabis te ad amorem Dei, qui auctor fuit & principium omnis Sanctorum virtutis & sanctitatis, ac per consequens gloriæ cælestis, quæ eam sanctitatem excepit. Tantum itaq; tantorum bonorum fontem, & authorem, amabis & miraberis, gratiaq; illi, quantas poteris, ages, de omnieius gratia, & misericordia concessa sanctis, quam rogabis etiam tibi concedi, & donari, vt ad eorum societatem pertinere aliquando possis.

*Orationes aliquot communes, & particulares ad Sanctos.*

**S**ubiungimus peculiare, & generales preces, vel ad omnes sanctos, vel ad sanctorum ordines aliquos, vel ad priuatum aliquem, vt in promptu sint pijs, ad exhibendum patronis suis cultum, & augendam Sanctorum venerationem.

*Ad omnes Sanctos H Y M N V S.*

**C**Orona Sanctorum omnium,  
I E s v, rogantem respice,  
Salute pro clientium,  
Tuam parentem virginem.

Coeli



Cœli potentes principes,  
 Archangelique, & Angeli,  
 Dei que sacri interpretes,  
 Conferte vota supplices.

Et vos, piam qui Ecclesiam  
 Rubris decoram floribus  
 Plantastis almo sanguine,  
 Apostolique, & Martyres.

Vestra inuocamus Præsules,  
 Et qui relictis omnibus  
 Vitam parastis pauperem,  
 Et virgines suffragia.

Cuncti o beati cœlites,  
 Æterna quorum gaudia  
 Sunt iuncta, iunctis mentibus  
 Vocem precantem iungite, Amen.

*Antiph:* Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates Virtutes cœlorum, Cherubin atq; Seraphin, Patriarchæ, & Prophetæ, sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoretæ, Sanctiq; omnes intercedite pro nobis.

✠. *Lætamini in Domino, & exultate iusti:*

℟. *Et gloriamini omnes recti corde.*

## O R A T I O.

**C**oncede, quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio nos sanctæ Dei genitricis Mariæ, Sanctorumque omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atq; Virginum, & omnium electorum tuorum vbique lætificet,

vt dum eorum merita recolimus, patrociniā  
sentiamus. Per Dominum nostrum, Amen.

*Ad sanctos Angelos H Y M N V S-*

**A**Vete mentes lucidæ,  
Nostræ salutis vindices,  
Cœlestis orę nuntij,  
Regis superni milites.

Intra Tōnantis regiam  
Choros agentes psallitis  
Lyris, molaunis, organis,  
Tribunal ante Iudicis.

Vos in Dracones Tartari,  
Bellum cietis perpetim,  
Et nos ab orci faucibus,  
Manu potenti tollitis.

Adeste cœtus inclyti,  
Adeste tot periculis,  
Et nos volatu præpeti,  
Inferte cœli sedibus.

Summo parenti cœlitum,  
Magnæque proli virginis,  
Sancto simul paraclito  
Sit summa laus, & glória. Amen.

*LITANIÆ DE ANGELIS*

*Sanctis.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-  
son. Christe audi nos. Christe exaudi nos.  
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.  
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.  
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.  
 Sancta Maria,  
 Sancta Dei genitrix,  
 Sancta virgo virginum,  
 Sancta Maria Angelorum Regina,  
 Sancte Michael princeps Angelorū pacis,  
 S. Michaël præliator fortissime,  
 Sancte Michaël, qui populo Dei semper  
 defensor fuisti,  
 S. Michael, qui Luciferum cum complici-  
 bus rebellibus de cœlo exturbasti,  
 S. Michael animarum susceptor,  
 Sancte Gabriel, qui Danieli diuinam visi-  
 onem patefecisti,  
 Sancte Gabriel, qui Ioannis Baptistæ or-  
 tum & ministerium prænucciasti,  
 Sancte Gabriel, qui incarnationis verbi  
 diuini nuncius extitisti,  
 S. Gabriel, custos B. Virg: Mariæ,  
 S. Gabriel, comes infantie Saluatoris, &  
 minister Christi fidelis,  
 S. Raphael Angele salutis,  
 S. Raphael, Tobie ductor, & reductor  
 fidelissime,  
 Sancte Raphael, qui Dæmonem à Sara  
 depulisti,  
 Sancte Raphael, Tobie senioris illumi-  
 nator optime,  
 S. Raphael oblator orationum ante Do-  
 minum,  
 Sancti Angeli, electos Dei conseruantes,  
 Vos dignissimi, munera cœlestia dese-

Ora pro nobis.

rentes,  
 Vos præclarissimi, regna terræ custo-  
 dientes,  
 Nobilissimi, Principatus protegentes.  
 Prudentissimi, Dominos, & Reges pecu-  
 liari cura regentes,  
 Fortissimi dæmonis potentiam compri-  
 mentes,  
 Fidelissimi Dei ministri, homines custo-  
 dientes,  
 Dulcissimi, hominum malitias tempe-  
 rantes,  
 Benignissimi, in peccatorum conuersio-  
 ne lætantes.  
 Pijssimi, bona omnium mortalium Deo  
 præsentantes,  
 Humanissimi, Prophetas erudientes,  
 Nuncij præstantissimi, Apostolis occur-  
 rentes,  
 Potentissimi, Ecclesiam Dei defendentes,  
 Sancti omnes Angeli ante thronum Dei ser-  
 uientes,

Purgate nos.

Per nobilissima naturæ vestræ munera, Illu-  
 minate nos.  
 Per virtutem vestram nobis ineffabilem, Per-  
 ficite nos.  
 Per voluntatum vestrarum ardentissimam ca-  
 ritatem.  
 Per gloriam, & beatitudinem vestram, Di-  
 rigite nos.  
 Christe, beatitudo Angelorum, Te roga-  
 mus audi nos.

Orate pro nobis.

Chri-



Christe decus cælestium spirituum, Te rog.  
Christe splendor exercituum supernorum,  
Te rogamus audi nos.

Per Cherubin lignum vitæ custodientes, Te  
rogamus audi nos.

Per Angelum benedictionem tuam Abra-  
hæ denunciātem,

Per Angelum immolationem Isaac pro-  
hibentem.

Per Angelos ortum Isaac prædicentes,

Per Angelos ascendentes, & descenden-  
tes super scalam Iacob.

Per Angelos Loth è medio peccatorum  
educētes,

Per Angelos diuinam legem Moyse tra-  
dentes,

Per SS. Angelos iugiter Sanctus, Sanctus,  
Sanctus, Deo concinētes,

Per Angelos de natiuitate tua exultantes  
eamque pastoribus annunciantes,

Per Angelos tibi in deserto ministrantes,

Per Angelum te in agonia confortantem,

Per Angelos iuxta sepulchrum tuum in  
albis sedentes,

Per Angelos, te in cælum ascendente, tu-  
is discipulis apparentes,

Per Angelos hostium exercitus frequen-  
ter dissipantes,

Per Angelos SS. Martyres in tormentis  
consolantes,

Per omnes Angelos tuos, vt nobis parcas, ad  
eorumque societatem perducas, Te rog.

Te rogamus audi nos.

Vt Angelis tuis mandes de nobis, vt custodi-  
ant nos in omnibus vijs nostris. Te roga.

Fili Dei, per omnes Angelos ministros tuos,  
Te rogamus audi nos

Agnus Dei, &c. Kyrie eleison, &c.

℣. Et ne nos inducas, &c.

℞. Sed libera, &c.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi  
Deus meus-

℞. Adorabo ad templum sanctum tuum, &  
confitebor nomini tuo Domine.

℣. Domine exaudi, &c.

℞. Et clamor meus, &c.

O R A T I O.

**D**Eus, qui miro ordine Angelorum mini-  
steria, hominumque dispensas, concede  
propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cœ-  
lo semper assistitur, ab his in terra vita nostra  
muniatur. Per Christum Dñm nostrum. Am̄.

*Antiph:* Angelis suis Deus mandauit de te,  
vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In ma-  
nibus portabunt te, ne fortè offendas ad la-  
pidem pedem tuum.

℣. Angeli eorum semper vident: alleluia.

℣. Faciem Patris mei, qui in cœlis est, alle.

*Oremus.*

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui me li-  
cèt indignum, ad imaginem tuam creasti,  
& Angelum tuum sanctum ad mei custodiam  
deputasti: da mihi seruo tuo illius ductu &  
custodia, malorum omnium tam animæ, quã

corpo-

corporis pericula feliciter pertransire, & post  
huius vitæ curriculum, ad gaudia sempiter-  
na facias peruenire. Per Dominum, &c.

*Ad SS. Apostolos H Y M N V S.*

**A**Vete cœli principes,  
Aucte mundi lumina,  
Christi sequela nobilis  
Mundi tremantis arbitri.

Omnes in oras gentium  
Cœli tulistis dogmata,  
Pulsis malis erroribus  
Vitæ dedistis semina.

Vos effugastis dæmonum,  
Vos spectra, tot ludibria,  
Vos infernorum luridis  
Nos eruistis faucibus.

Iuuate nunc o cœlites,  
Quos procreastis filios:  
Vestris manum nepotibus,  
Ne corruant obtendite.

Summo Parenti cœlitum,  
Magnæque proli Virginis,  
Sancto simul Paraclito,  
Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph.* Isti sunt triumphatores, & amici  
Dei, qui contemnentes iussa principum, me-  
ruerunt præmia æterna, modo coronantur, &  
accipiunt palmam.

ψ. In omnem terram exiuit sonus eorum.

℞. Et in fines orbis terræ verba eorum.

*Oremus.*

**D**Eus, qui nos per beatos Apostolos tuos ad agnitionem nominis tui venire tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum, &c.

*Ad peculiarem aliquem Apostolum Oratio.*

**S**ANCTI Apostoli tui N. quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad SS. Martyres Hymnus.*

**A**Ve, cohors fortissima,  
**T**estes æque strenui.  
 Quos mortis horror imminens,  
 Non flexit à sententia.  
**V**os periculistis fortiter  
 Acerbiora funera,  
 Quam parricidis debita,  
 Parata vel latronibus.  
**N**on palluistis forcipes,  
 Ferrum, faces, nouacula,  
 Tormenta mille lugubri  
 Quæ prodiere Tartaro.  
**N**unc bella post acerrima,  
 Coelo triumphum ducitis,  
 Lætiq̄ue tot victorijs  
 Palma decori viuitis.  
**N**e nos cadentes, viribus  
 Nec debiles relinquitte,

Ne



Ne fortè nos vis impia  
 Sternat nigranti turbine.  
 Summo Parenti Cœlitum,  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul Paraclito  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph:* Multæ tribulationes iustorum, &  
 de omnibus his liberavit eos Dominus: cu-  
 stodit omnia ossa eorum, vnum ex his non  
 conteretur.

ÿ. Preciosa in conspectu Domini,  
 R. Mors sanctorum eius.

*Oremus.*

**P**Ræsta, quæsumus omnipotens Deus, vt  
 qui gloriosos Martyres fortes in sua con-  
 fessione cognouimus, pios apud te in nostrâ  
 intercessione sentiamus. Per Dominum no-  
 strum Iesum Christum, &c.

**I**Nfirmitatem nostram respice omnipotens  
 Deus, & quia pondus propriæ actionis gra-  
 uat, beati N. Martyris tui, atque Pontificis  
 intercessio gloriosa nos protegat. Per Do-  
 minum nostrum, &c.

*Ad quemcunque Martyrem.*

**P**Ræsta, quæsumus omnipotens Deus, vt  
 intercedente beato N. Martyre tuo, & à  
 cunctis aduersitatibus liberemur in corpore,  
 & à prauis cogitationibus mundemur in men-  
 te. Per Dominum Iesum, &c.

*Ad SS. Episcopos H Y M N V S.*

Aue.

**A**Vete sacri Præules,  
 Antistites iustissimi,  
 Iter salutis inuium  
 Qui reddidistis peruium.  
 Virtutis almæ semitam,  
 Qui tradidistis gentibus,  
 Qui veritatis candidæ  
 Pugnastis ob sententiam.  
 Tot impiorum dogmata,  
 Tot inquinatas hærefes,  
 Sermone, signis, moribus,  
 Nostro fugastis clymate.  
 Tristimigrastis seculo,  
 Estis tamen superstites,  
 Vestris notata literis,  
 Imago viuit nobilis.  
 Quis posse det vestigijs  
 Hære nobis talibus,  
 Præcepta quis salubria  
 His figat in præcordijs.  
 Summo Parenti cœlitum,  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul paraclito,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph:* Sacerdotes tui, Domine, induant iustitiam, & sancti tui exultent: propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.

*ŷ.* Elegit eos Dominus Sacerdotes sibi,  
*R.* Ad Sacrificandum ei hostiam laudis.

*Oremus.*  
**E**xaudi, quæsumus Domine, preces nostras,  
 & per-

& per beatos Confessores tuos atque Pontifices, qui tibi dignè meruerunt famulari, ab omnibus nos absolue peccatis. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad quemcunque Pontificem & Confessorem.*

**D**EUS, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, vt intercessione beati N. Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum, &c,

*Ad S. Doctorem quemcunque.*

*Antiph* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate N. Diuinę legis amator, deprecare pro me Filium Dei,

*Oremus.*

**D**EVS, qui Ecclesiam tuam beati N. Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas: da nobis, quæsumus, & quæ docuit intellectu conspiceri, & quæ egit, imitatione complere. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad SS. Religiosos, ac Eremitas.*

**A**Vete solitudinis,  
 Claustrique mites incolæ,  
 Qui pertulistis impios  
 Cœtus furentis Tartari.  
 Gemmas, & auri pondera,  
 Et dignitatum culmina.  
 Calcastis, & fœdissima  
 Quæ mundus offert gaudia.

vobis

Vobis olus cibaria

Fuere, vel legumina,  
Potumque lymphæ præbuit,  
Humulque dura lectulum.

Vixistis inter alpides,  
Sæuisque cum draconibus,  
Portenta nec teterrima  
Vos terrere dæmonum.

Rebus procul mortalibus  
Mens auolabat feruida.  
Diuumque cuncta cœtui,  
Hærebat inter sidera.

Summo Parenti cœlitum,  
Magnæque proli Virginis,  
Sancto simul paraclito,  
Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph.* Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

*Oremus.*

**A**desto Domine supplicationibus nostris, quas in beatorum Confessorum tuorum memoria deferimus, ut qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt precibus adiuuemur. Per Dominum nostrum, &c

*Ad quemcunque Abbatem.*

**I**ntercessio nos, quesumus Domine, beati N. Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur.

*Ad quem-*



*Ad quemcunque Confessorem non Abbatem,*

**C**ONcede, quæsumus, omnipotens Deus, vt  
qui peccatorum nostrorum pondere pre-  
mimur, beati N. Confessoris tui patrocínio  
subleuemur

*Ad SS. Virgines & Viduas, H Y M N V S.*

**A**Vete sanctæ virgines,  
Pares beatis mentibus,  
Quæ puritate sydera,  
Solisque flammâs vincitis.  
Vos nil superbus terruit,  
Vultu Tyrannus horrido,  
Nec perculere barbaro  
Traiecta ferro viscera.  
Non blanda mundi gaudio,  
Flexere vos, ô virgines,  
Sed depulistis fortiter  
Carnis ferocis impetum,  
Agnum proinde proximè  
Quocunque pergît cingitis;  
Per vos cohors cœlestium  
Novo resultat cantico.  
Mentis perustæ maculas  
Lauate rore mystico,  
Vt corde puro lampades  
Christo feramus obuiam.  
Auete sanctæ viduæ,  
Assuetæ pijs fletibus,  
Quas Christi mater optima  
Veris solatur gaudiis.

Vos

Vos semper fide stabiles  
 Mansistis, instar Turturis  
 Pudici, nouos thalamos  
 Abhorruistis iugiter.

Summo Parenti coelitum,  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul paraclito,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph:* Prudentes virgines aptate vestras lâ-  
 pades: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.  
 y. Adducentur Regi virgines post eam.  
 B. Proximæ eius afferentur tibi.

*Oremus.*

**D**A nobis, quæsumus, Domine Deus noster,  
 Sanctarum virginum palmas incessabili  
 deuotione venerari, vt quas dignamente non  
 possumus celebrare, humilibus saltem fre-  
 quentemus obsequiis, Per Dominum, &c.

*Pro Sna Virgine & Martyre.*

**I**ndulgentiam nobis, quæsumus, Domine  
 beata N. virgo & Martyr impleret, quæ tibi  
 grata semper extitit, & merito castitatis, &  
 tuæ professione virtutis. Per Dominum, &c.

*Pro Sna Virgine tantum.*

**A**uxilium tuum nobis, Domine, quæsumus,  
 placatus impende, & intercedente beata  
 M. virgine tua, dexteram super nos tuæ pro-  
 pitiationis extende. Per Dominum, &c.

*Pro Sna.*

**E**xaudi nos, Deus salutaris noster, vt sicut  
 de beatæ N. sanctitate gaudemus, ita piæ  
 deuotionis erudiamur affectu. Per Dñm, &c.

*Obfer-*

Obserua pie lector, posse te singulis diebus unum deligere Sanctorum ordinem, ad quem conuertas animum, & hos hymnos, & orationes. Exempli gratia: Die Dominico memor eris Sanctissima Trinitatis, de qua cap: 1. egimus. Feria 2. Angelorum. 3. Apostolorum. 4. Martyrum. 5. Confessorum. 6. Virginum, de quibus hoc capite. Sabbatho, Beata Virginis M. de qua proximo superiore capite.

Potes etiam die Dominico exercitium de Sanctissima Trinitate adhibere. Fer. 2. de Deo Patre. 3. de Filio. 4. de Spiritu sancto. 5. de venerabili Sacramento. 6. de Passione Domini. Sabbatho, de B. V. sic nullus dies abibit, quin aliquod ex praescriptis exercitijs & surpes.

Oratio ad omnes Sanctos ex D. August. Meditat. Cap. 24. paucis initio additis ad Angelos San.

Sancti Angeli, Sancti Archangeli, Sancti Principatus, sancte Potestates, sancte Virtutes, sancte Dominationes, sancti Throni, sancti Cherubin, sancti Seraphin, Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, & tu Sancte Angele custos, cui me communis conditor tradidit custodiendum, omnes denique administratorij Spiritus, cunctiq; beatorum Spirituum Ordines, intercedite, atque orate pro me misero, & indigno seruo vestro, simulque pro omni Ecclesia sancta Dei: vt digni efficiamur promissionibus Christi, & per vestras orationes, vestro beato confortio coniungamur, in secula seculorum.

Fœlices sancti Dei omnes, qui iam per-  
 transistis huius mortalitatis pelagus, & perue-  
 nire meruistis ad portum perpetuæ quietis,  
 securitatis & pacis: securi & tranquilli, sem-  
 perque festiui, atque gaudentes: obsecro vos  
 per vestram charitatem, qui securi estis de vo-  
 bis, solliciti estote de nobis. Securi estis de ve-  
 stra immarcescibili gloria, solliciti estote de  
 nostra multiplici miseria. Per ipsum vos ro-  
 go, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius  
 pulchritudine iam satiamini, de cuius immor-  
 talitate iam immortales facti estis, de cuius  
 beatissima visione semper gaudetis: estote iu-  
 giter memores nostri. Subuenite nobis mise-  
 ris, qui adhuc in salo huius vitæ circumstan-  
 tibus agitamur procellis. Vos portæ pulcher-  
 rimæ, qui in magnam surrexistis altitudinem,  
 adiuuate nos vile pauimentum, longè inferi-  
 us iacentes. Date manum, & erigite iacentes  
 super pedes: vt conualescentes de infirmita-  
 te, fortes efficiamur in bello. Intercedite, o-  
 rate constant, atque indefinenter pro nobis  
 miseris, multumque negligentibus peccato-  
 ribus, vt per vestras orationes, vestro sancto  
 consortio coniungamur: quia aliter sancti ef-  
 ficari non possumus. Sumus namque valdè fra-  
 giles, & nullius virtutis homunciones, ani-  
 malia ventris, & carnis mancipia, in quibus  
 vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et ta-  
 men sub Christi confessione positi, ligno cru-  
 cis ferimur, nauigantes per hoc mare ma-  
 gnum, & spatiosum: vbi sunt reptilia quorum

non



non est numerus : vbi sunt animalia pusilla cum magnis : vbi est Draco sæuissimus, semper paratus ad deuorandum; vbi sunt loca periculosa, Scylla & charybdis, & alia innumera, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijsimi, orate omnia agmina sanctorum, & vniuersi coetus beatorum, vt vestris precibus, meritisque adiuti, salua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetue salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Amen.

*✠ Litanijs denique communes Sanctorum omnium, vide supra lib: 4. in fine capite 9. & cum 7. Psalmis Pœnitentialibus.*

## CAPVT V.

Precationes variæ, & exercitationes, ad omne genus, vel malorum auertendum vel bonorum impetrandum, itemque & pro nobis, & pro alijs.

*Orationes pro remissione peccatorum, vide lib: 6. c. 4. in fine, & cap: 8. Ibidem 7. Psal: Pœnit: cum Litanijs.*

*Contra omnem peccati Tentationem.*

O R A T I O.

**D**omine Deus, humani generis creator & confer-

conseruator vnice, ecce instat iterum funestus ille Draco, Serpens antiquus, cuius continuum studium est, & vnicum desiderium vt animas à te creatas deuoret. Et ideo Deus meus, ad te clamo, libera me ab aduersario isto meo quotidiano: qui seu dormiam, seu vigilem, seu comedam, seu bibam, aut aliud quid agam, instat modis omnibus, palam & occulte, vt animam meam interimat.

Tu ô Leo inuictissime, adde militi tuo robur aduersus Leonem istum rugientem, qui semper oberrat, quærens quem deuoret. Adde paruulo astutiam aduersus callidissimi serpentis insidias. Da ouiculæ tuæ vires Spiritus tui, vt in se fragilis, in te fortis superet omnes diaboli assaultus, ne de me gloriatur hostis meus: sed per te victor, gratias agam tuæ misericordiæ, quæ tibi fidentes, nunquam destituit. Crucem vexillum tuum, crucem trophæum tuum in hac pugna præferimus, atque ostendimus, vt hostis sciat ductu & auspiciis tuis rem geri. Per signum S. crucis ✝ ab inimicis nostris libera nos Domine Deus noster, Amen.

*Pro omni gratia & Virtute impetranda, Oratio  
S. Thomæ Aquinatis, quam is quotidie  
flexis genibus recitasse  
dicitur.*

**C**ONcede mihi, quæso, omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt diligenter & ardenter concupiscere, prudenter  
inue-

inuestigare, veraciter agnoscere, & perfecte adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum; & quod à me requiris, vt faciam, tribue vt sciam, possim, & velim; & da exequi vt oportet, & expedit salutis animæ meæ. Via mihi, quæso, ad te sit tuta, recta, & consummata non deficiens inter prospera & aduersa, vt in illis non extollar, & in istis non deprimar, vt in prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiã

De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te. Nihil placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi: omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre cum deuotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te; & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus meus plus quam omnia. Tædeat me gaudij quod est sine te; nec cupiam aliquid quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est pro te; & tædiola sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectiõnem meam, cum emendationis proposito, dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine

leui-

leuitate, veracem sine duplicitate, te timen-  
tem sine desperatione, in te sperantem sine  
præsumptione, castum sine corruptione, pro-  
ximum corripere sine indignatione, diligere  
sine simulatione, ipsumq; ædificare verbo &  
exemplo sine elatione, obedientem sine con-  
tradictione, patientem sine murmuratione.  
Da mihi dulcissime Iesu cor peruigil, quod  
nulla abs te abducat curiosa cogitatio: da im-  
mobile, quod nulla deorsum trahat indigna  
affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tri-  
bulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicer  
violenta delectatio: & da rectum, quod nul-  
la seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, in-  
tellectum te cognoscentem, diligentiam te  
quærentem, sapientiam te inuenientem, con-  
uersationem tibi placentem, perseuerantiam  
te dulciter & fiducialiter expectantem, fidu-  
ciam te feliciter amplectentem; tuis pœnis  
configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via  
vti per gratiam, & gaudiis tuis in patria frui  
per gloriam. Amen.

Alia Oratio pro omni virtute impetranda  
ad B. Virginem, Obsecro te Domina S. Ma-  
ria, &c. vide supra lib; 6. c. 3.

Orationes pro singulis Virtutibus im-  
petrandis accommodatæ.



1. *Ad impetrandam Sapientiam.*

**F**Ragilitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, & saporem nobis æternæ Sapientiæ benignus infunde, vt eius dulcedine melliflua prægustata, omnia terrena valeamus despiciere, & tibi summo bono, ardenti desiderio iugiter adhærere, Per Dominum nostrum: &c.

2. *Ad S. Dei timorem.*

**D**A nobis, quæsumus Domine, sapientiæ tuæ initium, veræ iustitiæ fundamentum, virtutum omnium custodiam, & propugnaculum, sanctum timorem tuum, vt & debilitati nostræ timentes, & iudicia tua pertimescentes, quicquid nos à te, tuaque gratia diuellere potest fugiamus, vitamque nostram summa sollicitudine, & circumspectione componamus. Per Dominum, &c.

3. *Ad humilitatem.*

**D**Eus, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexit; illumque veræ humilitatis magistrum nobis esse voluisti; insere, quæsumus, cordibus nostris tantæ virtutis amorem, vt omnem vanam nostri complacentiam, omnem mentis timorem, omnem propriæ gloriæ appetitum, & quicquid interius, exteriusue superbiam & vanitatem sapit despicientes, tua gratia verè humiles facti, in

æterna gloria exaltari mereamur. Per eundem Dominum. Amen.

4. *Ad Obedientiam.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, cui cœli, terra, mare, & omnes creaturæ obediunt, quiq̄ue humano generi ad imitandum Obedientiæ exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere, ac tibi usq̄ ad mortem Crucis obedire voluisti: concede, quæsumus, nobis supplicantibus simplicem ac perfectam erga te, & superiores nostros, ministros tuos obedientiam; ut omni loco, & tempore, tam in arduis, asperisq̄ rebus, quàm facilibus, & iucundis, illorum dictis acquiescamus; velleq̄ ac nolle nostrum cum omni resignatione submittamus, ac tandem ad promissa obedientibus præmia feliciter pertingamus. Per eundem Dominum, &c.

5. *Ad patientiam.*

**D**Eus, qui vnigeniti tui patientia antiqui hostis contriuiisti superbiam; da nobis, quæsumus, quæ idem pie pro nobis pertulit dignè recolere; sicq̄ue exemplo eius nobis aduersantia æquanimitèr tolerare. Per eundem Dominum, &c.

6. *Ad Sobrietatem.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem, & corporibus me-

deris

deris & mentibus : maiestatem tuam supplices exoramus , vt omnia voluptuaria , & superflua refecantes , deuotio nos sancta lætificet ; quatenus terrenis affectibus mitigatis , facilius cœlestia capiamus. Per Dominum nostrum , &c.

7. *Ad Castitatem.*

**D**EUS innocentiae restitutor , & amator , qui mundis corde , puritateque nitentibus animis tui visionem repromittis , qui que filij tui , & sacratissimæ matris eius exemplo cœlestem castitatis docuisti virtutem : da nobis , quæsumus ; mundum , purum , ac perfectè amantem castitatis spiritum , vt refloreat caro nostra vigore pudicitiae , & sanctimoniae nouitate ; quo de manu erepta tartari menti que obsecundans suæ , resurrectionis cum ea gaudium in Angelorum , sanctorumque omnium societate consequatur. Per eundem Dominum nostrum , &c.

8. *Ad Mansuetudinem.*

**D**EUS , qui sedes ducum superbiorum destruis , & sedere facis mites pro eis : da nobis illam mansuetudinem , quam nobis mitis ille Agnus , filius tuus vnigenitus , & verbis ostendit , & factis ; vt nulla in corde nostro amaritudo , nulla in verbis impatientia , nulla in operibus vindicta resideat ; sed instar agni mansueti , inter iniurias , & huius vitæ incurfus pa-

cificè & quietè æternum tibi seruire valeamus. Per eundem Dominum, &c.

9. *Ad Charitatem.*

**D**EUS, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris inuiolabilem tuæ charitatis affectum, vt te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum, &c.

10. *Ad Modestiam.*

**D**EUS, & creator noster, qui omnia in numero, pondere, & mensura creasti: tempera ab inuisibilibus cogitationibus nostrum, affectus animæ moderare, refræna linguam, appetitiones cohibe, internum externumque hominem compone; Angelis & hominibus nostra nota modestia, te Deum Patrem, & quem misisti Iesum Christum, ac Paracletum Spiritum glorificet, cui gloria & honor in secula, Amen.

11. *Ad Perseuerantiam.*

**D**EUS, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum: Maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt nos famulos tuos de tua misericordia confidentes, cœlesti semper protegas auxilio, & assidua protectione conserues: vt tibi iugiter famulentur, nullisq;

tenta-



tentationibus à te separentur, sed constanti virtutum exercitio, ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro felici successu studiorum.* Vide suprâ, lib: 2. cap: 4. in fine.

*Alias orationes pro singulis Virtutibus impetrandis.* Vide infrâ l. 7. c. 3.

Putâ, *Pro Vera humilitate obinenda.*

Die Dominico.

*Pro Virtute mansuetudinis,* Feria 2.

*Pro dono Patientia,* Feria 3.

*Pro dono Obedientia,* Feria 4.

*Pro Virtute benignitatis,* Feria 5.

*Pro gratia charitatis,* Feria 6.

*Pro Virtute Liberalitatis, & Compassionis.*

Sabbatho:

Sequuntur orationes variæ pro omni statu, ac necessitate orbis Christiani.

NOTA, sequentes orationes ab omnibus quidem vsurpari posse, ac debere occasione data; ijs tamen potissimum huc collectas, qui passim iam in pijs Sodalitatibus singulis mensibus certum sibi aliquem sanctorum fortiuntur, quem mense isto peculiariter colant. Simul enim ferè idem, etiam aliquam communionem necessitatum sibi fortiri solent, pro qua particulariter illò tempore orent.

Porro, vt commodius vtare ijsdem orationibus, vtile erit ( id quod etiam de proximis superioribus dicendum venit, pro singulis virtutibus impetrandis ) ijs præmittere vel sequentiam de S. Spiritu : Veni sancte Spiritus & emitte cœlitus, &c. quam supra inuenies hoc ipso li : 6. cap : 3. vel hymnum de S. Spiritu : Veni creator Spiritus, &c. Ibidem vel Antiphonam.

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Ps. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

Rx. Et renouabis faciem terræ.

Deinde dic : *Oremus pro Ecclesia Catholica.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus reuelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, vt Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseueret. Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Pro eadem contra infideles omnes, & hæreticos, defendenda.*

**P**lentissime Deus, qui iniquitatum ad te conuersorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis : respice templa tua infidelium manibus profanata, & tui dilecti gregis afflictionem ; reminiscere hæreditatis tuæ effusione pretiosissimi sanguinis vni geniti filij tui acquisitæ. Vineam tuam plan-

taram

tatam dextera, quam ferus aper exterminare conatur, feruenter visita, ac illius cultores aduersus deuantium rabiem, tua virtute corrobora, victores effice, in eaque benè operantes tui fac regni possessores. Per eundem Dominum, &c.

*Pro Summo Pontifice.*

**D**Eus omnium fidelium Pastor, & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesie tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo, & exemplo quibus præest proficere, vt ad vitam vnâ cum grege sibi concredito perueniat sempiternam. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro omni gradu Ecclesie.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesie sanctificatur, & regitur; exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes; vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Pro Episcopo, & quouis Antistite.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum N. Antistitem nostrum, & super plebem illi commissam, Spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi placear, perpe-

tuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum, &c.

*Pro Imperatore.*

**D**EUS regnorum omnium, & Christiani maximè protector imperij, da seruo tuo Imperatori nostro N. triumphum virtutis tuæ scienter excolere; vt qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per Dominum, &c.

*Pro Rege.*

**Q**UÆSUMUS omnipotens Deus, vt famulus tuus N. Rex noster, quia tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiofus valeat peruenire. Per Dominum, &c.

*Pro Magistratu Ecclesiastico.*

**O**MNIPOTENS æterne Deus, qui nobis in Ecclesiæ tuæ ædificationem animarum Præsides, & curatores præfecisti, concede ijs, quæsumus, cum vniuerso ordine ac statu Ecclesiastico efficacem tuam gratiam, vt Religionē Christianam ab erroribus expurgent, officium suum tum verbis, tum exemplis rectè perficiant, abusus tollant, sectas, & conuenticula disturbent; veritatem Catholicam, animarumq; salutem sedulo promoueant, vt sub ijs pacificè, vnanimiter, & piè, instar electarum ouium ab hæresibus & erroribus liberi viuamus.



mus. Per Dominum nostrum Iesum C &c.

*Pro Magistratu Politico, seu Ciuili.*

**O**Mnipotens æternæ Deus, qui ciuilem Magistratum instituisti, eiꝰ gladium ad malorum supplicium, honorumꝰ defensionem commisitisti; te supplices oramus, vt Magistratus, rector eiꝰ omnes nostros in vias tuas dirigere digneris, vt in pacata gubernatione perseuerent, Ecclesiæ tuæ bonum promoueant, bella, ac seditiones auertant, omniaꝰ ad communem tranquillitatem, iustitiam, & honestatem conducentia perquirant. Per D. &c.

*Pro quouis Pralato, Superiore, Vel Pastore.*

**D**Eus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias Prepositos instituisti, tibi supplices preces effundimus, vt hunc famulum tuum N. protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque subditos sibi regere concedas, vt cum illis cœlorum regna adipisci mereatur. Quod ipse præstare digneris, qui cum Patre, & Spiritu sancto uiuis & regnas Deus, per omnia, &c.

*Contra persecutores & malè agentes.*

**H**ostium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

**P**rotector noster aspice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis, vt omni per-

turbatione semota liberis tibi mentibus seruiamus. Per Christum, &c.

*Pro Indorum & gentium conuersione.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostrā, & libera Indos, gentesq; infidelitatis tenebris immerfas ab idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum viuit, & regnat in vnitae Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

*Pro Hæreticorum conuersione.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire; respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omnia hæretica prauitate deposita, errantium corda respiscant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum.

*Pro Pace.*

**D**Eus auctor pacis, & amator, quem nosse viuere; cui seruire regnare est: protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, vt qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Dominum nostrum, &c.

*Ad postulandam pluuiam.*

**T**Erram tuam Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, coelestibus aquis perfunde, atque irriga beneficijs gratiæ sempiternæ. ☩ Deus à quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti sempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum, &c.

*Ad postulandam serenitatem.*

**A**D te, Domine, clamantes dignanter exaudi, & æris serenitatem nobis tribue supplicantibus, vt qui pro peccatis nostris iuste affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus. Per Dñm n. &c.

**Q**uæsumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis imperiri digneris. Per Christum Dñm n. &c.

*Tempore pestis & famis.*

**D**A nobis, quæsumus, Domine, piæ supplicationis effectum, & pestilentiam famem quæ propitiatus auerte; vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per D. &c.

**P**Opulum tuum, quæsumus, Dñe ab ira tua ad te confugientem, paterna recipe pietate, vt qui tuæ iustitiæ flagella formidante, de

tua

tua mereatur venia gratulari. Per Christū, &c.

*Pro Sitanda moralitate.*

**D**Eus, qui pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum ad te reuertentem propitius respice: vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ flagella ab eo remoueas. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Tempore belli.*

**D**Eus, qui conteris bellâ, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, vt omnium inimicorum suorum feritate depressa, incessabiliter gratiarum actione laudemus. Per Dñm, &c.

*Tempore cuiusuis calamitatis.*

**D**Eus, cuius misericordia coelestium quoque virtutum indigent potestates, & in cuius conspectu nullus est hominum absque sorde, & pœna peccati: delicta populi tui, quæsumus, propitiatus auerte, vt quos propriæ conscientiæ reatus accusat, bonitatis tuæ patientia, faciat veniam promereri. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro infirmis.*

**D**Eus infirmitatis humanæ singulare præfidium, auxiliij tui super infirmos famulos tuos ostende virtutem, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes representari mereantur. Per Dominum, &c.

*Pro*



*Pro sponſo & ſponſa recens coniuñctis.*

**Q**uæſumus omnipotens Deus, inſtituta pro  
quidentiæ tuæ pio favore comitare, &  
quos legitima, ſocietate connectis, longæua  
pietate cuſtodi. Per Dominum, &c.

*Pro iter agentibus.*

**A**deſto Domine ſupplicationibus noſtris,  
& viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ  
proſperitate, diſpone; vt inter omnes viæ, &  
huius vitæ varietates, tuo ſemper protegan-  
tur auxilio. Per Dominum, &c.

*Pro parentibus, & conſanguineis.*

**D**omine Deus, qui ſecundùm te, patrem,  
& matrem honorare, & pro eorum inco-  
lumi vita, & fortunis, vt æquum eſt, orare præ-  
cepifti; da parentibus meis, omnibuſque fra-  
tribus, ſororibus, conſanguineis, & amicis,  
omnibuſque domeſticis noſtris ſalutem & pa-  
cem: conſerua eos in fidei tuæ pietate, cultodi  
eos ab omni corporis, animæque incomodo,  
largire gratiam tuam, ne vnquam à te ſepa-  
rentur, ſed propitium te ſemper Patrem, &  
Deum experiantur. Per Dominum, &c.

*Pro præceptoribus aut ſuperioribus ſuis.*

**B**enedictionem tuam, Domine famulus tu-  
us Præceptor noſter accipiat, qua corpo-  
re ſaluus, & mente, congruam tibi ſemper  
exhibeat ſeruitutem, & propitiationis tuæ  
beneficia ſemper inueniat. Per Dominum  
noſtrum, &c.

*Pro discipulis, aut subditis, aut filiis suis.*

**D**Eus, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt famulos tuos, meę curę commissos de tua misericordia confidentes, coelesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues; vt tibi iugiter famulentur, & nullis tentationibus à te leparentur. Per Dominum: &c.

*Pro deuotis amicis.*

**D**Eus, qui charitatis dona, per gratiam sancti Spiritus, tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis. pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis; vt te tota virtute diligant, & quę tibi placita sunt perficiant. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro quouis amico, & familiari.*

**D**Eus auctor pacis, & amator charitatis, quę nosse viuere, cui seruire regnare est? da famulo tuo, pro quo misericordiam tuam supplices deprecamur, in tua fide, & famulatu constantiam, vt in charitate diuina firmatus, nullis tentationibus ab eius integritate auelatur. Per Dominum, &c.

*Pro inimicis.*

**D**Eus pacis charitatisq; amator & custos; da omnibus inimicis nostris pacem, charita-

rita-

ritatemq; veram, cunctorumq; eis remissio-  
nem tribue peccatorum, nosq; ab eorum in-  
dijs potenter eripe. Per Dominum, &c.

*Pro quibuscunque piis Confratribus.*

**D**EUS, qui diligentibus te facis cuncta pro-  
desse: da cordibus nostris inuiolabilem  
tuæ charitatis affectum, vt desideria de tua in-  
spiratione, concepta, nulla possint tentatione  
mutari. Per Dominum.

*Pro viuis & defunctis.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui viuo-  
rum dominaris simul & mortuorum; om-  
niumq; misereris, quos tuos fide, & opere fu-  
turos esse prænoscis; te supplices exoramus,  
vt pro quibus effundere preces decreuimus;  
quosq; vel præsens adhuc seculum in carne  
retinet, vel futurum iam exutos corpore susce-  
pit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pi-  
etatis tuæ clementia, omnium delectorum iu-  
orum veniam consequantur. Per Dominum  
nostrum, &c.

*Obseruandum est denique has orationes, qua  
pro pluribus, numero multitudinis funduntur, pos-  
se numero singulari efferi, si pro vno tantum offe-  
rantur. Exempli gratia, si pro vno duntaxat in-  
firmo supplicare Deo vis, vbi habetur (super in-  
firmos famulos tuos) dices (super infirmum  
famulum tuum) & sic de cæteris, plurales nu-  
meros in singulares commutatū.*

Itinerarium siue Orationes  
Itinerantium.

**D**icuntur orationes sequentes, in ipso itinere, ingressu. Si solus fuerit, qui iter facit, dicat quæ sequuntur post Canticum, in singulari; si cum socijs in plurali.

*Ant. In Viam pacis.* Benedictus Dominus Deus Israël; quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

In sanctitate & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta altissimi vocaberis: præbis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illumi-



Illuminare his, qui in tenebris & umbra  
mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in  
viam pacis.

Gloria patri, &c. Sicut erat, &c.

*In viam pacis & prosperitatis dirigat nos omni-  
potens & misericors Dominus: & Angelus Ra-  
phaël comitetur nobiscum in via, Et cum pace, sa-  
lute, & gaudio reuertamur ad propria.* Kyrie elei-  
son. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater  
noster. Et ne nos inducas in tentationem.  
Sed libera nos à malo.

℣. Saluos fac seruos tuos:

℞. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de sancto:

℞. Et de Sion tuere nos.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis:

℞. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis: (nobis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere

℣. Benedictus Dominus die quotidie:

℞. Prosperum i rfaciat nobis Deus saluta-  
rium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine demonstra nobis:

℞. Et semitas tuas edoce nos.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ:

℞. Ad custodiendas iustificationes tuas.

℣. Erunt praua in directa:

℞. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandauit de te:

℞. Ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Do-

ψ. Dominus vobiscum:

℞. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**EVS qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prosperum tempusque tranquillum: vt Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum peruenire foeliciter valeamus.

**D**EVS qui Abraham, puerum tuum de Vr Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, vt nos famulos tuos custodire digneris. Esto nobis Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbra culum, & in pluuia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: vt te duce quò tendimus, prosperè perueniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

**A**desto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes vitæ & vitæ huius varietates tuo semper protegamur auxilio.

**P**Ræsta quæsumus, omnipotens Deus, vt familla tua per viam salutis incedat: & beati Ioannis præcursoris tui hortamenta sectan-

do, ad

do, ad eum, quem prædixit, secunda perueniat  
 Dominum nostrum, &c. Amen.

Ÿ. Procedamus in pace:

℞. In nomine Domini. Amen.

Orationes in afflictione vel quocunque  
 graui periculo.

*Oratio ad Christum deuotissima.*

**O** Dulcissime Domine Iesu Christe, verus  
 Deus, qui de sinu summi patris omnipotentis  
 missus es in mundum peccata relaxare, afflictos  
 redimere, in carcere positos soluere, dispersos  
 congregare, peregrinos in suam patriam reducere,  
 contritis corde misereri, dolentes & lugentes  
 consolari; Dignare Domine Iesu Christe absoluere,  
 & liberare me famulum tuum de afflictione, &  
 tribulatione, in qua positus sum: & tu Domine  
 qui genus humanum in quantum homo, à Deo  
 Patre omnipotente in custodiam recepisti: &  
 ex pietate tua, crudeli passione, nobis paradisi  
 precioso sanguine tuo mirabiliter mercatus  
 es: & inter Angelos & homines pacem fecisti:  
 Tu Domine Iesu Christe, digneris inter me,  
 & inimicos meos stabilire, & confirmare  
 concordiam, & pacem, & gratiam tuam super  
 me ostendere; & infundere misericordiam tuam,  
 & omne odium & iracundiam inimicorum  
 meorum, quod contra me habent, digneris  
 extinguere, & mitigare; sicut iracundiam  
 & odi-

& odium Esau abstulisti, quod habebat aduersus Iacob fratrem suum: ita Domine Iesu Christe super me famulum tuum brachium tuum & gratiam tuam extendere, & me liberare digneris ab omnibus odientibus.

Et tu Domine Iesu Christe sicut liberaisti Abraham de manibus Chaldæorum, & filium eius Isaac de immolatione sacrificij cum ariete, & Iacob de manu Esau fratris sui, & Ioseph de manu fratrum suorum, Noë per arcam diluuij, & Loth de ciuitate Sodomorum, famulos tuos Moysen & Aaron, & populum Israël de manu Pharaonis, & seruitute Ægypti: David Regem de manu Saulis, & Goliath gigantis: Susannam de falso crimine, & testimonio: Iudit de manu Holofernis: Daniele de lacu leonum: tres pueros Sidrach, Misach, & Abdenago, de camino ignis ardentis: Ionam de ventre Ceti: & filiam Cananeę quę erat tormentata per diabolum: & Adam de profundo puteo inferni, pretiosissimo sanguine tuo: & Petrum de mari: & Paulum de vinculis: Ita me famulum tuum, dulcissime Domine Iesu Christe, fili Dei viui, liberare digneris de omnibus inimicis meis, & succurrere in adiutorium meum, per sancta beneficia tua, per sanctam incarnationem tuam, quã accepisti vt homo, de virgine Maria, per sanctam natiuitatem tuam, per famem, per sitim, per frigus, per calores, per labores & afflictiones, per sputa, per alapas, per flagella, per clauos, per lanceam, per spineam coronam,



nam, per potationem fellis & aceti, per læuissimam mortem crucis, per septem verba quæ pendens in cruce dixisti, scilicet Deo Patri omnipotenti: Ignosce illis quia nesciunt quid faciunt: Dixisti Domine latroni in cruce pendens: Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, Dixisti Domine Patri tuo: Eli, Eli, lamazabathani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Dixisti Domine matri tuæ. Mulier, ecce filius tuus: Deinde discipulo: Ecce mater tua: ostendens curam habere suorum amicorum, Dixisti Domine: Sitio, scilicet salutem animarum sanctarum, quæ in limbo fuerunt, & nostram cupiendo, Dixisti Domine Patri tuo: In manus tuas commendo spiritum meum, Dixisti Domine: Consummatum est, significans labores & dolores quos pro nobis miseris suscepisti, iam finiri.

Propter hos etiam rogo te, redemptor Domine Iesu Christe, vt me famulum tuum custodias ab hoste maligno, & ab omni periculo hæc in præsentia, & in futuro. Defende me per descensionem tuam ad inferos, per sanctam resurrectionem tuam, per frequentem discipulorum tuorum consolationem, per admirabilem ascensionem tuam: per aduentum Spiritus sancti paracliti, per diem tremendi iudicij: per hæc omnia exaudi me Domine.

Et per cuncta beneficia tua, & etiam pro cunctis beneficijs tuis mihi famulo tuo collatis: quia tu me fecisti ex nihilo, tu produxisti  
me,

me, tu ad fidem sanctam tuam perduxisti me, & contra diaboli tentationem me præmuniuisti, vitam æternam promittendo. Propter ista, & alia omnia, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: rogo te dulcissime Domine Iesu Christe, ut ab omnibus periculis animæ & corporis pro tua pietate & misericordia, me famulum tuum, nunc & semper liberare digneris. Et post huius vitæ cursum, ad te Deum viuum & verum me perducere digneris. Qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

*Psalmus 90. in Tribulatione dicendus, & in  
omni presenti periculo.*

**Q**ui habitat in adiutorio altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu: & refugium meum, **DEVS** meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub penis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris; ab incurfu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

Verun-

Verumtamen oculis tuis considerabis : & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea : altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandauit de te : vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis : & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me sperauit , liberabo eum : protegam eum , quoniam cognouit nomen meum.

Clamauit ad me , & ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione , eripiam eum , & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : & ostendam illi salutarem meum. Gloria. &c.

## O R A T I O

**D**Eus , qui contritorum non despicias gemitum , & moerentium non spernis affectum adesto precibus nostris , quas tibi pro tribulatione nostra effundimus , easque clementer exaudi : vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduersitates , ad nihilum redigatur , & consilio tuæ pietatis allidatur : quatenus nullis tentationibus læsi , sed de omni tribulatione , & angustia erepti , in Ecclesia tua tibi gratias referamus. Dimitte

Domine peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuam, quam precamur: vt humilitatem nostram attendas, vincula soluas, delicta deleas, tribulationem inspicias, aduersitatem repellas: effectumque petitionis nostrae largiens supplices tuos clementer exaudias. Per Dominum nostrum, &c.

*Symbolum Athanasii, quod scribitur in omni periculo recitatur, Et quod eius aliud fidei Symbolum sine Apostolorum, sine Nicenum ad fidei fiduciam in nobis excelsandam.*

**Q**vicunque vult saluos esse: ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisq; , integram, inuiolatamq; seruauerit absq; dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitatem veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas: æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis pater, talis filius, talis Spiritus S.

Increatus pater, increatus filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus pater, immensus filius, immensus Spiritus sanctus.

Æter-



Æternus Pater, æternus filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed vnus omnipotens.

Ita Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.

Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed vnus est Dominus.

Quia sicut sigillatim vnamquamque personam, Deum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur; ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus; nec creatus, nec genitus.

Filius à patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus,

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres patres: vnus Filius, non tres filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius,

us, nihil maius aut minus : sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse : ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem : vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesus Christi, fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur : quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante secula genitus : & homo est ex substantia matris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; ex anima rationali & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum diuinitatem : minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo; non duo tamen sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem : sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confusione substantiæ : sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascen-

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hęc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

*Initium S. Euangeliÿ secundum Ioannem, piis hominibus commendatissimum, & in omni periculo pie & surparsi solitum, propter expressam in eo Diuinitatis Christi, & Incarnati-  
onis professionem*

**I**N principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est,

& mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

*Et Verbum caro factum est. & habitauit in nobis (Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre) plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.*

### Precationes Militares.

#### I.

##### *Militiam auspicaturo.*

**D**omine Deus, rex cœli & terræ, functionis omnis auctor, qui mira ac prouida tua ratione ordines, operaque hominum dispensas, neminemque otio tabescere sinis, sed quosdam sacris tuis altaribus propitiatorio sacrificio, pro remissione peccatorum nostrorum, immolando, salutaribusque fundendis precibus destinans; quosdam alimentis pacis publicæ prouidendæ ac tuendæ deligis: quosdam arcendis hostibus, & patriæ incolumitati protegendæ præordinas; qui ordinem militarem iure naturæ populis defendendis magistratus autoritate per te concessa delegisti, eundemque famulorum tuorum Principum ac Regum exemplo stabiluisti, ac salutaribus monitis præcursoris filij tui reformasti,



matti, & per filium tuum Iesum Christum Deum ac magistrum nostrum, stipendium militare dari præcepisti, & secularibus Principibus conseruandorum regnorum causa milites esse necessarios ostendisti: supplex maiestatem tuam exoro, vt tyrocinia militiæ meæ, quæ tu cordi meo inspirasti, feliciter auspiciari merear, quatenus eum ordinem benedictione tua munitus suscipiam, virtutibus Christiano homine dignis adornem, in eoq; salutem meam, ac tuam pariter gratiam consequi valeam, Per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

2.

*Pro felici successu belli spiritualis impetrando.*

**D**Eus fortis & bellator magne, qui nobis per Apostolum tuum militiam spiritualem tradidisti, & vniuersos, qui sacro abiuti sunt lauacro in eam cooptasti, quoniam vniuersa vita hominis, Iobo seruo tuo testante, militia est super terram. Tu scis ac intelligis, quàm innumeri, quàmque potentes, vndiq; nos circumstant hostes nostri, spiritus Tartarei, pleni malitia, inuidia, vafritie, quorum sub labiis venenum aspidum occultatum, quorum pax interitum sempiternum minatur, qui non fortunis aut facultatibus nostris, sed animabus æternum perdendis inhiant, & latentibus incursionibus moliuntur, vt nos peccatorum nostrorum funibus constrictos, sempiternæ seruituti addicant & mancipent. Vi-

uunt in nobis & carnis ad immunditiam, & foeda scelera propensiones: viuunt indignantis iræ commotiones, graues & domestici hostes; viuunt inordinatus mundi amor; viuunt ad eius vanitatem superbiamque conlectandam illecebræ, quæ nos titillando impugnant ceruicibus nostris imminent, vt gratia tua, bonis que æternis exutos, mole peccatorum opprimant. Aduersus istiusmodi hostes cum nobis sit colluctandum strenuè, humiliter postulo, vt me primùm tali militia insignias, fortitudine communias, lorica induas, & spiritualibus subsidiis, quæ fidelibus tuis prouidere soles instruas.

En arma, quæ Apostolus tuus suggerit, dicens: State succincti lumbos vestros in veritate, indui lorica[m] iustitiæ, calceati pedes in preparationem Euangelii pacis, in omnibus fumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu. Sed heu me, non sufficiunt humeri mei, ac vires his armis gestandis, manus lassescunt: tuo robore, tua gratia coelitus demissa, per Iesum Christum supremum Imperatorem nostrum opus est. Ergo diuinam maiestatem tuam, in genua prouolutus, Deus meus, fortitudo mea, & refugium meum, precor, vt me primùm spirituali hac militia insignias, & doceas pronam ad malum voluntatem per-

fringere, indignationem cohibere carnis desideria, & mundi cupiditates edomare, non mei dominantur, sed ego omnem mundi fastum calcem, pedibusque meis subiciam, diuina tua virtute suffultus. Nam quæ obsecro militia hæc esset mea, si hostibus meis visibilibus debellatis, peccato succumbam, & cacodæmoni me vincendum offeram? Quæ utilitas hostium cuneos sternere; ab ira verò ac turpi carnis voluptate, auaritia, vindictæ appetitu prosterni? Externa spolia colligere, at intus animam bonis omnibus exspoliandam prædonibus infernalibus præberem; lutum quærerem, aurum deperderem, ab hominibus celebrarer; à te vero Deo ac Domino meo sempiternis adiudicarer supplicijs: corpus à vulneribus telisque protegerem, animæ autem necem assererem. Detestor primordia huius militiæ Deus meus, opto prius Christiani veri legitimi militis fungi officio, ac de inuisibilibus triumphare hostibus: tum corporalibus ac visibilibus debellandis deputari inimicis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui nos confirmans ait: Confidite quia ego vici mundum: & nos eiusdem gratia omnes tum animæ, tum visibiles hostes deuicturos confidimus. Per eundem Iesum Christum, qui tecum vnâ cum Spiritu S. Deus vnus regnat in secula,  
Amen.

*Ad donum pietatis obtinendum.*

**S**umme ac supreme rerum dominator De-  
 us noster, vulgi opinione tritum est, per  
 quam difficile esse militi Deum timere, pie-  
 tatem colere, deuotioni instare, bonis opo-  
 ribus ornari. Percelleret equidem status hu-  
 ius periculis, si hæc ita se haberent. Verum  
 cum intueor Centurionem illum coram vni-  
 genito filio tuo Domino ac Deo nostro à  
 Principibus Iudæorum collaudari, eidem-  
 que commendari, dignum afferentes cuius  
 vota audiret. Amat, inquit, gentem no-  
 stram, & synagogam ipse ædificauit nobis:  
 cum item audiam eiusdem militis ab ipso Do-  
 mino fidem mirificè prædicari; & Cornelij  
 iudem Centurionis orationes eleemosynasq;  
 ab Angelo commendari, & inter eius com-  
 militones militis Deum timentis mentionem  
 fieri; animum resumo, neque opinioni er-  
 ronæ vulgi de hoc hominum ordine adhæ-  
 resco. Præsertim cum de innumeris mili-  
 taris ordinis hominibus & martyribus, le-  
 gam in vitis sanctorum, eos & tibi seruisse, &  
 pios ac strenuos athletas spirituales euasisse,  
 planè in spem venio, posse me in hoc ordine  
 pium ac deuotum tibi famulum euadere. Cæ-  
 terùm vbi considero, vocationem hanc ple-  
 nam esse difficultatibus ad euitanda peccata,  
 lubricam ac præcipitem ad malum viam, hu-  
 millimè precor, subleua infirmitatem meam,  
 donum-



donumq; deuotionis & timoris tui, tu ipse cordi meo infere. Hæc enim me ab omnibus peccatis tutabitur. Excita in me feruida orationis tuiq; amoris desideria, quibus ea mihi dona comparem, de quibus dictum est: Petite & accipietis, pullate & aperietur vobis. Ingere cordi meo promptitudinem ad misericordix opera, vt timore amorq; tuo repletum, vberimum bonorum operum fructum producat. Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

4.

*Pro confirmando militari proposito.*

**T**estor te Deum Trinum & vnum, me in hoc statu militari, nihil principalius quaesitum, quam gloriam nominis tui exaltandi, per obsequium amoremq; patriæ, protegendis fratribus ac populo meo. Non leuo dexteram meam in vicinum, aut iniuriæ meæ vindicandæ causa, aut ad diripiendum opprimendumque egentes ac miseros, non rei alienæ cupiditate æstuans. Nec verò ea mihi mens, vt cuiuspiam tranquillitatem seditiosè perturbem, sed tantum modo vt Reip. populo, regi q; meo syncerè & ex animo seruiam.

Ferro hoc Catholicam religionem, iustitiam, innocentiam, aduersus eos quibus cõmunis tranquillitas exosa est, aut aliena depredantur, propugnabo, vt maiores mei, magistratusq; decernent. Nil temerè motu-

uè proprio aggredi, sed ex obedientia sub signis Regis mei, forti ac imperterrito animo hostes propulsare, percipio. Foue hoc tam bonum, tamq̃ pium propositum in corde meo, & ne patiare me ab illo aliquando decidere Domine Deus meus. Quod si uel nominis mei familiæq̃ gloriam hoc in ordine quaesiero, aut gratiam dominorum meorum emereri studero, aut temporale stipendium labori meo debitum (mercede æterna mihi apud te reseruata) exegero, ne id obsecro mihi malè vertat ac nocumento sit, quandoquidem primarius militiæ meæ scopus est tuæ gloriæ seruire, patriæ, fratrumq̃ necessitatibus obsequi, pro quibus fideliter propugnare, vitamq̃ meam, si res ita tulerit, profunderè, non negligam. Per Iesum Christum Dominum nostrum, qui vitam ipse suam pro nobis peccatoribus redimendis deposuit, cui laus sit, & honor, vnà cum Patre, & Spiritu S. in secula, Amen. Pater noster. Ave Maria.

5.

*Pro pace obtinenda.*

**T**V scis Domine Deus noster, quandoque bellum quidem esse necessarium, pacem tamen multo esse meliorem, cuius conseruatione florent omnia, bello verò marcescunt ac pessum eunt. Quapropter maiestatem tuam supplex oro, pax vt nobis optata redeat, cuius recuperandæ gratia, belli sustinemus onera,

onera. Non ideo his vimur armis, vt homines ad imaginem tuam factos enecemus, sed vt respiciant contendimus, & pacem mutua[m] nobis conciliemus. Præstat militares hos animos, aduersus spirituales nostros hostes conuertere, & dæmonem, peccata, prauamque voluntatem, aliosque inordinatos animi motus rectæ rationi, tuæque voluntati repugnantes profligare, de ijsque triumphare. Huiusmodi etenim certamini gloriosiore[m] multo, in cœlis seruasti coronam, amplioremque gloriam præparasti, per Christum Dominum nostrum.

## 6.

*Ante conflictum.*

**T**ibi Domine vitam meam, corpus ac animam commendo, intimo cordis affectu peccata mea deflens ac deplorans, hoc quicquid est sanguinis mei tibi offerens, vt sanctum tuum nomen exaltetur, Ecclesia sancta Catholica defendatur, cara patria, & quicquid ea continetur, facta tecta permaneat. Aspice oculis tuæ misericordiæ humilitatem cordis mei, & edoce manus meas ad prælium, vt non exaltetur inimicus tuus in sua iniustitia. Da mihi custodem Angelum tuum, qui me deducat, protegat, & contra terrores hostium animi robur suggerat. Per Iesum Christum, qui sanguinem suum pro nobis fudit, vt & nos pro nominis ipsius gloria, & fratrum nostrorum

rum salute in eo certamine vitam nostram  
profundamus, Amen.

ORATIONES, QUÆ DICERE INFIRMI,  
maximè moribundi, & quæ pro illis etiam  
ab alijs dici possunt.

*Oratio aegroti, ad reparationem Vita antea actæ.*

**D**omine Iesu Christe, reparator meus es tu,  
instaura ergo quæso, quæ ego destruxi in  
meipso abutendo donis tuis ingratisime con-  
tra te: & in proximis malo exemplo verbis &  
actionibus meis ipsum offendens. Reputa,  
quæso, detrimenta vitæ meæ, quam heu nimis  
inutiliter & malè transegi, amittendo dona  
tua, & omittendo quæ agere ad profectum  
meum, & proximorum debui: sed tu de the-  
sauro tuo inexhausto resarcire potes omnia  
hæc damna. Supple amantissime Domine  
IESU imperfectionem actionum mearum,  
quæ propter tepiditatem meam, & admixti-  
onem vanitatis, & aliarum meorum imperfe-  
ctionum, ex parte mea exigui sunt valoris, &  
meriti, nisi de tua plenitudine earum defectû  
suppleueris: Coniunge, obsecro, indignissi-  
mum obsequium meum, cum omnibus quæ  
egisti, & passus es, ex tam perfecta charitate,  
& obedientia, & cum diuini satisfactionum,  
& meritorum dilectionis tuæ Patri æterno  
illud offerre digneris, vt de tua plenitudine  
paupertas mea ditetur coram diuina iustitia,  
& bonitate, Amen.

*Preca-*



*Precatio alia aegroti, fidem suam protestantis, & se Deo resignantis.*

**D**omine Iesu Christe, credo quod Deus meus, & redemptor meus es tu; & quicquid per S. Ecclesiam Catholicam proponis credendum, fideliter, & firmiter credo, & in ea fide protestor me velle vivere, & mori. Doleo ex animo quod te bonitatem luminum offenderim; peto mihi humiliter condonari per sanguinem, & Vitam tuam, quam pro mea salute profudisti, quicquid contra te Creatorem & redemptorem meum, quicquid contra SS. Matris meae Ecclesiae decreta & mandata, tam per commissionem, quam per omissionem perpetravi. Et si quid vel oblitus sum, vel non cognosco, quod offenderit maiestatem tuam, de eo illuminari cupio, & poenitere & conteri, & interim de omnibus veniam peto, cum firmissimo proposito ab ijs deinceps abstinendi. Omnibus qui me offenderunt ex corde, & libenter offensas omnes propter te dimitto; Et si quem ego offendi, precor etiam mihi veniam dari; & si quid alicuius est apud me, quantum teneor, & facultates meae se extendunt, volo satisfieri omnibus, quibus debeo. Spero in divina tua misericordia, & in hoc sanguine, quem pro me effudisti tanta cum caritate, quod me, licet indignum, saluum facies, & adimplebis me laetitia cum vultu tuo; & ut id facias, per sanctam passionem, & mortem tuam deprecor

In ma-

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, resigno in eas voluntatem meam, & subijcio illam tuæ sanctissimæ voluntati, vt de vita, & morte mea facias secundum beneplacitum tuum; tantum effice & dona, vt ego toto te corde & tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum.

*Precatio ad Virginem Deiparam, Sodalium Congre. propria.*

**S**Vb tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à cunctis periculis libera nos semper virgo gloriosa, & benedicta. Alumnus ego fui tuus, ô benedicta mater, Sodalitatis familiæq; tibi sacræ filius extiti; sed noui admissas in boni Sodalis officio negligentias meas, quas mihi condonari à tuâ benigna pietate rogô; suscipe me, si non filium, seruum certè tuum; ac cæterorum Sodalium, vniuersæque per orbem familiæ meritis, precibus, suffragijs placata, admitte meas preces, quas in sinum misericordiæ tuæ effundo: & felicem liberumq; ab hostibus exitum dona, vt te aliquando cum Angelis sanctisq; omnibus benignissimam Dei matrem, reginamq; colere, & videre æternum possim. Amen.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, &c. Vide supra cap. 3. proximo, in hymno, Memento salutis author, &c.

*Ad S. Michaelē, & omnes Angelos.*

**S**ancte Michāel Archangele, defende me in prælio, vt non peream in tremendo iudicio. Precor vos omnes SS. Angeli, & Archangeli, vt vestra intercessione mihi detur auxilium, & patientia, vt nullus mihi inimicus noceat, Amen.

Angele Dei, qui mei es custos, me tibi commissum pietate iuperna, in mortis hora illumina, custodi, rege & gubernā, Amen.

*Ad Patronum.*

**O** Sancte N. in te spem, & confidentiam mihi apud Deum patrocinandī collocaui; nunc maximè tuo mihi opus est auxilio; succurre igitur in hoc extremæ necessitatis meæ articulo.

#### PRECATIONES PRO INFIRMO.

**D**EVs, in cuius libro sunt vocabula notata mortalium, concede, quæsumus, famulo tuo N. veniam delictorum omnium, & præsta, vt quem immensus languor excruciat, tua miseratio reparet ad medelam; & sicut admissio piaculi adduxit dolorem, adducat etiam confessio salutaris optabilem sanitatem. Per Christ.

Respice, quæsumus Domine, famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, & animam

animam refoue, quam creasti, vt castigatio-  
nibus emundata, continuò se sentiat tua me-  
dicina saluatam. Per Christum Dominum  
nostrum, Amen.

*Pro Agonizante.*

**D**EVS misericordiae, Deus clemens, qui se-  
cundum multitudinem miserationum iu-  
arum, peccata poenitentium deles, & præte-  
ritorum criminum culpas, venia remissionis  
euacuas; respice propitius super hunc famu-  
lum tuum, & remissionem sibi omnium pec-  
catorum suorum tota cordis confessione po-  
scentem, deprecatus exaudi. Renoua in eo,  
pijsime pater, quicquid terrena fragilitate  
corruptum, vel quicquid diabolica fraude vi-  
olatum est, & vnitati corporis Ecclesie mem-  
brum redemptionis adnecte. Miserere Do-  
mine gemituum, miserere lachrymarum e-  
ius & non habentem fiduciam, nisi in tua mi-  
sericordia, ad tuæ Sacramentum reconcilia-  
tionis admitte. Per Christum, &c.

*Sub exitum anima de corpore.*

**A**scendant ad te Domine preces nostræ, &  
animam famuli tui N. gaudia æterna su-  
scipiant; vt quem fecisti adoptionis partici-  
pem, iubeas hæreditatis tuæ esse consortem,  
Per Dominum nostrum, &c.



QVÆ CARITAS ET SIBI, ET  
alijs infirmis christianè exer-  
cenda sit?

**N**Vlla maior exercendæ caritatis vel sibi,  
vel alijs, imposita est Christiano homini  
necessitas, quàm in graui aliqua infirmitate  
corporis, vt animæ benè & maturè consu-  
latur.

1. *Cura circa ægrotum, est anima salus.*

Prima ergo cura versari debet circa animæ  
statum, vt scilicet ægrotus toto corde se con-  
uertat ad Deum, agnoscatq; immissum mor-  
bum, tanquam salutare quoddam pharma-  
cum, contra peccata omnia præteritæ vitæ,  
tanquam symbolum aliquod mortis aliquan-  
do subeundæ, signum fragilitatis humanæ,  
&c. propterea patienter & libenter tanquam  
donum Dei, non sine gratiarum actione acci-  
piendum. Habeat ergo ægrotus curam ma-  
gnam instituendæ integræ confessionis: cogi-  
tet num faciendæ aliqua vel famæ, vel pec-  
uniarum, vel aliarum rerum restitutio;  
num reconciliandus sit abs se læsus, & id ge-  
nus alia ad salutem pertinentia expendat.  
Quibus peractis præparet se ad digne sumen-  
dum venerabile sacramentum cum summa  
humilitate, fide, spe, & dilectione.

2. *Est bonorum dispositio.*

Secunda cura est vt si in grauescit morbus,  
& peri-

& periculum aliquod vitæ deferendæ imminet; curentur maturè ea, quæ ad corporis & bonorum dispositionem spectant: hæc enim omnia ad salutem, & quietem animæ faciunt. Itaq; (si coniugatus sit) vxori, liberis, consanguineis, & ijs quorum curam suscepit, familiæq; suæ provideat, eaq; expediat quæ ad officium suum, vel administrationem pertinent. Deinde cogitet, quæ ad sepulturam, vel exequias spectent, vt ea omnia absque pompa ad decentem moderationem reuocentur. Tum verò de bonis disponat ( si antè non fecerit ) per iustum & pium testamentum.

Si præter bona, quæ creditoribus debentur, suppetat facultas ad faciendum aliqua pia legata, non desit infirmus officio suo, quandoquidem ea conferant ad maiorem satisfactionem pro pœnis, & maius meritum beatitudinis; si modò referantur ad bonum finem, ad Dei gloriam, & proximorum salutem, non in aliquam vanam sui memoriam. Ea porrò legata in primis ægroto cordi sint, quæ sunt maioris charitatis, quæq; ad proximos iuuandos videntur magis opportuna. Videlicet;

Quæ spectant ad animarum in purgatorio subuentionem;

Vel, ad religiosorum, paupertatem patientium subsidium;

Vel, ad pauperum, qui honestè mendicare non possunt, auxilium;

Vel, ad

Vel, ad studiosorum egentium leuandam penuriam;

Vel, ad captiuorum redemptionem;

Vel, ad pauperum puellarum dotationem;

Vel, ad orphanorum, viduarumq; sustentationem;

Vel, ad pauperum propter debita carceribus inclusorum, liberationem.

Vel deniq; ad libellorum piorum ac spiritualium disseminationem, ad hospitalium, aliorumq; piorum locorum, aut operum subleuationem spectant.

*3. Cura est de Sacri. Extrema Vnctionis.*

3. Adhæc curandum serio & diligenter, vt sacræ Vnctionis sacramento muniatur infirmus, idque maturè fiat, priusquam in delirium, vel sensuum hebetudinem incidat.

*4. Iuuandus infirmus in ijs qua pertinent ad exercitationem fidei, spei, charitatis, patientiæ, obedientiæ.*

**P**Ræterea debet præ cæteris iuuari ægrotus in his, quæ pertinent ad exercitationem fidei, spei, caritatis, virtutisq; patientiæ.

Subinde ergo erit illi recitandum Symbolum, repetendaque fidei suæ protestatio.

Excitandus etiam erit in spem maximam diuinæ misericordiæ.

Sed & inflammandus ad caritatem, vt Deum super omnia amet, illi sese totum donet, & permittat, suamque omnem voluntatem

cum

cum diuina conformet, corpus & animam in manus eius resignet, &c.

Et quicquid est in morbo doloris, vel pœnarum, generosè, fortiter, & patienter sustineat: nihil per impatientiam dicat, aut faciat, ne meritum patientiæ, quod est maximum, perdat, sed potius cum gratiarum actione dolores omnes, tanquam flagellum quoddam paternum excipiat, ad præteritarum culpæ satisfactionem, maioremq; gloriæ suæ coronam.

Nec omittat virtutem obedientiæ exerce-  
res (in qua & cum qua, inclinato capite, Christus mortuus est) cum erga medicos corporales, & eos, qui illi adiunt, iuuant, & curant; tum erga spirituales medicos, quorum dicto in omnibus auscultet.

*5. Debet egrotus crucifixi Iesu semper esse  
memor.*

**S**ed & egrotus frequenter oculos suos in effigiem Christi crucifixi, quæ semper illi debet esse proposita, conuertat, ab ea patientiæ, & cæterarum virtutum perseverantiam imploret, felicemq; egressum ex hoc mundo merito passionis eius impetret. Inuocet etiam crebro B. Virginem in auxilium, recitando sæpe versiculum: Maria mater gratiæ, &c. Inuocet quoque S. Michaëlem Archangelum, Angelum custodem, Sanctum suum Patronum, & alios, in quibus habere deuotionem est solitus, & deum SS. omnes, vt intercedant



cedant pro eo, eumque adiuuent suis suffragijs & meritis. Habeat & aquam lustralem, qua aspergatur, & cætera precum adminicula, quibus excitetur.

*Qua agonizantem iuuent.*

**A**gonizantem iuuant in primis oratio Sacerdotis.

2. Orationes aliorum præsentium.

3. Eleemosinæ, vota, ieiunia, afflictiones, & Missarum præcipue sacrificia, quibus omnibus petatur, vt Dominus infirmo sit propitius & vel ei restituere dignetur sanitatem; si ad melius seruiendum ei expedit: vel si ex hoc sæculo transferre in aliud volet, ipsum bene disponat ad æternæ felicitatis consecutionem

4. Aqua benedicta; cereus sacer, imago crucifixi.

5. Commendatio animæ secundum communem Ecclesiæ ritum.

6. Remotio ab agonizantis aspectu eorum omnium, qui bonam eius præparationem ad moriendum impedire possunt vt esse solent pater filij & vxor, qui potius humanos affectus quam spirituales prouocarent: secus si essent spirituales, & ad iuuandum infirmum idonei crederentur. Sed & tempore morbi, non debet permitti, vt amici consanguinei, & affines, cum infirmo de rebus huius mundi agant, quando potissimum testamentum, voluntatemque suam vltimam constituit, & declarauit.

## Precationes &amp; suffragia pro defunctis

*Cum primum agrotus expirauit.*

**P**salms Miserere, & Deprofundis, quos habes inter septem Pœnitentiales infra libr. 4. cap. 9. quibus finitis Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas &c.

℣. A porta inferi. ℞. Erue Domine animas eorum.

℣. Credo videre bona Domini. ℞. In terra uiuentium.

℣. Ne tradas Domine bestijs animas confitentium tibi.

℞. Et animas pauperum tuorum, ne obliuiscaris in finem.

Requiem æternam, &c. Et lux, &c.

Domine exaudi &c. Et clamor, &c.

*Oremus.* Commendamus tibi Domine animam famuli tui N. ut defunctus seculo tibi uiuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis admisit, tu uenia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum, &c.

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam siue spe misericordie supplicatur, propitiare animæ famuli tui N. ut qui de hac uita in tui nominis confessione decessit, sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Christum, &c.

*Huc pertinet 7. Psalmos pœnitentiales pro defunctis recitare, quos supra l. 4. ca. 3. inuenies, uel officium defunctorum, uel similes preces, itemq;*

*alia*

*alia suffragia, de quibus paulopost.*

Quòd misericordia vita defunctis merito impendenda sit.

**E**A duobus officijs continetur: oratione & precibus, alijsq; subsidijs pro salute animæ præstandis; & obsequio, quod deferendo corpori ad facram sepulturam debetur. Vtrumq; munus magnæ charitatis & misericordiæ officium est, à pijs Christianis, non propinquis tantum & notis, non omittendum: id potissimum quod animæ defertur, quæ eo amplius aliorum auxilijs opus habet, quo minus se iuuare potest: & quo grauior & terribilior est ignis, ad quem non omnino expurgatæ animæ mandantur, donec persoluerint vel per sese patiendo, vel per alios satisfaciendo, vsq; ad vltimum quadrantem. Qualis, quantum sit ignis purgatorius, beatus Augustinus docet (Enarrat in Psal. 17.) *Grauior, inquit, erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Et alio loco: *De vera & falsa pœnitentia. Hic ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis. Excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hoc mundo.* Idem cum D. August: sentiunt D. Gregorius, SS. Beda, Anselmus, Bernardus, & alij.

Quocirca manifestum euadit, nullam maiorem vlli mortalium præstari posse misericordiam, quàm animabus in eò igne agentibus. Non ignorabat id B. Christina, vulgo mirabilis dicta, quæ è viuis ablata, cum dedu-

cta, ab Angelis fuisset ad locum tenebrosum, ac horrendum, animabus hominum plenum, ibique tormenta vidisset horrenda, terribilia, narrationem omnem superantia, accepissetque purgatorium esse; tandem deducta ad Christum, oblationem factam videt, vel beatitudine iam perfruendi, vel resumpto corpore, per opera poenitentiae satisfaciendi pro animabus à se in purgatorio visis. Respondit ergo, velle se eius rei causa, corpori restitui: quod & factum est. Vidisses ergo illam nunc in ardentibus fornaces sese proijcere, nunc in ignem, nunc in cacabos grandes bullienti, aqua plenos: nunc sub aquis gelu constrictis, multos dies continuos hærere; nunc in mortuorum ingredi sepulchra, ibique diu iacere; nunc in patibulis inter latrones dies aliquot dependere; nunc alia id genus poenitentiae ex- plere opera, in quibus omnibus tantos per- sentiebat dolores, ut inclamaret aliquando altis- sime & parturientis instar eiulari: sed tamen illæsa semper, & ad novos dolores integra, ex igne, & incendijs emergebat.

*Septem suffragiorum genera, quibus defuncto-  
rum animæ iuuantur.*

Primum lachrymæ.

2 Oratio, quæ duo quàm profint ægrotis fi- dem faciunt exempla plurima. S. Odilo Ab- bas Cluniacensis cum auditas in quibusdam Siciliae montibus, & speluncis animarum vo- ciferationes accepisset, à se, religiosisque sui

ordi-



ordinis querulis lamentationibus opem implorantium, decreto generali constituit, vt per sua omnia monasteria, postridie SS. omnium, Animarum, in Christo quiescentium, memoria fieret. Quam quidem misericordie plenissimam constitutionem comprobauit postea Romana Ecclesia, & vbiq̄ue locorum fixam esse, ratamq̄ue voluit.

Hac verò ætate P. Franciscus Xauerus, (vt in eius vita scribitur) singulari cura & pietate animas defunctorum profecutus est. Itaq̄ Malacæ cum esset, quod est nobile Indiarum emporium, post Solis occasum urbem obiens, incolas tintinnabulo excitatos solemniter carmine, siue cantu admonebat, vt pro cruciaris purgatorio igne animis, proq̄ue hominibus in peccato mortali existentibus diuinam clementiam implorarent. Illo abeunte ad alias Insulas Indiarum, promulgandi Euangelij causa, ciuitas Malacensis, instituti, desiderijq̄ue sancti viri memor, certum constituit hominem, qui altera manu laternam, altera tintinnabulum gerens, idipsum primis tenebris faceret. Quod institutum ab vrbe Malaca in Indiæ Moluci, vltimiq̄ue orientis vrbes atq̄ oppida manauit, hodieq̄ viget, magno mortuorum, viuorumq̄ue bono.

3. Suffragium sunt, ieiunia, & corporis asperitates. S. Dominicus singulis noctibus ter catena ferrea in dorsum suum sæuiebat; primo quidem pro seipso, tum pro peccatoribus in mundo degentibus; tertio pro animabus

pœnas in purgatorio luentibus.

4. Vigiliæ.

5. Eleemosynæ.

6. Restitutiones, piæque legata, quæ à morientibus fiunt.

7. Missæ sacrificium, quo nihil præsentius.

### A P P E N D I X.

ALII HYMNI ECCLESIAE DE  
B. Virgine.

*Ad Matutinum de B. Virgine.*

QVem terra, pontus, æthera,  
Colunt, adorant, prædicant,  
Trinam regentem machinam,  
Claustrum Mariæ baiulat.

Cui Luna, Sol & omnia  
Deserviunt per tempora,  
Perfusa cœli gratia,  
Gestant puellæ viscera.

Beata, mater munere,  
Cuius supernus artifex,  
Mundum pugillo continens,  
Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuncio,  
Fœcunda sancto Spiritu,  
Desideratus gentibus,  
Cuius per alium fufus est.

Gloria tibi Domine,  
Qui natus es de virgine,  
Cum Patre & sancto Spiritu,  
In sempiterna secula, Amen

*Ad Laudes de B. Virgine.*

**O** Gloriosa Domina,  
 Excelsa super sidera,  
 Qui te creauit prouidè,  
 Lactasti sacro ubere.  
 Quod Eua tristis abstulit,  
 Tu reddis almo germine;  
 Intrent vt astra flebiles,  
 Cœli fenestra facta es.  
 Tu regis alti ianua,  
 Et porta lucis fulgida:  
 Vitam datam per virginem  
 Gentes redemptæ plaudite.  
 Gloria tibi Domine,  
 Qui natus es de virgine,  
 Cum Patre & sancto Spiritu,  
 In sempiterna secula, Amen.

*Ad horas, de B. Virgine.*

**M**emento salutis auctor,  
 Quod nostri quondam corporis,  
 Ex illibata virgine,  
 Nascendo formam sumpseris.  
 Maria mater gratiæ,  
 Mater misericordiæ:  
 Tu nos ab hoste protege,  
 Et hora mortis suscipe.  
 Gloria tibi Domine,  
 Qui natus es de virgine,  
 Cum Patre & sancto Spiritu,  
 In sempiterna secula, Amen.

Hymnus alius de B. Virgine mirè deuotus.

**Q**uem S. Casimirus princeps. ( cuius festum in  
4. Martij incidit ) filius Regis Polonia Casti-  
miri Jagellony, & Reginae Elizabethæ Austriacæ,  
filia Alberti secundi Cesaris, & composuisse ipse  
fertur, & quotidie recitare solitus fuisse, ( quod ex  
ipso eius initio apparet ) & deuotione coluit, ut eti-  
am sepeliri secum voluerit : prout anno 1604. quan-  
do sancti illius Sepulchrum renouatum fuit, capiti  
ipsius suppositus repertus fuit, ipseque sanctus de-  
xtero temporum ei quasi incumbere.

**O** Mni die dic Mariæ,  
Mea laudes anima,  
Eius festa, eius gesta,  
Cole deuotissima.  
Contemplare & mirare  
Eius celsitudinem,  
Dic felicem Genitricem,  
Dic beatam virginem.

Ipsam cole ut de mole  
Te criminum liberet,  
Hanc appella ne procella  
Vitiorum superet.

Hæc persona nobis dona  
Contulit cœlestia;  
Hæc Regina, nos diuina  
Illustrauit gratia.

Lingua mea dic trophæa  
Virginis puerperæ,  
Quæ inflictum maledictum  
Miro transfert germine.

Sine



- + Sine fine dic Reginz  
 Mundi, laudum cantica,  
 Eius bona semper sona  
 Semper illa prædica.  
 Omnes mei sensus, ei  
 Personate gloriam,  
 Frequentate tam beatę  
 Virginis memoriam.  
 • Nullus certè tam disertę  
 Extat eloquentię,  
 Qui condignos promat Hymnos  
 Eius excellentię.  
 Omnes laudent vnde gaudent  
 Matrem Dei virginem,  
 Nullus fingat, quod attingat  
 Eius celsitudinem.  
 Sed necesse (quod prodesse  
 Pijs constat mentibus)  
 Vt intendam quod impendam  
 Me ipsius laudibus.  
 + Quamvis sciam quod Mariam  
 Nemo dignè prædicet:  
 Tamen vanus & insanus  
 Est qui illam reticet.  
 Cuius vita erudita  
 Disciplina cœlica,  
 Argumenta & figmenta,  
 Destruxit hæretica,  
 • Huius mores tanquam flores  
 Exornant Ecclesiam,  
 Actiones & sermones,  
 Miram præstant gratiam.

Euxæ crimen nobis limen  
 Paradisi clauferat:  
 Hæc dum credit & obedit,  
 Cœli claustra referat.  
 Propter Euam, homo læuam  
 Accepit sententiam:  
 Per Mariam habet viam  
 Quæ ducit ad patriam.  
 † Hæc amanda & laudanda,  
 Cunctis specialiter:  
 Venerari, prædicari  
 Eam decet iugiter.  
 Ipsa donet, vt quod monet,  
 Natus eius, faciam:  
 Vt finita carnis vita,  
 Lætus hunc aspiciam,

## S E C V N D A P A R S.

O Cunctarum sceminarum,  
 Decus atque gloria:  
 Quam electam & euectam  
 Scimus super omnia.  
 Clemens audi, Tuæ laudi,  
 Quos instantes conspicias:  
 Munda reos, & fac eos,  
 Donis dignos cœlicis.  
 Virga lesse, spes oppressæ  
 Mentis, & refugium:  
 Decus mundi, lux profundi,  
 Domini sacrarium.  
 Vitæ forma, morum norma,  
 Plenitudo gratiæ.

Dei templum & exemplum

Totius iustitiæ.

Virgo salve per quam valuz

Cœli patent miseris.

Quam non flexit, nec allexit

Fraus serpentis veteris.

† Generosa & formosa

Dauid Regis filia,

Quam elegit Rex, qui regit

Et creauit omnia.

Gemma decens, rosa recens

Castitatis Liliū.

Castum chorum ad polorum,

Quæ perducis gaudium.

• Actionis & sermonis

Facultatem tribue :

Vt tuorum meritorum,

Laudes promam strenuè.

Opto nimis vt inprimis,

Des mihi memoriam,

Vt decenter & frequenter

Tuam cantem gloriam.

Quamuis muta & polluta

Mea sciam labia.

Præsumendum nec silendum

Est de tua gloria.

† Virgo gaude, omni laude

Digna & præconio.

Quæ damnatis, libertatis

Facta es occasio.

Semper munda & fecunda,

Virgo tu puerpera,

Mater alma, velut palma  
 Florens & fructifera.  
 • Eius flore & odore,  
 Recreari cupimus.  
 Cuius fructu nos à luctu  
 Liberari credimus.  
 Pulchra tota, sine nota  
 Cuiuscunque maculæ;  
 Fac nos mundos & iocundos,  
 Te laudare sedulè.  
 O beata, per quam data  
 Noua mundo gaudia,  
 Et aperta, fide certa,  
 Regna sunt cœlestia.  
 ✠ Per te mundus lætabundus,  
 Nouo fulget lumine:  
 Antiquarum tenebrarum  
 Exutus caligine.  
 Nunc potentes sunt egentes,  
 Sicut olim dixeras,  
 Et egeni, fiunt pleni,  
 Vt tu prophetaueras.  
 • Per te morum nunc prauorum,  
 Delinquantur deuia.  
 Doctrinarum peruersarum,  
 Pulsa sunt præstigia.  
 Mundi, luxus, atque fluxus,  
 Docuisti spernere,  
 Deum quæri, carnem teri,  
 Vicijs resistere.  
 Mentis cursum, tendi fursum  
 Pietatis studio.



Corpus анги motus frangi,  
Pro cœlesti præmio.

† Tu portasti, inter casti  
Ventris claustra Dominum  
Redemptorem, ad honorem,  
Nos reformans pristinum,  
Mater facta, sed intacta  
Genuisti filium,  
Regem Regum atque regum  
Creatorem omnium.  
Benedicta, per quam victa  
Mortis est versutia,  
Destitutis Spe salutis  
Datur indulgentia.  
Benedictus Rex inuictus:  
Cuius mater crederis:  
Qui creatus ex te natus,  
Nostri salus generis.

## TERTIA PARS.

R Eparatrix, consolatrix  
Desperantis animæ  
A pressura, quæ ventura  
Malis est, nos redime.  
Pro me pete, vt quiete  
Sempiterna perfruar,  
Ne tormentis comburentis  
Stagni miser obruar.  
Quod requiro, quod suspiro,  
Mea sana vulnera,  
Et da menti te poscenti,  
Gratiarum munera.

Ut sim castus, & modestus,  
 Dulcis, blandus, sobrius,  
 Pius, rectus, circumspectus,  
 Simulatis nescius.  
 Eruditus & munitus,  
 Diuinis eloquijs,  
 Timoratus & ornatus  
 Sacris exercitijs.  
 † Constans grauis, & suauis,  
 Benignus, amabilis,  
 Simplex, purus, & maturus,  
 Patiens & humilis.  
 Corde prudens, ore studens:  
 Veritatem dicere;  
 Malum nolens, Deum colens,  
 Pio semper opere.  
 Estο tutrix, & adiutrix  
 Christiani populi.  
 Pacem præsta, ne molesta  
 Nos perturbent seculi.  
 Salutaris Stella maris,  
 Summis digna laudibus.  
 Quæ præcellis, cunctis stellis,  
 Atque luminaribus.  
 Tua dulci prece fulci,  
 Supplices & refoue.  
 Quicquid grauat, vel deprauat,  
 Mentis nostras, remoue.  
 Virgo gaude, quod de fraude  
 Dæmonum nos liberas,  
 Dum in vera, & sincera  
 Deum carne generas.

Illibata & dotata,  
Cœlesti progenie,  
Graudata, nec priuata  
Flore pudicitia.  
Nam quod eras, perseueras,  
Dum intacta generas,  
Illum tractans atque lactans,  
Per quem facta fueras.  
Commendare me dignare,  
Christo tuo filio.  
Vt non cadam, sed euadam,  
De mundi naufragio.  
Fac me mitem, pelle litem,  
Compesce lasciuiam.  
Contra crimen da munimen,  
Et mentis constantiam.  
+ Non me liget, nec fatiget,  
Seculi cupiditas,  
Quæ indurat & obscurat,  
Mentes sibi subditas.  
Nunquam ira, nunquam dira  
Me vincat elatio,  
Quæ multorum fit malorum  
Frequenter occasio.  
Ora Deum, vt cor meum,  
Sua seruet gratia.  
Ne antiquus inimicus,  
Seminet zizania.  
Da leuamen, & iuuamen  
Tuum illis iugiter:  
Tua festa, siue gesta,  
Qui colunt alacriter.

## LIBER SEPTIMVS.

De varia meditationum piarum materia, cuius hominum statui apta.

### C A P V T I.

*Meditationes quotidiana, iuxta ordinem dierum hebdomadae, de Vita ac Virtutibus Christi Domini nostri.*

### P R Æ F A T I O.

**I**Nter omnia pietatis veræ Exercitia, Christiane Lector, nihil præstantius, nihil Deo gratius, hominiquè vtilius, ac magis necessarium, & ad bene beateque viuendum accommodatius esse potest, quàm se diligenter in assidua vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi meditatione exercere. Id quod non modò sanctissimorum & eruditissimorum hominum exempla & doctrina, sed ipsa etiam experientia rerum magistra luculenter ostendit, atque confirmat. Si enim vitia vis fugere, & peccata declinare: tecum expende, quid non egerit ac passus sit triginta tres annos vni-  
genitus Filius Dei, vt te à peccatis ac vitijs omnibus liberaret. Si humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam, charitatem, cæterasque Christi virtutes amas, ipsiq; animum tuum ornare desideras, inspice viuum & absolutum omnis virtutis exemplar Dominum tuum Iesum Christum. Si verò



vis mundum, & ea quæ in mundo sunt, contemneret, ac pro nihilo ducere, serîo tecum cogita qualem in hoc mundo vitam Christus Dominus egerit, quàm pauperem, quàm vilem & abiectam, quantilquæ laboribus & doloribus plenam, quas infidias & calumnias, qualem denique mortem tui amore, tuæquæ salutis causa pertulerit. Si denique ad Dei amorem & gratiarum actionem te velis excitare atque inflammare, quid (quæso) efficacius, quàm Christi vitam & passionem, & quàm multa atque immensa ex illis beneficia simus consecuti, sedulò meditari? Vt non immeritò dixerit Apostolus: Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes. Et D. Petrus; Christo, inquit, passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.

Cæterum vt maiori cum fructu meditationibus istis vtaris, Christiane Lector, talis erit in ijs tibi seruanda ratio, vt ante orationem, præsertim pridie vesperi, antequam incumberas, vel certè ipso Orationis tempore, primò quidem puncta omnia illius diei perlegas, deinde verò in illius contemplatione diutiùs hæreas, in quo magis perlegendo afficiebaris. Meditans porrò de virtute aliqua, sedulò tecum perpendas, quàm studiosè Christus seruator tuus se in ea exercuerit, tibi exemplum præbens, vt vestigijs ipsius diligenter insistas. Atque tunc ipse tecum statues, ad eius imitationem

tionem præsentis illo die, in eadem virtute aliquem progressum facere. Dabilisq; operam sæpius interdum, conceptum propositum in mentem reuocare, atque occasiones non negligere, quibus in ea te virtute exerceas. Puncta autem quinque sunt: Primum ex Christi infantia, secundum ex eius vita; tria deinceps sequentia ex eiusdem passione desumpta.

*Die Dominico, de humilitate Christi.*

**P**rimò cogitabis, quanta humilitate Dei Filius, summus ille totius mundi monarcha è cœlis in virgineum humilis Virginis Mariæ vterum descendit, atq; seipsum exinanierit; formam serui accipiens. Rogabis proinde eundem illum Dominum, vt veram humilitatem donet, gratiamq; tibi infundat, qua superbia omnis, inanis gloria, atque tui ipsius complacentia ex corde tuo radicitus euellantur: considerabilisq; tecum sæpenumero, quot quantisq; adhuc imperfectionibus sis obnoxius, quàm miserè in vitia quotidie labaris, quàm denique parum hactenus in virtutibus promoueris.

Secundò considerabis, quanta animi demissione à Ioanne Baptista se baptizari sit passus; haud aliter quàm si homo peccator fuisset indigens purgatione aut expiatione: qui tamen Deus verus & homo, ab omni prorsus forde peccati immunis, ipsi etiam Ioanni gratiam omnem qua præditus erat contulerat. Tu igitur vermiculus cum sis, creatoris tui

exem-

exemplo, quibusuis, qui te vel docent, vel hortantur, vel reprehendunt, subijcitor, etiam si multo te sint & inferiores & imbecilliores.

Tertiò, summam illam humilitatem perpende, qua instante passionis tempore, humanam suam exponens infirmitatem, animi sui tristitiam Apostolis declarauit, cum diceret: Tristis est anima mea usque ad mortem: cum tamen ille ipse sit, qui vera lætitia tam eos qui in cœlis, quam qui in terris degunt, perfundit. Disce igitur non nimium tibi fidere, neque in tentationibus, quæ vel exterius vel interius obueniunt, de te ipso plus æquo præsumere, sed submisse de te sentiens, aliorum sana consilia non vereare & petere & amplecti.

Quartò considera, quàm humiliter Christus Dominus omnium potentissimus, velut homo ab omni auxilio destitutus, in terram se prostrauerit; Patremque suum, ut nostra expiaret crimina, illachrymans orauerit; & præ amoris magnitudine, sanguineum sudorem largiter emiseric. Ea propter etiam tu in quavis tribulatione & cordis angustia, humili oratione te ad Christum seruatorem conuer- tas, nihilque tibi amore illius indulgeas, te totum eius voluntati consecres.

Quintò intuere, quam fuerit humilis illa resignatio, qua voluntatem suam cœlesti Patri (cui tamen ut Deus æqualis erat,) promptissimè obtulit, ita dicens: Non mea, sed tua volun-

voluntas fiat: quamque non fuerit dedignatus Angeli consolationem seu confortationem admittere, qui alioqui totius orbis est consolator, omneque in agone confortat. Igitur & tu profunda humilitate, Dei te voluntati submittas, omnibus in rebus, quæ vel interius vel exterius euenire possunt magna cum fiducia consolationem cœlestem expectans.

*Sub finem meditationis, ealem orationem adiungito, pro vera humilitate impetranda.*

**D**omine Iesu Christe, Fili Dei viui, ipse verus Deus & potentissimus rerum omnium conditor & moderator, qui, vt humilitatis nobis exemplum relinqueres, è sublimi cœlo in hanc terram descendisti, humanam nostram infirmitatem atque abiectionem assumens, à seruoque tuo Ioanne, velut impurus peccator, baptizari voluisti, & passione tua iam instante charis discipulis, cordis tui tristitiam patefecisti, prostratusque in terram, sudore sanguineo emisso, humillimè voluntatem tuam in voluntatem Patris resignasti; aliæque quàm plurima egisti, quæ summæ humilitatis sunt argumentum: Precor, vt profundam mihi dones humilitatem, qua me omnibus facillè lubensque subijciam, neque altè de meipso sentiam, sed vilis sim abiectusque semper in oculis meis, & talis ab omnibus haberi cupiam. Qui cum Deo Patre in vniuersitate Spiritus sancti, viuis & regnas Deus in secula benedictus, Amen.



*Feria secunda de mansuetudine Christi.*

**P**rimum, eam mansuetudinem diligenter expende, qua innocens ille puerulus iam recens natus, orbi se ostendit, licet inimicissimo. Ora eundem ipsum vt veram innocentiam, & cordis mansuetudinem donare dignetur.

Secundò cogita, quanta mansuetudine, quantaque modestia cum Apostolis suis, licet imperitis ac simplicibus, versatus sit: tam verbis quam factis mansuetudinem omnem præferens; quamque mansuetè Iudæorum captiosis & malignis quæstionibus responderit. Quocirca etiam tu summa modestia animiq; mansuetudine cum omnibus versari discas, neque verbo, neque opere vllum immodestix signum præbeas, quantumcunque tibi verbis ac factis aduersentur.

Tertiò, vide, quàm mansuetè Iudam proditorem sit osculatus, & se capiendum hostibus benignè obtulerit; omniaque corporis membra stringenda præbuerit. Proinde & tu mansuetè & amicè his omnibus occurras, qui te vel spernunt, vel ludibrio habent, quantumvis grauem tibi irrogauerint iniuriam.

Quartò, qua sit vsus mansuetudine considera, dum coram impio Anna ligatus staret; quàm mansuetè ipsi insidiosè interroganti responderit; ac diram sit alapam perpassus. Quapropter etiam tu mansuetè feras, si quando tibi duriter respondeatur: etiam si rectè tibi

tuo quidem iudicio, aut fecisse, aut dixisse videaris.

Quintò illam quoq; mansuetudinem perpende, quam in ædibus Caiphæ singularem exhibuit, in omnibus illis occultis pœnis ac illusionibus: cùm videlicet facies illa suavissima, in quam desiderant Angeli prospicere, tam ignominiosè velaretur, alapis & colaphis crudeliter cæderetur, & tam fœdè conspueretur, alijsq; id genus multis tormentis afficeretur, quæ nulli vnquam mortalium innotuerunt. Tu igitur discas mansuetè ferre, quidquid molestiarum vel interiùs vel exteriùs occurret. Atq; si occultè tibi quispiam molestus sit, magna id æquabilitate, animi alacritate, hilariq; vultu sustineas, ob amorem amici Saluatoris, & dilectissimi animæ tuæ sponsi, Iesu Christi Domini nostri.

*Finita meditatione, ita precabere, pro mansuetudinis Virtute obtinenda.*

**D**omine Iesu Christe, præclarum omnium virtutum exemplar, qui summam semper omnibus mansuetudinem præbuiisti, tam in natiuitatis tuæ exordio, quando te mundo ostendisti inimicissimo, quam per totam reliquam vitam, in qua modestiâ summa cum discipulis rudibus, & Iudæis continenter insidiantibus, versatus es: quàm denique passio- nis tempore, cùm & proditorem Iudam mansuetissimè deosculabaris, & Iudæis eadem semper modestia teipsum exhibebas quan-  
tum-

tumuis duriter ligarent, cæderent, in faciem conspuerent, multasq; irrogarent iniurias: Rogo humillimè vt veram mihi largiaris mansuetudinem, qua sedato animo mea omnia peragam, modesteq; me apud alios habeam, atq; mansuetè cum omnibus verfer, siue benignè, siue durius mecum agant. Qui viuis & regnas cum Deo Patre & Spiritu sancto Deus, in omnia secula, Amen.

*Feria tertia de patientia Domini.*

**P**Rimò, diligenter aduerte singulare patientiæ exemplum, quod tibi in tenerrima illa ætate, nimirum in sua circumcissione præbuit, in qua preciosum suum sanguinem benignè pro nobis fundens, graui illo vulnere tenellus adhuc infantulus afflictus fuit. Idcirco in te vitia omnia, omnes prauas affectiones, omniaque mala desideria circumcidere & amputare stude: Et sicut Christus legem ex animo perfecit, ita etiam tu ne ad latum vnguem à tibi præscriptis viuendi legibus deflecte; quin potius ad eas temetipsum compone, licet id naturæ nonnunquam molestum videatur.

Secundò cogita, quanta patientia Iudæorum omnes iniquas persecutiones tolerarit, quando eum truculento vultu contuebantur, quando dæmonio obsessum dicebant, quando nunc lapidibus eum obruere, nunc de monte præcipitare satagebant. Esto & tu ergo patients in omnibus ijs, quæ tibi occurrunt,

mole-

molestijs. Atque æquabilem te præbeto, modestum & quietum in omnibus quæ obijciuntur tibi, vel impinguntur.

Tertiò contemplare, quanta fuerit eius patientia in domo Pilati, quando tot conficta mendacia & iniquas calumnias patientissimè sustinuit. Si quando itaque tibi falsum crimen obijcitur, aut quavis alia iniuria, præter meritum afficeris, ita vt contemnaris, vilis vel etiam improbus habearis, tunc verbo illo Saluatoris te solare: Non est discipulus super magistrum suum, nec seruus maior domino suo: & illo, quod ad Pilatum dixit: Regnum meum non est de hoc mundo; Ac proinde nec hic vllum quæras honorem.

Quartò considera, quam patienti animo probra, iniurias, atq; irrisiones in domo Herodis perpeffus sit; & quo pacto ad Pilatum, non aliter atque stultus & delirus, per plateas deductus, omnium risib. fuerit expositus; neque in his omnibus, vel verbulum responderit, aut vllum impatientiæ signum exhibuerit. Sic tu patienter taceas, etiam si ob id simplex, rudis, vilis, imperitus ac stultus reputeris.

Quintò meditare, quanta crudelitate sponfus, atque Saluator animæ tuæ, columnæ alligatus, quanta patientia durissima illa verbera propter te sustinuerit. Disce igitur etiam tu confusionem omnem, quocunque modo ea tibi acciderit, non solum infracto animo tolerare, sed ob Christi amorem libenter illi teip-



sum subijcere. Disce omnem incommoditatem, dura verba, & quicquid tibi aduersi acciderit, æquanimitè sustinere. Disce, nec verbera, si quæ Christi amore inferantur, refuge-  
re: memor tot tantarumque plagarum, quas redemptor tuus Christus amore tui accepit.

*Subiunges deinde Precationem eiusmodi pro dono Patientia.*

**D**omine Iesu Christe patientiæ speculum, & auctor omnium bonorum, qui tener infantulus circumcisionis dolorem patientissimè tulisti, in omnibusque Iudæorum conuitijs, & quas intulerunt, plagis atque diris flagellis, infractum semper animum & benignum exhibuisti: Obsecro, vt hanc mihi infundas gratiam, qua summa constantia quæ Christianum hominem, officiumque meum decent, perficiam, iniurias omnes illatas fortiter perferam, neque prorsus ad vllas aduersitates commouear, sed æquabili sim animo, tam in contrarijs, quam in rebus secundis. Qui viuus & regnas cum Deo Patre, in vnitæte, &c.

*Feria 4. de Obedientia.*

**P**rimò, hic de obedientia trium Regum cogitabis, qui statim visa stella, regnis, diuitijs, patriaque relictis, ad exterarum regionum profecti, recens natum Regem inquisierunt, inuentumque oblati muneribus prostrati in terram adorauerunt. Et tu igitur in primis summa diligentia internas inspirationes, &

sancti Spiritus pias suggestiones obseruato: deinde sedulo, quod admonent, perficito, Deoque voluntatem tuam in omnibus offerre studeto.

Secundo, ad Christi Domini tui attende obedientiam, quod nulla in re sibi Christus pepercerit, ut Patris voluntatem perficeret, in ieiunijs, in vigilijs, orationibus, concionibus, fatigationibus, quas pro conuertendis peccatoribus, perpeffus est. Quid multis? Adeo prompte Patri in omnibus obtemperauit, ut dicere sit solitus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, &c. Neque tu igitur laborem vllum detrectes, qui tibi ex obedientia obeundus est: nec vllis impendijs parcas, ut proximi saluti consulas, quantumuis id tibi molestum videatur.

Tertio, obedientiam summam Christi Saluatoris admirare, quam non solum Patri eterno ad mortem vsque crucis prestitit: verum etiam impijs tortoribus quando illis purpuram induentibus morem gessit; iussus sedere, obtemperauit; imponentibus coronam spinenam, inclinauit caput, & arundinem contumeliosè oblatam benignè suscepit; atque ita in cæteris, quantumcunq; duris & acerbis, promptè obsequutus est. Libenter igitur tu quoque illis obtempera, in iis quæ salua & bona conscientia, ac citra peccatum vllum, facere queas: & facilem ac promptum te illis exhibe, qui operam tuam expetunt, in quocunq; negotio, quantumuis molesto.

Quartò, illam non leuiter pertranneas obedientiam; qua Præsidis Pilati iulsiõne, ad populum ridendus ab omnibus Rex gloriæ processit, ludicra illa purpura indutus, spinea corona redimitus, arundinem in manibus gestans, totoque corpore misere dilaniatus. Quanta hic confusione perfundebarur omnium ludibriis expositus, quamque grauiter aures eius percutiebant crudeles ille durissimæque voces, quibus omnes illi acclamabant: Crucifige, Crucifige eum; Esto igitur & tu obediens in toleranda quauis confusione & contumelia, à quocunq; siue meritò, siue immeritò illata.

Quintò cogita, quanta obedientia summus ille iudex viuorum & mortuorum, inquam mortis sententiam susceperit, ab Ethnico & impio iudice: Ideò & tu Dei in primis, deinde maiorum tuorum voluntatem in omnibus lubens perface, ad mortem vsq; obedire paratus esto; nihil vana aliorum iudicia, nihil verba aliorum reueritus, à cœpto desiste, aut insyncerè quippiam age; quin potius tibi persuasum habe, hanc Dei esse voluntatem, nec quenquam in te vllam habere potestatem, quæ non sit data desuper.

*Orabis denique tali modo pro obedientis  
Civitate.*

**D**omine Iesu Chrifte, summæ totius orbis Imperator; cur ad nutum omnia obediunt; cui te Reges inclinant; & cui sublu-  
Z cun-

cunctæ prorsus creaturæ: Rogo te per insignem illam obedientiam, quæ te totum ita Patris voluntati subdidisti, ut fatereris esse cibum tuum, eius iussione implere: neque illi tantum paruisti, verum etiam hominibus quantumvis improbis, ut iudici Pilato in suscipienda mortis sententiæ & impijs tortoribus in his, quæ ad inferendas poenas inique præcipiebant. Rogo, inquam, ut gratiam mihi largiaris, qua tuis in primis sanctissimis mandatis, & pijs internis Spiritus sancti suggestionibus obtemperem, cœcæ, velocem, alacrem, atque humilem obedientiam superioribus meis libenter præstem. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, & Spiritu sancto Deus, in omnia secula benedictus, Amen.

*Feria 5. de amabili benignitate Christi.*

**P**rimò considera, quàm amabili Christus benignitate in illius senis Simeonis vlnis, præsentatus in templo, requieuerit: precare, ipsum, ut in vlnis animæ tuæ quiescens, dulcedinem cordis tibi largiatur, & benignitatem amabilem, qua cum omnibus hominibus suauiter & amanter verberis.

Secundò, benignitatem illam tecum expe-  
pende, qua simplicium discipulorum, adeoque ipsius proditoris Iudæ pedes, positos in terræ genibus, & lauerit, & terferit, & osculatus sit: qua etiam Apostolis, & nobis omnibus in perpetuam suæ passionis, suæque erga nos immensæ charitatis memoriam, seipsum in Sa-



cramento Eucharistiæ dederit, qua deniq; benignitate eisdem ob discessum passionemque suam iam contristatos, in extrema cœna consolatus sit; Da ergo operam benignam & affabilem te exhibere omnibus hominibus, etiamsi duro & alieno à te animo esse videntur.

Tertiò, considera, quàm benignè ingens peccatorum nostrorum pondus in te suscepit; ponderosam illam crucem in terram acclivis benignè portarit, quamque amicè ad mulieres conuersus, eas compellauerit, dicens: Filix Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, &c. Proinde hilari ac benigno animo iugum Domini Saluatoris sine obmurmuratione suscipito, neq; vnquam tibi plus impositum esse causare, quàm merueris, aut ferre queas. Præterea, si quando aliquis operam tuam deposcat, non te morosum, aut difficilem, sed benignum exhibe: neque desidera, vt quis tibi compatiatur; quin potius tu alijs omnibus compatere, & quo ad eius fieri poterit subueni.

Quartò, expende, qua benignitate iam iam cruci affigendus, crudeles illos tortores iuauerit, dum illi vestes, vulneribus inhaerentes, tam immaniter detraherent. Sis itaque etiam tu benignus illis, qui vitia tua: tuosque defectus tibi aperiuunt: nec tantisper expectes ea exuere, donec te vel necessitas compellat, vel quispiam acriter vrgeat; sed illicò vt aduertis, quid alius in te reprehendere velit, ne

te excusa; verum agnita culpa tua, id omniconatu emendare contende.

Quintò, considera, quam benignè & amanter Saluator tuus, in crucem tam horrendè proiectus, extenderit brachia sua, diris clavis cruci affigenda, quamq; benignè eos aspexerit, qui illum tam crudeli ac ignominiosa crucis morte afficiebant. Quocirca tu quoq; benignum, blandumq;e, atque amabilem vultum ijs omnibus præbeto, qui tibi vel maxime aduersantur, lætoq;e animo de manu Domini suscipito, quicquid aduersitatis occurrat: & vires denique tuas omnes, alacriter libenterq;e in Dei seruitium, fratrumq;e tuorum vtilitatem exponito.

*Postea autem sic orabis pro virtute Benignitatis.*

**D**omine Iesu Christe, benignissime Deus, qui summa semper amabiliq;e benignitate erga tuos vsus fuisi, quando infantulus in vlnis Simeonis quiescebas; quando Apostolorum lauabas pedes; quando crucem ponderosam baiulans, ad mulieres conuersus, eas consolabaris, vestibis spoliabaris, & manus crudeliter perforandas porrigebas. Precor te, vt etiam benignitatem amabilem mihi conferas, qua cum omnibus, prout conuenit, verser, animi summa dulcedine cum illis agam: nec auersantibus sim asperior quam fauentibus; verum amabilem dulcemq;e benignitatem omnibus exhibeam. Qui viuus & re-

gnas

gnas cum Deo Patre & Spiritu sancto Deus,  
in secula benedictus, Amen.

*Festa 6. de inestimabili ardentissimaq;  
charitate Christi Domini.*

**P**rimò, cogita diligenter, quanta Christus Dominus accensus fuerit charitate, quando, vt te hæredem constitueret regni Patris sui, profugus esse voluerit in terra aliena, furorẽ Herodis in summa paupertate, infans adhuc tenerrimus cum matre declinans. Fuge igitur, qualibet tentatione ingruente, in amabile cor Christi, eiusque aperta vulnera; in ijs ineffabilem eius bonitatem atque charitatem contemplare; è regione autem tuam abiectiõnem, malitiam, & infidelitatem; vt ex tali consideratione, superbus tuus arrogantiq; animus deprimatur; & ad Deum redamandum inflammetur.

Secundò perpende, quàm singulari dilectione omnes homines prosequatur; dum cunctos, quibuscunque premantur miserijs, aut malis; amanter ad se inuitat, vt eos subleuatos recreet: Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tu itaq; magna cum fiducia ad ipsum accede, quantumcunque te peccata grauent: sperans, si modò illi obtemperes, certo te liberatum iri. Daq; operam, vt Dei amorem in te metipso experiare, qui efficiet, vt nihil tibi durum sit aut molestum; iuxta illud D. Bernardi; Amanti nihil difficile.

Tertiò, considera tecum sedulò, quanta charitate animæ tuæ sponſus, vires suas omnes tribus continuis horis in ligno crucis suspensus exhauserit, atque ita planè sacratissimum eius corpus exaruerit, vt nihil in eo remanserit humoris. Tu ergo, vt tanto amori aliquid rependas in eius seruitium, nihil tibi parcas, sed in ijs, quæ grata illi fore cognoscis, libenter vires tuas omnes eius amore consumas. Cura autem sedulò, ne eas in proprio tuo iudicio atq; Voluntate, & prauis concupiscentiis adimplendis expendas.

Quartò, quanto amore septem illa postrema verba crucifixus protulerit, perpende, quibus ille nobis immensam charitatem, quam cordi inclusam tenebat, testatam reliquit. Esto igitur in verbis tuis Christi amore, tam modestus atque maturus; tamque verax, humilis, & benignus; vt facilè quiuis animaduertere possit, te verum Dei timorem & amorem in corde gestare.

Quintò, diligenter tecum animo versa, quam ineffabilis fuerit illa charitas, qua Deus summus, in maximis cordis angustijs, & totius mundi opprobrijs, pro te vilissimo vermiculo, illam crucis acerbissimam mortem perpeſsus fuerit. Tu qui nihil dignum tanto amore referre potes, hoc tantùm conare, vt sensualem omnem affectionem in te mortifices: radices viuorum euellas; atque ita te componas, vt mundo mortuus, soli Christo viuas, atque te totum dedas, qui ad extremam vique



ignominiam, summofq; cruciatus, feipfum totum tibi impendit, quando & fanguinem vniuerfum in tuam vilitatem profudit, & animã denique ipfam pro tua falute liberaliffimè dedit.

*Hanc demum subiungas orationem pro  
gratia charitatis.*

**D**omine Iefu Chrifte, charitas increata, qui tanto amore falutem noftram femper fitiuiſti, vt tanquam profugus in aliena terra peregrinari dignatus ſis, cuius eſt terra omnis & plenitudo eius, vt præterea omnium hominum, qui ad te veniunt, miferias & calamitates ſuſtollere, promiferis; denique poſt inuenſos noſtri cauſa exantlatos labores, etiam fanguinem vniuerfum profundere, & animã pretioſiſſimam pro nobis ponere volueris: per hæc te ſupplex oro, vt mihi veram charitatem infundas, qua te in primis ardentiffimè diligam, deinde proximum omnem in te, & propter te ſummo complectar amore; nihilque mihi in rebus vllis parcam, quibus vel tibi, vel proximo obſequium aliquod exhibere queam, quautumuis id durum ſit mihi atque moleſtum. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, & Spiritu ſancto Deus, &c.

*Die Sabbathi, de Liberalitate & Compaſſione  
Chriſti Seruatoris.*

**P**rimò, illam liberalitatem expende, qua feipſum, puer duodecim annorum in tem-

plō manifestauit hominibus, declaraturus obquam causam in hunc mundum venisset; nimirum, ut cælestis sapientiæ & diuinæ gratiæ suæ thesaurum liberaliter nobis communicaret. Semper igitur tibi ob oculos pone, quæ de causa in hunc mundum veneris: videlicet, non ut tua confecteris commoda, aut tibi plus æquo indulgeas, sed ut te potius deferas, te totum diuinæ voluntati & obsequio, proximorumque vtilitati offeras; atque aliorum commoda tuis præponas.

Secundò, ut summam Christus Saluator liberalitatem omnibus exhibuerit, aduerte. Aliquando enim in medio populi stans, ita clamauit; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: paratum se ostendens, omnibus omnium necessitatibus subuenire. Idcirco esto etiam tu erga omnes liberalis. Et si quando accadat, ut opere illis succurrere nequeas; tunc verbis pijs, atque indicijs alijs exterioribus, talem te exhibeas, ut vel sic cordis tui liberalitatem declares.

Tertio considera, ut liberalissimè tibi cordis sui pretiosum sanguinem propinarit, quædo sacro latere aperto, quicquid reliquum erat in corpore sanguinis, profudit: Tu vicissim te illi gratum præbeas; atque ob eius amorem in omnia, quæ etiam naturæ molesta sunt libenter effunde.

Quartò, de summis & internis sacratissimæ matris doloribus diligenter cogita, quanta videlicet cordis tristitia, toto illo passionis tem-

pore,

pore, affecta fuerit; quando oculis ipsa suis dilectissimum filium suum in cruce suffixum conspexit; quando in tantis angustijs, & in tantis cruciatibus morientem vidit, quando denique post mortem sinu suo eum complexa; omnia eius vulnera maximo animi more contemplan, lachrymis irrigauit. Proinde tu de sponsi sui passione sapius cogitans, sedulo eam mente reuoluens; Christo, eiusq; benedictæ matri compatere, dolorem aliquem in te excitans, quod tam ingentes cruciatu in gratiam tui saluator Christus fuerit perpeffus. Gere te interim apud omnes modestum atq; maturum, citra vllam animi vacillationem ac dubitationem, tam in aduersis, quam in prosperis, ac in omnibus quæ vel lætitiã, vel motrorem adterre possunt.

Quintò, denique perpende, quanto dolore matris ac aliorum piorum hominum, Christus Dei Filius sepultus sit. Tu igitur da operam, Christi Domini tui passionem in corde gestare; eamq; sapius mente reuolueres; præterea conscientie lûx sepulchrum frequenter vera contritione, ac oris confessione purgare; denique voluntariè ac liberali animo, in memoriam passionis Christi, pœnitentiã peccatis debitã exoluere. Omnia in laudem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus, in secula benedictus  
Amen.

*Postremo, eiusmodi ad Deum orationem fundas, pro Virtute Liberalitatis & Compassionis.*

**D**omine Iesu Christe, potentissime atque liberalissime Deus, qui summa liberalitate teipsum totum nobis donasti, quando in maximis laboribus, & corporis molestiis nihil tibi parcens, omnes sitientes ad te venire iussisti, vt aqua salutari eos potares, & liberalissime cœlestis sapientiae, diuinæque gratiae thesaurum illis communicares, denique sanguinem vniuersum, illum etiam, qui in corde interioribusq; visceribus latebat, vt te totum nobis impendere non dubitares, liberalissime effudisti: Oro vt mihi liberalem des animum, quo non solum in tuum obsequium, sed in auxilium quoq; salutemque proximorum, me totum, meaq; omnia liberaliter impendam. Fac etiam (precor) vt sedulo, & continenter passionem tuam, doloremque sanctissimæ matris in corde gestem, quorum meditatione vitam meam, Christiano homine, & vocatione mea dignam, traducam, animum que meum ita componam, vt dignus sit, in quo per gratiam tuam quiescas & habites, vnà cum Patre & Spiritu sancto, in omnia secula, Amen.





## CAPVT II.

ALIE MEDITATIONES SE-  
ptem de Passione, Morte, ac Resurrectio-  
ne Christi, in singulos dies hebdoma-  
dæ distributæ.

## FERIA 2.

**H***æc die contemplaberis lotionem pedum, & san-  
ctissimi Sacramenti institutionem.*

Confidera igitur, ô anima mea, in hac Cœ-  
na dulcissimum tuum, ac benignissimum Ie-  
sum, & inspicere stupendæ humilitatis exem-  
plum, quod hoc loco surgens à mensa, & la-  
uans discipulorum pedes, tibi præbet. O bo-  
ne Iesu, quid est, quod facis? ô dulcis Iesu qua-  
re tantopere te tua maiestas humiliat? Quid  
sensisses, anima mea, si Deum ibi ad pedes ho-  
minum, imò ad pedes Iudæ genibus prouo-  
lutum vidisses? ô crudelis Iuda, quomodo nõ  
tibi cor tam insignis humilitas emollit? Quo-  
modo non tibi viscera rumpit illa tam stupen-  
da mansuetudo? Fierinè potest, quòd iam  
omninò hunc mansuetissimum agnum ven-  
dere decreueris? Fierinè potest, quòd non sis  
modo hoc exemplo compunctus? O candi-  
dæ, & pulchræ manus, quomodo tam sordi-  
dos ac abominandos Iudæ pedes tangere po-  
testis? ô purissimæ manus, quomodo non ab-  
horretis lauare pedes, circa sanguinem ve-

strum tradendum, itineribus, & negotiationibus conspurcatis?  $\hat{o}$  beati Apostoli, quomodo nō contremiscitis, tam insignem hanc humilitatem videntes? Petre, quid facis? Forſan permittes, vt tibi pedes Dominus maiestatis lauet?

Petrus, cūm coram se Dominum in genua procumbentem videret, admirans, & obstupefactus, in hęc verba prorupit; Domine, tu mihi lauas pedes? Nonne tu es filius Dei viui? Nonne tu es mundi Creator, Pulchritudo cęli, Angelorum paradisu, remedium hominum, Splendor glorię Patris, fons & sapientia Dei in altissimis? Tu igitur mihi pedes lauabis? Tu tantę Maiestatis, & glorię Dominus, tam abiectum officium vis exercere?

Considera quoque, quo pacto peracta pedum lotionem, sacro illo linteamine, quo erat præcinctus, eos tergit: Animę verò oculis altius mentem attolle, & hic mysterium nostrę redemptionis adumbratum videbis. Inspice, qua ratione, linteamen illud totam pedum immunditiem in se attraxerit, ita vt ipsi manerent mundi, linteamen verò finito hoc officio, maculatum, ac sordidum. Quid sordidius, homine in peccatis concepto? Et quid mundius, ac pulchrius Christo Spiritus sancti opera concepto? Candidus, & rubicundus est dilectus meus, ait Sponsa, & electus in millibus. Is igitur tam pulcher, & mundus, voluit in se omnes animarum nostrarum maculas, & sordes suscipere, reddensque eas mundas,

& à peccato liberatus, ipse in cruce maculatus,  
& deturpatus mansit.

Adhæc: considera verba illa, quibus Saluator huic historiæ finem imposuit, Ioan: 13. *Exemplum dedi vobis, & quemadmodum ego feci, ita & vos facitis.* Quæ verba, non tantum ad hoc mysterium, & humilitatis exemplum, verum etiam ad omnia vitæ Christi opera, referenda sunt. Ipsa enim, omnium virtutum, eius præsertim, quæ in hoc loco magis elucet, perfectissimum exemplar est.

*De sanctissimi Sacramenti institutione.*

**V**T aliquid circa hoc mysterium intelligas, illud præsupponendum est, nullam esse creatam linguam, quæ explicare sufficiat amoris magnitudinem, quo Christus sponsam suam Ecclesiam, atq; ad eam quancumq; animarum sanctarum (nam & ipsæ etiam eius sponsæ sunt) prosequitur. Videns igitur iste dulcissimus sponsus, te iam ex hac vita migrare, suumq; aspectum illi debere subtrahere; ne absentia hæc esset obliuionis causa, hoc sanctissimum Sacramentum, in quo ipse continetur, ei memoriale reliquit, nolens, vt inter eum, & ipsam aliud, quam ipsemet, intercederet pignus, quod eius memoriam excitaret.

Item, cupiens sponsus in hac sua tam longa absentia, sponsæ suæ, ne sola maneret, societatem aliquam relinquere; huius sanctissimi Sacramenti, in quo ipsemet manet, societatem,

etatem, qua nulla præstantior esse poterat, reliquit.

Volens insuper iam tunc pro sponsa sua mortem subire, eamque sanguinis sui precio redimere, atque ditare: ut ipsa posset, quotiescunque vellet, tanto thesauro frui, eius claves in hoc Sacramento reliquit. Nam ut S. Chryostomus ait: quotiescunque ad illud accedimus, cogitare debemus, nos ad Christi latus os applicare, precioso illo sanguine potari, & eius participes fieri.

Adhæc, desiderans hic cœlestis sponsus, à sua sponsa ingenti amore diligi, hanc mysticam buccellam ordinavit, talibus verbis consecratam, ut qui dignè eam suscipit, subito hoc amore tangatur, & faucietur.

Volens quoque sponsam securam reddere, ei que illius felicitis hæreditatis gloriæ aliquod pignus dare, ut certa huius boni spe, omnes istius vitæ labores, & asperitates alacriter superaret: reliquit illi in pignus hunc ineffabilem thesaurum: qui tantum valet, quantum est illud, quod ibi se habituram sperat: ne diffideret Deum se ipsum illi daturum in gloria, ubi in spiritu vivet, si quidem non se illi in hac lachrymarum valle, ubi vivit in carne, denegavit.

Volens præterea morti vicinus testamentum condere, sponsæque suæ in suarum calamitatum remedium legatum aliquod relinquere: hoc ei legavit, quod omnibus, quæ legari poterant, utilius erat, atque pretiosius:

illicui-



liquidem in eo continetur Deus.

Denique, volens sufficientem victus provisionem animabus nostris, qua victitarent, relinquere (quia non minus indiget anima sua propria esca, ad vitam spiritualem, quam corpus sua, ad corporalem vitam transigendam) sapientissimus iste medicus, qui tam bene intellexerat, ac notum habuerat nostræ inbecillitatis pullum, hoc Sacramentum ordinavit: Quod, ob eam etiam causam, in specie alimenti instituit, ut ipsamet species manifestè indicaret, effectum, quem operatur in nobis, & quod non minus animæ nostræ illo, quam corpora suo proprio alimento indigerent.

## O R A T I O.

**B**enignissime IESU, laudo, & adoro te, & gratias ago tibi, qui ut consummares legem, Hierosolymis Pascha cum discipulis tuis manducasti, & singularis humilitatis, sanctæque dilectionis exemplum præbens, eorum pedes, fixis terræ genibus, abluisti, & ablutos, quo eras præcinctus, linteo extersisti: ut quæ discessurus ad Patrem amore nostri absorptus apud nos etiam corporaliter maneres, usque ad consummationem sæculi, nobis corpus tuum & sanguinem, sub specie panis, & vini, in Euchariæ Sacramento, stupenda liberalitate reliquisti, utinam exemplum illud tuæ profundissimæ humilitatis, cor meum penetret, & omnem altitudinem, atque arrogantiam in me prorsus deiciat. Utinam exuberantia illa  
chari-

charitatis tuæ immensæ me ad se attrahat.

Accende, dulcis Iesu, cor meum flagrantissimo amore & desiderio Sacramenti huius, vt ad illud frequenter, & dignè suscipiendum, assiduè me disponam: maximè autem circa vitæ meæ extrema, ea humilitate, reuerentia, puritate, & deuotione illud suscipiam, quibus tu suscipi voluisti: eoque contra omnes hostium insidias muniar, in gratia tua confirmet, tuo beneplacito conformet, & amore tibi inseparabiliter adhæream, vt in regno tuo, æternis gaudijs tuis perfrui merear, ad gloriam nominis tui, Amen.

F E R I A 3.

**H**Ac die contempleris Saluatoris orationem in horto, & qua ratione captus fuerit: eiusque ingressum in domum Anna, & iniurias, quas ibi passus est.

Confidera igitur ante omnia, quo pacto Cœna illa, mysterijs plena, peracta, Dominus in montem Oliuarum, orationem facturus, antequam passionis suæ prælium ingrederetur, cum discipulis suis se contulit: vt nos instrueret, in omnibus huius vitæ laboribus, & tentationibus, debere nos semper, ad orationem, tanquam ad sacram anchoram confugere: cuius virtute, vel tribulationis onus nobis auferetur, vel vires ad illud portandum, (quæ est altera gratia maior) nobis suppeditabuntur. Huius itineris comites, tres illos dilectos discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioan-

nem,

nem; qui testes suæ gloriolæ Transfigurationis extiterant, sibi asciiuit; vt illi ipsi viderent, quàm longè diuersam figuram modò, ob amorem humani generis lumeret: quise eis in illa visione tam gloriosum ostenderat.

Porrò, vt intelligerent, non minores esse animæ ipsius interiores labores, quàm quos exterius ostendere incipiebat, verba illa tanti doloris protulit: *Tristis est anima mea & que ad mortem. Sustinete hic, & Sigilate mecum.* Matt: 26. Quibus dicti, secessit Dominus à discipulis suis, quantum iactus est lapidis: & humi prostratus, summa reuerentia orationem suam in hunc modum exorsus est: *Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc: Seruantamen non sicut ego solo, sed sicut tu.* Hac autem oratione ter repetita, factus est in tanta agonia, vt inciperet sudare sanguinis guttas, quæ per totum corpus riuatim ad terram vîq; fluebant.

Contemplare igitur Dominum in hoc tanti doloris agone: & inspice, qua ratione (cū ei omnia tormenta, quæ sustinere debebat, representarentur, & tam crudeles dolores qui omnium corporum delicatissimo parabantur perfectissimè apprehenderet: cumque omnia mundi peccata, pro quibus patiebatur, & ingratitude tot animarum, quæ neque hoc tam insignè beneficium agnoscere, nec tam magno, atq; inestimabili remedio in suum commodum vti debebant, ei ob oculos proponerentur) qua, inquam, ratione sanctissima eius anima in tot ac tantas angustias fuerit reda-

sta, eiusq; sensus, ac delicatissima caro in tantum conturbata; ut omnes vires, omniaq; sui corporis elementa dissoluerentur: ita ut benedicta caro, vndiq; aperta præberet exitum sanguini, qui ex omnibus partibus in tanta copia effluxit, ut ad terram vsque decurreret. Quod si caro, quæ ex sola repercussione hos dolores patiebatur, talis mansit; qualis, obsecro, manebat anima ipsa, quæ eos directè sufferebat?

Considera deinde, quo pacto, oratione finita, accesserit amicus ille fictus, cum illa infernali caterua, officio Apostolatus renuncians, & exercitus Sathanæ dux, & antesignanus factus. Vide, quàm impudenter omnes præcesserit bonumque Magistrum accedens, tradiderit eum osculo pacis. In illa hora dixit Dominus his, qui se comprehensuri venerant, Luc: 22. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & suffibus. Cum quotidie vobiscum sum: in templo non extendistis manus in me.* Istud est magnæ admirationis mysterium. Quæ enim res magis stupenda, quàm videre Dei filium, non solum peccatoris, verum etiam condemnati imaginem sumere: *Hæc est, ait ille, hora vestra, & potestas tenebrarum.*

Ex quibus verbis colligitur, innocentissimum illum agnum illa hora traditum fuisse in potestatem principum tenebrarum, qui sunt Dæmones, ut per suos administratos omnia tormenta, & crudelitates, quas vellent, in eum exercerent. Cogita ergo modò quouq; cel

litudo



fitudo illa diuina, propter te se deiecit: siquidem ad omnium malorum extremum, quod fuit, in potestatem Dæmonum tradi, deuenit. Et quia ista erat pœna, quam tua peccata merebantur, ipse eam subire voluit, vt tu liber ab illa remaneres.

His verbis dictis, subito totus ille luporum famelicorum grex, in illum agnum mansuetissimum irruit. Alij eum ab vna parte arripiunt, alij ab alia, vt quisque poterat. O quam inhumaniter eum tractabant; quam iniuriosa verba contra eum proferebant: quot eum percussioibus onerabant, atq; impulsioibus affligebant; quos clamores, ac vociferationes extollebant, sicut facere solent victores capta præda. Arripiunt sanctas illas manus, quæ tot paulò antè mirabilia operatæ fuerant, easque fortiter nodis strictioribus ligant, quousque brachiorum pellem detraherent, & sanguis erumperet, sicq; eum per vias publicas, cum summa ignominia, ligatum ducunt.

Contemplare eum benè, qualis per hoc iter incedat: à discipulis derelictus, inimicis associatus, accelerato gressu, anhelitu crebrò, colore immutato, facie iam accensa ac rubore suffusa, præ nimia incessus velocitate. Considera, (etiã si tam malè tractaretur) tantam in facie modestiam, tantam in eius oculis grauitatem, & vultum illum diuinum, qui in medio omnium iniuriarum mundi, nunquam obscurari potuit.

Perge statim cum Saluatore ad Annæ domum,

mum, & inspicere, quomodo, cum ibi Dominus ad interrogationem, qua eum de doctrina, & discipulis suis Pontifex interrogauerat, modestè ac ciuilitè respondisset, vnus ex illis peruersis militibus, qui præsentes aderant, eius faciei ingentem alapam inflixit, dicens: *Sic respondes Pontifex? Ioanis 18.* Cui Saluator benignissimè respondens: *Si malè, inquit, locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem, benè, quid me cadis?* Intuere igitur hic, o anima mea, nõ solum responsi illius mansuetudinè, verùm etiam diuinum illum vultum, vi illius impressionis sigillatum, ac rubore suffutum; illam oculorum modestiam, qui in tanta ignominia, tam sereni, & absque perturbatione manserunt: & denique illam sanctissimam animam interius humilem, & paratam, alteram maxillam percutiendam præbere, si eam percutere carnifici placuisset.

## O R A T I O.

**C**lementissime Iesu, quis ego sum, vt tu Deus omnipotens, & immensus pro me, qui non misericordiam, sed iustitiam, non salutem, sed damnationem merueram, te ipsum ad passionem & mortem offerres? vnde hoc mihi peccatori, vt hinc ardore æstuantissimæ charitatis, & desiderio patiendi, languere, & deficere: illinc terribilium poenarum immanitate, pauere, tædere, & mœstus esse; sanguineo sudore madere, vltroque proditori, sanguinem tuum sitienti, occurrere: vincula,

tunsi-

tunfiones, iniurias, quibus te proteruè strin-  
gebant, & incessabant, non vlcisci, diram ala-  
pam à vili, & abiecto homuncione patientif-  
simè ferre volueris. Pro hac tua immensa  
charitate, & mansuetudine, pro hac tua tristi-  
tia, pauore, & agonia, pro his vinculis, iniu-  
rijs, & contumelijs, pro singulis, lachryma-  
rum, & sanguinei sudoris tui guttis, te adoro,  
te laudo, te benedico, tibi gratias ago, beni-  
gnissime Iesu: & oro, vt miseram hanc, &  
miserabilem seruitutem meam, qua constri-  
ctus teneor, respicere digneris.

En, inter quot pericula versor: quot vitijs,  
& concupiscentijs subiaceo: qua peccandi  
consuetudine quasi captiuus teneor, quanta  
corruptione interioris hominis, vt vinctus,  
trahor. Respice me, Domine, & virtute tua  
omnium hostium meorum vires prosterne.  
Da, vt me tundi, cædi, & flagellari à te pijs-  
simo Patre non modò non querar, sed aduersa  
omnia de manu tua hilariter suscipiam. Da,  
vt exsudent omnia interiora mea sanctas cõ-  
tritionis lachrymas, vt dignè defleam, quòd  
hactenus tuæ erga me misericordiæ, & chari-  
tati tam ingratus extiti. Libera me denique  
ab omni captiuitate peccati, & vinculis man-  
datorum tuorum, indissolubili nexu amoris  
me tibi constringe: vt te solum cogitem,  
te solum concupiscam, ad te solum  
suspirem, atque anhelem, in  
te solo requiescam,  
Amen.

## F E R I A 4.

**H**Ac die considerabis Domini presentationem coram Caipha Pontifice, labores & afflictiones totius noctis: negationem Petri, & ad columnam flagellationem.

Ante omnia considera, quo pacto à prima domo Annæ, ducitur Saluator ad alteram Caiphæ Pontificis. Vbi operæpretium erit, vt eum comiteris; & ibi videbis solem iustitiæ eclipsin passum, & faciem illam diuinam, in quam desiderant Angeli prospicere, sputis infectam.

Nam cum Saluator, per nomen Patris adiuratus, vt quisnam esset, aperiret, ipse verò, quòd oportebat, respondisset: illi, qui tam sublimi responso indigni erant, tantæ lucis splendore obcœcati, contra eum, tanquam canes rabidi, se conuertunt, & in illum omnes suos impetus, & iras exonerant. Ibi omnes certim eum colaphizant: ibi suo infernali ore in illam diuinam faciem spuunt: ibi velant eius oculos, & infligentes ei alapas, eiq; illudentes, dicunt: Prophetiza, quis est, qui te percussit? O mira filij Dei humilitas, & patientia: ô Angelorum pulchritudo, faciesne erat ista, in quam spuere tur? Ad fordidiorem domus angulum solent homines faciem conuertere, cum spuere volunt: in totone ergo palatio illo non fuit repertus sordidior locus ad spuendum, quam facies tua? Quomodo non te humilitas tali exemplo, puluis, & cinis?

Post



Post hæc, considera labores & afflictiones quas tota illa ærumnosa nocte Saluator passus est. Milites enim, qui eum custodiebant, irridebant illum (vt S. Lucas dicit) & hanc sibi occupationem assumebant, ad superandum noctis somnum, vt iocarentur, & luderent cū Domino Maiestatis. Inspice ergo, ô anima mea, qua ratione tuus dulcissimus sponsus expositus est, tanquam scopus, sagittis tantarum percussionum, & alaparum, quas ibi ei infligebant. O nox crudelis, ô nox inquieta, in qua, O bone Iesu, nec tu dormiebas; nec dormiebant illi, quibus solatium erat, torquere te. Nox facta, & instituta fuit, vt in ea creaturæ omnes solatium caperent, & sensus ac membra, totius diei laboribus defatigata, conuiescerent: & hanc sumunt nunc iniqui isti ad torquendum omnia tua membra: percutientes corpus tuum, affligentes animam tuam, manus tuas ligantes, colaphizantes vultum tuum, in faciem tuam spuentes, omnesque sensus tuos cruciantes: vt eo tempore, quo omnia membra quiescere solent, omnia in te paterentur, & laborarent.

Quam diuersæ Matutinæ Laudes sunt hæc, ab illis, quas in eadem hora cantabant tibi in celo Angelorum chori: ibi dicunt, Sanctus, Sanctus; hic verò, Pereat, pereat, Crucifige, crucifige eum. O Angeli paradisi, qui has, & illas voces audiebatis, quid sentiebatis, videntes ita male tractatum in terris eum, quem vos, cum tanta veneratione, suspicitis in cœ-

lus? Quid sentiebatis, videntes, Deum talia pati pro ipfimet, qui ea inferebant? Quis vnquam tale charitatis genus audiuit, vt patiatur aliquis mortem, ad liberandum à morte eundem, qui eam irrogat?

Aucti sunt insuper illius dolorosæ noctis labores, & afflictiones, negatione Petri. Ille tam familiaris amicus: ille electus ad gloriam Transfigurationis videndam: ille inter omnes totius Ecclesiæ Principatu honoratus ille, inquam, primus omnium Apostolorum, non semel, sed ter, in eiusdem Domini præsentia iurat, atq; deierat, se nec agnoscere eum, nec scire, quis nam sit? O Petre, tam nequam homo est ille, qui ibi stat, vt eum vel agnouisse, tanto tibi dedecori ducas? Vide, quòd hac ratione tu eum prius, quàm Pontifices condemnas: quandoquidem ostendis, eum esse huiusmodi personam, quam te pudeat agnouisse. Quæ igitur maior ignominia potuit esse, quàm hæc?

Conuertit se tunc Saluator, & inspexit Petrum. Rapiuntur eius oculi, & in eam ouiculam, quæ perierat, conijciuntur. O aspectus admirandæ virtutis. O aspectus tacitus, sed miram in modum significatiuus. Bene intellexit Petrus, illius taciti aspectus emphasim, & voces: quandoquidem galli voces non potuerunt eum excitare, hæ verò potuerunt. Sed non tantum loquuntur, verum etiam operantur oculi Christi id quod satis Petri lachrymæ declarant, quæ non tam ex Petri, quàm

quàm ex Christi oculis profluxerunt.

Post has omnes ignominiosas iniurias, considera plagas, quas Saluator ad columnam passus est. Nam cum videret Iudex, se non posse illarum infernalium bestiarum furiam placare, decreuit ex eo tam famosum supplicium sumere, quod ad illorum tam crudelium cordium rabiem satiandam sufficeret, vt hac ratione, à petitione mortis desisterent. Ingrediaris igitur spiritu, anima mea, Pretorium Pilati, & habeas tecum paratas lachrymas, quibus multum tibi opus erit, ad ea, quæ ibi visura, & auditura es. Inspice, quo pacto crudeles illi, & viles carnifices, tanta inhumanitate Saluatorem vestibus suis spoliant; ipse verò tanta humilitate se ab eisdem denudari permittit, non aperiens os suum, nec vel vnum quidem verbum, ad tot contumelias, quas ibi ei inferebant, respondens.

Intuere, quo pacto statim illud sacrosantum corpus ad vnam columnam alligant, vt eum possent, vbi, & quomodo magis illis placuisset, commodius cedere. Inspice, quomodo Angelorum Domnium inter tam crudeles carnifices solus manserit, non habens ex parte sua patronos, neque adiutores qui eius partes tuerentur: imò (quod amplius est) neque oculos, qui ei compaterentur. Intuere, qua ratione statim, summa crudelitate, flagella sua, & verbera supra carnes illas delicatissimas expromunt: adduntur ictis ictibus, plagis plagæ, & vulnera vulneribus. Ibi videres

subitò illud sacratissimum corpus vibicibus cingi, cutem dilacerari, erumpere sanguinem & riuatim per omnes partes fluere.

Sed super omnia, quid fuisset, videre ingens illud vulnus: quod inter scapulas, ubi præcipui ictus ab eo recipiebantur, apertum erat. Considera, quo pacto statim, finita flagellatione, Dominus tegebat se, & per totum illud prætorium inquirens vestimenta sua, in præsentia illorum crudelissimorum carnificū, circuibat: cum nullus ei inferiret, neq; eum adiuuaret, nec lotionem, vel refrigerium aliquod ex his, quæ taliter vulneratis dari solent, subministraret. Hæc omnia digna sunt magna consideratione, sensu & gratitudine.

## O R A T I O

**D**omine IESV Christe æternæ gloriæ splendor, & præ filijs hominum speciose, heu, in quantam ignominiam, quantosque dolores te induxit grandis mea iniquitas, & tua immensa erga me charitas. A discipulis, & amicis tuis profugientibus, derelictus fuisti: à Principe Apostolorum tuorum negatus: apud Caipham iniquè accusatus: tumide ab eodem interrogatus, & irreuerenter adiuratus: pro vera, & sancta responsione blasphemus habitus, & quasi mortis propterea reus, iniuste damnatus: militibus custodiendus relictus, tota illa tristissima nocte, cæsus, illusus, velatus, subannatus. Dedisti genas tuas vellentibus, & faciem tuam, in quam desiderant Angeli  
pro-



prospicere, increpantibus, & conspuentibus te: dirè flagellatus toto corpore, donec neq; speciem, neque decorem haberes; &, vt leprosus, & percussus à Deo, & tanquam viro- rum omnium nouissimus reputareris.

Heu, patientissime Iesu, quomodo cutis tua tenerrima lacerata fuit? Quomodo caro tua nobilissima flagris atrocibus discerpta? Quomodo decor corporis tui prophanatus? Quomodo sanguis tuus sacrosanctus fusus, & pedibus impiorum conculcatus? Pro ludibrijs igitur, & iniurijs his omnibus; pro doloribus, & cruciatibus tuis, quos mea causa sufferebas: pro sanguine tuo, pro me tam copiose fuso, te adoro, laudo, & benedico, & gratias tibi ago, Redemptor benignissime obsecrans clementiam tuam, vt qui à foeditate sputorū faciem tuam non auertisti, non finas animam meā deinceps vitijs inquinari, quæ omnibus sordibus, & spurcitijs mundi foediora, & abominabiliora sunt: qui tam truculentis verberibus, pro me, dissectus, & discerpius es, des mihi imitari ineffabilem patientiam tuam: qui opprobriū hominū, & abiectio plebis es factus mei causa, dones mihi sanctum odium, & displicentiam mei ipsius: des, vt amem nesciri, & despectus haberi negligam, desiderem verò nomen tuum dulcis Iesu, ab omnibus cognosci, diligere, sanctificari, & honorari, Amen.

## F E R I A 5.

**H** *Ac die considerabis coronationem spinarum,*

*Ecce homo, & qua ratione Saluator noster in humeris suis crucem gestauerit.*

Ad considerationem horum mysteriorum, tantique doloris, inuitat nos sponsa in Canticis Canticorum his verbis: Cant: 3. *Egredimini, & Videte, filia Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui.* O anima mea, quid facis? ô cor meum, quid cogitas? Lingua mea, quomodo obmutuisti? ô dulcissime Saluator mi, cum ego oculos aperio, & inspicio picturam hanc tam dolorosam, quæ meis oculis obijcitur, cor meum finditur præ dolore. Quid igitur Redemptor mi? Non sufficiebant flagellationes præteritæ, mors ventura, & tantus sanguis effusus, nisi omninò spinæ elicuissent sanguinem ex capite, cui flagella pepercerant?

Vt igitur aliquid sentias tanti mysterij, & doloris, primùm tibi ob oculos propone antiquam iltius Domini effigiem, & magnam illam excellentiam virtutum: pius: & iubito teipsum conuerte, ad inspiciendum, quomodo multò aliter hic se habeat.

Intuere magnitudinem pulchritudinis eius modestiam oculorum, verborum dulcedinem, grauitatem, mansuetudinem, serenitatem, & vultum illum tantæ venerationis. Postquam autem sic illum inspexeris, & oblectatus fueris aspectu vnus tam perfectæ, tamq; omnibus numeris absolutæ figure: Conuerte oculos tuos, ad inspiciendum illum talem,

qua-

qualem hoc loco vides, purpura illa irrisionis coopertum, arundinem loco Regij sceptri in manu, & horibile illud diadema in capite gestantem, oculos illos mortis similitudinem præ se ferentes, vultum penè emortuum; & totam illam imaginem sanguine deletam, & sputis, quæ per totam faciem sparsæ erant, conspurcatam.

Inspice eum vndiq; intus & extrâ, cor doloribus transfixum, corpus plagis ac vibicibus plenum. à Discipulis derelictum, à Iudeis vexatum, à militibus derisum, à Pontificibus reprobatum, ab iniquo Rege spretum, iniuste accusatum. & omni proflus humano favore destitutum. Et non cogites hæc, tanquam rem iam transactam, sed tanquam præsentem: non tanquam alienum dolorem, sed tanquam tuum proprium. Te ipsum substitue in locum eius, qui patitur, & expende, quid sentires, si in vna corporis parte tam sensibili, quale est caput, affigerentur tibi plurimæ eademque acutissimæ spinæ, quæ vsque ad ossa penetrarent. Sed quid dico spinas? vnâ solam aciculæ puncturam pati non posses. Quid igitur, putas, sentiebat illud delicatissimum caput, hoc tam crudeli tormentorum genere?

Peractis, irrisionibus, & coronatione, apprehensa Iudex manu Saluatoris, ita malè, vt erat, tractati, produxit illum in conspectum furiosi populi, dicens, *Ecce homo*. Ac si dixisset. Si per inuidiam procurabatis illi mortem, in-

aspicie illum talem, cui non opus est, ut inuideatis, sed potius, ut compatiamini. Timebatis, ne se Regem faceret: intuemini illum ita deformatum, ut vix homo videatur. Ab his manibus ligatis quid vobis timeris; Ab hoc homine flagellato, quid amplius exigitis? Hinc facile intelliges, anima mea, qualis tunc prodierat Saluator: siquidem iudex arbitratus est, sufficere figuram: quam tunc habebat, ad sciendendum talium inimicorum corda. Hinc etiam intelligere poteris, quam perniciosum sit, non compati christianum hominem Christi doloribus: quandoquidem illi fuerunt tales, qui sufficiebant, (ut iudex credidit) ad tam dura & fera corda emollienda.

Cum ergo Pilatus videret, non sufficere tormenta, iam illi sacratissimo corpori inflicta, ad placandum furorem inimicorum ipsius, ingressus est prætorium, & sedit pro tribunali, ut ultimam in illa causa sententiam ferret. Erat iam tunc penes portam parata Crux. Iam apparebat ex eminenti loco illud honorificum vexillum, quod Saluatoris capiti minabatur.

Lata igitur, ac promulgata sententia illa crudeli, addunt aduersarij crudelitati vni, alteram crudelitatem, quæ fuit, onerare ligno crucis dorsum illud, præteritis flagellationibus contritum, ac penè contractum. Sed nihilominus non recusauit pientissimus Dominus onus istud, in quo omnia nostra peccata continebantur: quin potius summa charitate, &



te, & obedientia, ob nostrum amorem, illud complexus est.

Pergit igitur innocentissimus Isaac ad locum sacrificij cum illo onere gravissimo suis debilibus humeris imposito. Sequebatur illum magna virorum multitudo, atque etiam mulierum, quæ lachrymis suis eum comitabantur. Et quis non lachrymas funderet, videns Angelorum Regem vix incedentem, illo tam gravi pondere onustum, tremantibus genibus, inclinato corpore, oculis demissis, facies sanguine conspersa, cum illo sermo in capite: & cum tot ignominiosis clamoribus atque præconijs, quæ contra illum efferebantur.

Interim, ô anima mea, oculos ab hoc tam crudeli spectaculo tantisper auerte, & accelerato gressu profundis gemitibus, & lachrymosis oculis, perge ad aulam Virginis, & cum ad eam perveneris, procide ad pedes eius sic eam voce lamentabili alloquens: O Angelorum Domina, Regina cœli, Paradisi porta, Mundi advocata, Peccatorum refugium, Iustorum solatium, Sanctorum lætitia. Magistræ virtutum, Puritatis speculum, Titulus castitatis, Exemplar patientiæ, & omnium perfectionum summa.

Heu me, Domina mea, ut quid servaui mea lumina usque ad hanc horam? Quomodo ego vivere possum, postquam oculis meis vidi, quod vidi? Sed quorsum verba? Relinquo unigenitum filium tuum, & Dominum meum in manibus inimicorum meorum, gra-

uem crucem humeris suis gestantem, vt in ea extremo supplicio afficiatur. Quis sensus attingere potest, quousq; dolor iste cor Beatissimæ Virginis penetrauit? Defecit hinc anima ipsius, & perfusi sunt vultus, omnesque eius virginei artus quodam mortis sudore, qui sufficiens erat ad vitam ei adimendam, nisi ad maiores labores, & ad maiorem coronam, eam Diuina dispensatio conseruasset.

Pergit igitur Virgo quæsitum filium suum, subministrante ei desiderio videndi illum vires, quas dolor adimebat. Audit à longè armorum strepitum, hominum tumultum, & præconum clamores. Videt statim splendere hastarum spicula, quæ ex eminentioribus locis apparebant. Inuenit in via guttas, & uestigia sanguinis, quæ poterant iam gressus filij demonstrare, & ducere illam absq; alio ductore. Appropinquat magis ac magis ad filium suum dilectum, & extendit oculos suos, dolore, & umbra mortis obtenebratos, ad videndum (si fortè posset) eum, quem anima sua tantopere diligebat.

O amor, & timor cordis MARIÆ. Vna ex parte videre illum cupiebat: altera verò ex parte, intueri tam lamentabilem figuram recusabat. Tandem postquam peruenit iam ad locum, vbi eum videre poterat, aspiciunt se simul duo illa luminaria cœli: oculis corda transfiguntur, & vulnerantur animæ fauciatæ. Linguae quidem obmutuerant: sed cor Matris non tacebat. Dulcissimi filij cor sic eam allo-

que-

quebatur; Quare huc venisti, columba mea, & mater mea? Dolor tuus auget meum, & cruciatus tui, me cruciant. Reuertere Mater mea reuertere in hospitium tuum. Neq; enim congruit, cum tua virginea verecundia, ac pudicitia, homicidarum, & latronum societas. His & alijs flebilibus verbis alloquebantur se mutuo, duo illa pientissima corda. Atque hac ratione absolutum est totum illud laboriosum iter, quousque ad locum crucis peruentum est.

## O R A T I O.

**O** Piè IESU, ò benignissime Redemptor, iam liuore, & dolore plenus eras: iam enormiter discerpto, & dilacerato corpore, vix consistere poteras; iam quicquid apparebat in te, aut sanguis erat fluens, aut plaga tumens: iam antea faciem tuam, sputis, & phlegmatibus cruore mixtis oppleuerant; necdum tamen exaturata fuit rabies impiorum; adhuc laxea & ingrata corda grauiora tentant. Iterum replere cōstituunt illusionibus animam tuam. Denuò, vniuersa cohorte congregata, exuunt te vestimentis tuis; induunt tunica purpurea, & chlamydem coccineam circumdant tibi. Plectunt coronam de spinis, & imprimunt capiti tuo. Arundine, loco sceptri, in dextera tua posita, & genu flexo, illudunt tibi. Iterum labijs suis pollutis in te expuunt, & arrepta arundine, percutiunt caput tuum. Deniq; eductum ad populum (cum ex iiuo-

re, & vulnerum cruentatione, tam appares  
miserabilis, vt dicente Pilato, E C C E H O M O,  
etiam homini videreris dissimilis ) tamen fu-  
riosa plebs nihilo mitior, sed atrociori potius  
in te odio commota, crucifigendū te postulat

Ad mortem verò ignominiosam crucis cō-  
demnato, iterumq; vestimentis tuis induto,  
pœnis fatigato, viribus exhausto, & ad terram  
curuato, insuper ponderosum crucis lignum  
imponunt. Sic quasi imaginem Regis præ te  
ferebas, sed nihilominus serui despectissimi  
confusione repletus coronatus incedebas, sed  
ipsa tua corona cruciatus tibi erat, & mille  
puncturis speciosum tuum verticem diuulne-  
rabat. Interea trahebaris, impellebaris, pro-  
sternebaris, calcabaris, omnibus subsanandus  
& illudendus exponeris: nec tamen in tan-  
ta pressura, mulierum te sequentium tuique  
causa flentium, & gementium, ac in primis  
matris tuæ dolentis, desolatæ, & penè exa-  
minis, obliuisceris.

Pro his omnibus impropertijs, iniurijs, &  
cruciatibus, misericordissime Iesu, adoro te,  
& gratias tibi ago: obsecrans te, per inexhau-  
stam clementiam tuam, vt, memor arundinis  
spinæ coronæ, & vestimenti purpurei, tibi in  
derisum dati, omnem ambitionem, munda-  
næque pompæ, & vanitatis ostentationem,  
omnemq; seculi honorem penitus spernam,  
& vilipendam: memor crucis, quam porta-  
sti, & mortis sententiæ, quam tu Deus Maie-  
statis, propter me, ab iniquo iudice humiliter

exce-



excepisti, magis eligam, tibi adhærendo, aduerſis exerceri; quam à te recedendo, commodis huius vitæ perfrui; memor deniq; veſtium, quæ tibi acerbiffimo tuo dolore detractæ fuerunt, diligam paupertatem ſpiritus, & inopia rerum terrenarum nunquam perturber, veſtimentoque corporis huius depoſito, ſtola perfectę charitatis ornatus, tanquam filius adoptiuus, in cœleſtem illam hæreditatem, tua gratia, introducar, Amen.

## F E R I A 6.

**H**Ac die contempleris myſterium crucis, & ſeptem Verborum, qua Dominus in ea protulit.

Expergiſcere, anima mea, & incipe conſiderare myſterium ſanctæ crucis; cuius fruſtu reſtauratum eſt damnum illius venenofi fruſtus arboris vetitæ.

Inſpice primùm, quo pacto poſtquam Saluator ad hunc locum peruenit, illi peruerſi inimici (vt eius mors ignominioſior eſſet) ſpoliant illum omnibus ſuis veſtibus, vſq; ad interiorem tunicam inconfutilem, deſuper contextam per totum. Conſidera hic, quanta manſuetudine ille innocentiffimus Agnus finit ſe excoriari, non aperiendo os ſuum, ne vnum quidem verbum contra eos, qui ſic eum tractabant, proferendo. Quin poriuſ libentiſſimè conſentiebat ſuis veſtibus ſpoliari, & nudus, verecundiaque ſuffuſus omnibus apparere: vt eius nuditate, meliùs, quàm ficulneis frondibus, nuditas, in quam per pec-

catum incidimus, tegetur.

Referunt nonnulli Doctores, quòd, vt Dominum hac tunica carnifices spoliarent, crudelissimè coronam spineam, quam in capite gestabat, abstraxerunt, eique iam denudato reposuerunt; spinis cerebrum iterum transfigentes, quæ res immensi certè doloris fuit. Et proculdubio verisimile est, hac crudelitate vltos fuisse eos, qui plures alias, eademq; valde inusitatas, toto passionis progressu in eum exercuerunt; præsertim cum Euangelista dicat, Matth 3 17. *Quòd fecerunt in eum, quacun- que soluerunt.* Cum igitur tunica iam flagelloribus vulneribus adhæreret, iamque sanguine concreto, corpus illud sanctissimum cum eadem veste conglutinatum esset, eo tēpore, quo eam extrahebant: peruersi illi, tam ab omni pietate alieni, auulserunt vestem vno tractu, & tanta vi, vt excoriarent omnes flagellorum ictus; ita vt sanctissimum corpus totum maneret abscissum, & veluti factum vna ingens plaga, ex qua cruor vndique emanabat.

Considera ergo hic, anima mea, Diuinæ bonitatis, ac misericordiæ magnitudinem, quæ in hoc mysterio clarissimè elucet. Intuere, qua ratione ille, qui cœlos nubibus, & campos floribus, ac pulchritudine vestit: hoc in loco omnibus suis vestibus denudatur. Cōsidera frigus, quod patiebatur sanctum illud corpus, ita vt erat dilaniatum, & non solum vestibus suis, verum etiam propria cute spo-  
liatum

liatum, cum tot plagarū vulneribus, quæ per ipsum totum aperta erant. Quòd si Petrus præcedenti nocte, vestitus manens, frigus passus est, quanto maius passum putas illud delicatissimum corpus, ita vulneratum, ac nudum?

Ad hæc considera, quo pacto Dominus cruci affixus fuit, & dolorem, quem passus est eo tempore, quo illi crassi, & angulares clavi, sensibiliores, ac deliciores corporis, omnium corporum delicatissimi, partes penetrabant. Contemplare quoque, quid virgo sanctissima sentiebat oculis suis videns, & auribus suis audiens crudeles illos ac duros ictus, qui diuinis illis membris tam crebrò infligebantur. Nam reuera illi clauorum ictus filij manus transigebant, sed matris cor vulnerabant.

Intuere, quo pacto statim in sublime crucem eleuauerunt, vt eam in foramine ad id effosso collocarent; & qua ratione ministri illi, vt erant crudeles, cum eam constituere vellet, permiserunt, vt vno tractu toto pondere in foramen caderet. Quo facto, totum illud sanctum corpus contremuit, & clauorum foramina confracta sunt: quæ res intolerabilis doloris fuit.

O Saluator ac Redemptor mi, quod poterit reperiri tam lapideum cor, quo non præ dolore findatur (siquidem hoc die lapides filii sunt) dum ea, quæ in cruce pateris, contemplatur? Circumdederunt te, Domine, dolores mortis, & omnes venti, atque maris fluctus

obruer-

obruerunt te. Hæſiſti in profundo abyſſi, neq; locum ubi pedem figas, inuenire potes. Pater dereliquit te: quid ab hominibus expectas? Inimici contra te clamitant: amici frangunt cor tuum: anima tua afflictæ eſt, & nullam job mei amorem conſolationem admittit. Grauiæ certè fuerunt peccata mea; id quod pœnitentia tua ſatis manifeſtat.

Video te, mi Rex, cuidam ligno aſſutum, & non eſt qui corpus tuum ſuſtentet, niſi tres ferrei vncis; ex illis tua ſacraſſiſſima caro, abſq; aliquo refrigerio, penderet. Cum in pedes toto corpore incumbis, vulnere pedū, clavis tranſfixorum, lacerantur: cū verò in manus, earundem vulnere, corporis pondere, diſrumpuntur. Sanctum autem illud caput, corona ſpinea cruciatum, & debilitatum, quale cervical ſuſtentabat? O quam conuenientia, atq; opportuna ad hoc genus officiij fuiſſent ibi brachia tua, Sanctiſſima virgo: verum nō ibi tua, ſed crucis brachia modò hoc obſequium præſtabunt. Supra illa reclinabit ſe ſacratum caput, cū requieſcere voluerit. Refrigerium verò, quod inde capiet, illud erit, vt eò magis ſpinæ cerebro inſigantur.

Aucti ſunt filij dolores præſentia matris, quibus non minus cor eius intus, quàm corpus clavis extrà crucifigebatur. Duæ tibi hodie inſunt cruceſ, ò bone I E S V, vna pro corpore, altera pro anima: vna paſſionis, altera compaſſionis; vna ferreis corpus, altera doloris clavis tuam ſanctiſſimam animam tranſfi-



git. Quis posset, & bone Iesu, quod sentiebas, declarare, cum angustias considerabas illius animæ sanctissimæ, quam tam certò sciebas, in cruce tecum crucifixam esse? Cum videbas pietissimum illud cor doloris gladio transfixum? Cum oculos sanguine suffusos extendebas, ac intuebaris Angelicum illū vultum mortis pallore obductum: angustias illas animæ ipsius, absque morte plulquam mortuæ; illa lachrymarum flumina, quæ ex eius purissimis oculis profluebant; & audiebas gemitus, qui ex illo sacro pectore, tanti doloris pondere expressis, prorumpebant?

Postremò considerare poteris illa septem verba, quæ Dominus in cruce protulit, quorum primum fuit, Luc 23. *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*. Secundum ad latronem, ibid: *Hodie mecum eris in paradiso*. 3. Ad tuam sanctissimam matrem, Ioan: 19. *Mulier ecce filius tuus*. 4. Ibidem; *Sicco*. 5. Matt: 27. *Deus meus, Deus meus, & quid dereliquisti me?* 6. Ioan: 19. *Consummatum est*. 7. Luc: 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meū*.

Inspice igitur, ô anima mea, quanta charitate hinc verbis inimicos suos Patri commēdauit: quanta misericordia latronem se cōfitemem susceperit: quibus visceribus piam matrem charo discipulo commendauit: quanta siti, & ardore ostenderit, se salutem hominum desiderare: quàm lamentabili voce, orationem suam fuderit, & tribulationem suam ante Diuinum conspectum pronuncia-  
uerit.

uerit: quo pacto obedientiam Patris ad finem usque perduxerit: & denique qua ratione suum ei spiritum commiserit, seque ipsum totum in eas benedictas manus resignauerit.

Hinc apparet, in singulis hisce verbis, vnum singulare virtutis documentum contineri. In primo charitas erga inimicos commendatur: in 2. Misericordia erga peccatores: in 3. Pietas erga parentes: in 4. Desiderium salutis proximorum: in 5. Oratio in tribulationibus, & derelictionibus à Deo permisis: in 6. Virtus obedientiæ, ac perseuerantiæ: in 7. Perfecta in manus Dei resignatio, quæ est totius nostræ perfectionis summa.

O R A T I O.

**V**Ere, amantissime Iesu, ex morte tua apparet, quòd cum dilexisses nos, in finem usque vitæ tuæ nos dilexeris. Diris clavis per manus, & pedes cruci affixus eras. Singulorum vulnerum, & poenarum sentiebas simul omnes, & distinctè singulos dolores. Ampliabantur vulnera pedum, & manuum tuarum, & nouis continuò poenis profundius lacerabantur. Astabat quidem pia mater; sed maiùs tibi potiùs tormentum afferebat. Riuis sanguinis de sacratissimo tuo corpore largiter manantibus, æstuabas ardentissima siti; sed cruciatum magis pro salute nostra, quam refrigerium eligebas; & inter omnes illos dolorum sensus, quasi nihil sentiens, sic de matre, de discipulo, de latrone supplicante, de consum-

mando

mando Redemptionis mysterio sollicitus eras; donec inter pœnarum acerbitates, & vuln-  
rum hiatus, cruento crucis lingno hærens, a-  
ridus, squalidus, deformis, ac tanquam ver-  
mis, & non homo, omni specie, & decore  
priuatus, lachrymantibus oculis, obrigenti-  
bus membris, amarissimo cruciату, clamore  
valido, Patri te comendans, tradidisti spiritũ.

Hæc est dignatio tua Domine. Hæc tanta  
multitudo miserationum tuarum. Hæc tam  
profunda abyssus charitatis tuæ, vt me attra-  
heres ad te, Deus meus. Ego peccaui, & tu  
pœnas luis, dulcis Iesu. Ego mortis tuæ, tam  
acerbæ, & ignominiosæ causa fui. Ego san-  
guinis exuberantissimè effusi reus. Ego dolo-  
res, & plagas: ego vulnera, & cruciatus: ego  
mortem æternam commerueram; sed inex-  
hausta misericordia tua, quia non sum con-  
sumptus.

Quid ergo tibi reddam, Domine Iesu, for-  
tissime zelotes? Quid tibi gratiarum, & di-  
gnæ retributionis rependam? Præter meip-  
sum nihil habeo, Domine: sed & hoc ipsum  
meum non est. Memini enim verbi Apostoli  
tui; Non estis vestri: empti enim estis pretio  
magno. Quid ergo retribuam tibi, Deus me-  
us? Id, scilicet, quod tu solùm requiris, Domi-  
ne. Præbeo tibi cor meum, bone Iesu. Tu  
illud reforma, secundum tuum beneplacitum  
Scinde illud dolore, & compassione tui: vul-  
nera amore tui. Accipe illud, Amator fidelis-  
sime, & transmuta palatum illius, vt nihil co-  
gitet,

gitet, nihil sciat, nihil desideret extra te.

Desipiant mihi omnia, præter te: & solus passionis tuæ sapor inebriet me, Animam meam totam tuo sanguine perfunde, & sic transformer in te foelici, & inseparabili vnione, vt quicquid egero, quocunq; me vertero, te crucifixum continenter aspiciam, & cuncta, velut tuo mihi sanguine rubricata appareant. Denique per illam amaritudinem tuam amarissimam, quam sustinuisti pro me in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

*Sabbatum.*

**H***æc die contemplari poteris lancea Vulnus, Saluatori inflictum, depositionem ex cruce, Virginis planctum, & sepultura officium.*

Confidera igitur, qua ratione, postquam iam Saluator in cruce expirauerat, atq; adeo satisfactum fuerat desiderio illorum crudeliū inimicorum, qui videre eum mortuum tantopere desiderauerant: nihilominus tamen flamma furoris ipsorum restincta non fuit. Si quidem hoc non obstante, voluerunt adhuc in illas sacratissimas reliquias, quæ supererant, magis defæuire, maioremq; vindictam sumere, diuidentes vestimenta ipsius, super illa sortes mittentes, eiusq; sacratissimum corpus quadam dira lancea confodientes.

O crudeles ministri, ô ferrea corda. Tam  
parum



parum vobis videtur, quod corpus dum adhuc viueret, passum est: vt ei iam defuncto parcere nolitis? Quæ inimicitiarum rabies tanta esse potest, quæ non placetur, cum coram se inimicum occisum videt? eleuate parum vestros crudeles oculos, & intuemini faciem illam emortuam, oculos illos extinctos, vultum deiectum, pallorem illum, & umbrâ mortis. Nam quantumuis ferro, adamante, & vobismet ipsis duriores sitis, videntes eum, placabimini. Accedit ergo crudelis minister, & lancea quam manu vibrabat, ingenti vi nuda Saluatoris pectora confodit. Contremuit crux in aère impetu confossionis, & statim effluxit aqua & sanguis, quo mundi peccata lauantur.

O flumen, quod ex paradiso egredieris, tuisque fluentis totam terræ superficiem irrigas. O pretiosa lateris plaga, amore erga homines magis, quam dira hasta ferro inflictâ. O porta cœli, paradisi fenestra, locus refrigerij, fortitudinis turris, iustorum sanctuarium, peregrinorum sepultura, simplicium columbarum nidus, & lectulus floridus sponsæ Salomonis. Salue pretiosi lateris vulnus, quod corda deuota vulneras: plaga, quæ iustorum animas faucias: rosa ineffabilis pulchritudinis: rubinus inæstimabilis pretij: aditus ad Christi cor, testimonium amoris ipsius, & vitæ perennis pignus.


Adhæc, considera, quo pacto eodem die vesperi accesserunt illi duo sancti viri Ioseph,

& Ni.

& Nicodemus. Et admoti cruci scalis, brachijs suis, Saluatoris corpus deposuerunt. Cum autem videret Virgo, transacta passionis tempestate, sacratum corpus ad terram appellere, pręparat se ipsa, vt ei tranquillum portũ in suo pectore prębeat, & vt eum ex crucis brachijs, in proprias vlnas excipiat. Nobilem illum cœtum humiliter deprecatur, vt, quandoquidem discedenti filio suo non valedixisset, neque vltimos eius amplexus in cruce accepisset, permittat sibi modò ad eum accedere; & non velint, vt ex omnibus partibus eius desolatio augeatur: si postquam inimici, ei viuum abstulerunt, amici quoque modò defunctum auferant. Quę lingua explicare poterit, quid virgo sensit, cum primũ eum in suis brachijs excepit?

O Angeli pacis, flete simul cum hac sacratissima virgine. Plangite cœli: cœlorum stellę plangite: & omnes mundi creaturę, Marię planctum comitamini. Amplexatur mater corpus dilaniatum: constringit illud fortiter in pectore suo, nam, ad hoc solum vires ei supererant. Faciem suam inter spinas sacrati capitis interferit, coniungitur vultus cum vultu, tingitur filij sanguine facies sacratissimę matris, & facies filij matris lachrymis irrigatur. O dulcis mater, estne iste tuus dulcissimus filius? Estne iste ille, quem tanta gloria concepisti, & tanta lætitia peperisti? Vbi sunt gaudia tua antiqua? Quò tuę pristinę lætitię abiierunt? Vbi est illud pulchritudinis

specu-



speculum, in quo te intueri solebas? Flebant omnes, qui præsentes aderant: flebant sanctæ illæ mulieres: flebant nobiles illi viri: flebat cœlum, & terra, omnesque creaturæ, virginis planctum imitabantur.

Flebat item Euangelista sanctus, & magistri corpus amplexatus, ita dicebat: O bone magister, ac Domine mi, quis me in posterum edocebit? Ad quem in meis dubijs confugiam? In cuius pectore requiescam? Quis me secretorum cœlestium participem faciet? Quæ est hæc tam stupenda mutatio? Præcedenti nocte, me in tuo sacro pectore, dans mihi vitæ lætitiâ, habuisti: modò tibi illud pro tanto beneficio rependo, quod in meo, te mortuum teneo. Istené est vultus, quem ego in monte Tabor transfiguratum vidi? Hæc né est facies illa, Sole meridiano splendidior?

Flebat quoque sancta illa peccatrix, & Salvatoris pedes amplexata, dicebat: O meorum oculorum lumen, & animæ meæ remedium. Si me videro peccatorum pondere fatigatam, quis me recipiet? Quis meas curabit plagas? Quis pro me respondebit? Quis me à Pharisæis defendet? O quàm longè aliter hos ego pedes tenui, ac laui, cum me in ipsis recepisti? O viscerum meorum dilecte, quis mihi nunc tribuat, vt tecum moriar? O animæ meæ vita, quomodo affirmare possum, quod te diligam: quandoquidem habens te coram oculis meis mortuum, adhuc viuo?

Hac ratione totus ille sanctus cœtus, sacram

tum corpus lachrymis irrigans: & abluens flebat, & lamentabatur. Postquam autem hora sepeliendi aduenit, sanctum illud corpus sindone munda inuoluunt, sudario faciem eius constringunt, illudq; in quodam feretro collocantes, & ad monumentum proficiscentes, ibi pretiosum illum thesaurum reponunt. Sepulchrum quidem pregrandi lapide clausum: sed matris cor, tenebrosa quadam tristitiæ nebula coopertum mansit. Ibi iterum filio suo valedicit: ibi denuò orbitatem suam præsentire incipit: ibi se iam omnibus suis bonis spoliatam videt, ibi denique cor suum sepultum reliquit, vbi eius thesaurus remanebat.

## O R A T I O.

**D**omine Iesu Chryste, pijsime, & clementissime, qui cor tuum suavissimum, amore nostri, lanceæ militis perfodiendum obiecisti, vt amoris tui, ostium referendo, cunctis volentibus, introeundi in te copiam faceres: quiq; de cruce depositus, magno Matris tuæ dulcissimæ, & amicorum luctu, aromaticis vnguentis oblini, sindone inuolui, & in alieno, eoq; nouo sepulchro condi voluisti: te adoro, laudo, & benedico, tibiq; quantas ex intimo cordis affectu possum, gratias ago, pro hac tanta tua dignatione, proque omnibus gratijs, & beneficijs, ex amarissimæ mortis tuæ meritis profluentibus: obsecrans te, propter misericordiam, & nimiam charitatem tu-



am: vt qui te toties in vita mea, mandatorum  
 tuorum transgressione, in crucem egi, & o-  
 stentui habui, tandem plangendo, & dete-  
 stando peccata, propter quæ mortem crucis  
 subiisti, te de cruce deponam: per feruentem  
 deuotionem, & bonam conuersationem, aro-  
 matibus vngam, per conscientie puritatem,  
 sine munda inuoluam, per compassionis  
 lachrymas; acerbissimis cruciatibus tuis con-  
 doleam, per iugem tibi memoriam; in corde  
 meo te sepeliam, & cor ipsum meum omnes-  
 que sensus, vires, & afflictiones meas deinceps  
 tibi soli, ab omni foeditate peccati puras,  
 & incontaminatas seruem, delectique in me-  
 rerum omnium visibilium formis, & idolis,  
 interius totus innouatus, tibi soli viuum, te  
 solum desiderem, te solum possidens, à te pos-  
 sidear; vt tu solus sis mihi Deus meus, & om-  
 nia in omnibus, Amen.

### Dies Dominicus.

*H*ac die contempleris descensum Christi ad  
 inferos, eius apparitionem Virgini matri, Ma-  
 gdaleenæ, & alijs discipulis factam: & postea glo-  
 riosa Ascensionis mysterium.

Quod ad primum attinet, expende, quam  
 ingens fuerit læticia, quam illi sancti Patres,  
 qui in limbo detinebantur, Redemptoris, ac  
 vindicis sui tam optata, atque expectata præ-  
 sentia, & visitatione perceperunt. Referunt,  
 qui ex Indijs orientalibus in Hispaniam reuer-  
 tuntur, existimare sese, labores omnes præte-

ritæ nauigationis foelices, optimeque insumptos fuisse, propter nimiam lætitiã, quam eo die percipiunt, quo in patriam peruenerunt. Quòd si hoc efficit in illis, vnus, aut alterius anni nauigatio: quid potuit in sanctis illis Patribus trium, aut quatuor millium annorum exilium efficere eo die, quo tantam salutem consequuti sunt, & ad terræ viuentium portum appulerunt?

Considera quoque lætitiã, quam Virgo sanctissima, filij sui iam resuscitati præsentia, eodem die percepit. Certum enim est, quod quem admodum ipsa fuit, quæ plus cæteris passionis dolores persensit: sic etiam illa fuit, quæ præ reliquis omnibus maiori gaudio, ex triumpho resurrectionis ipsius, perfusa est. Quid igitur sensit, cum filium suum viuum, & gloriosum, omnibusque sanctis illis Patribus, qui cum eo surrexerant stipatum coram se vidit? Quid faciebat? Quid dicebat? Quales erant eius amplexus, oscula, piorum oculorum lachrymæ, & desideria eundi post illum, si sibi concessum fuisset.

Considera item illarum sanctarum mulierum lætitiã, illius præsertim quæ iuxta sepulchrum flens perseuerabat, cum animæ suæ dilectum videns, procidentem ad pedes eius, viuum, ac resuscitatum reperit quem quærebat, & saltem mortuum videre tantoperè desiderabat? Et diligenter expende, quòd post matrem, ei prius apparuit, quæ plus cæteris dilexit, perseuerauit, fleuit, & sollicitius quæ-

siuit:

fuit: vt hinc intelligas, tibi que certo perlua-  
deas, te reperiturum Deum, si eisdem lachry-  
mis, eademque diligentia eum qua seris.

Considera item, qua ratione discipulis e-  
untibus ad Emaus, in peregrini habitu appa-  
ruerit. Et inspice, quam se illis affabilem ex-  
hibuerit, quam familiariter eos fuerit comita-  
tus, quam suauiter se longius ire sinxerit, &  
quam amanter se in fine eis detexerit, eosque  
cum tanta labiorum suauitate, ac melle, de-  
reliquerit. Sint igitur sermones tui tales, qua-  
les istorum erant: & cum dolore, ac sensu  
confer quod isti conferebant, nempe, Christi  
dolores, atque labores. Et si in earundem re-  
rum recordatione perstiteris, presentiam, ac  
societatem ipsius atutura, certo tibi persuade-

Circa Ascensionis mysterium, primum co-  
sidera qua ratione Christus Dominus Ascen-  
sionem suam quadraginta dierum spatio di-  
stulerit, quibus crebro discipulis suis apparu-  
it, eosque instruxit, ac cum eisdem de Regno  
Dei contulit. Noluit itaque prius caelos a-  
scendere, neque ab eis discedere, quam eos  
tales relinqueret, qui spiritu possent cum eo  
in caelum ascendere. Ex quo facile intellige-  
re poteris, quod eos sapere Christi corporalis  
praesentia, id est, deuotionis sensibilis conso-  
latio deserit, qui magis extra periculum con-  
stituti, possunt iam spiritu in altum volare.

In quo Dei prouidentia, & modus agendi  
cum suis, quem diuersis temporibus seruat,  
mirum in modum elucet. Blanditur debili-

bus, fortes exercet: præbet lac paruulis, & grandiores ab vberibus auellit: alios consolatur, & alios probat: sicq; fit, vt vnumquemque iuxta gradum sui in spiritu progressus tractet. Ob quam causam, neq; est, quod se extollat, qui consolationibus abundat, siquidem consolatio imbecillitatis argumentum est: neque, qui desolationes patitur animo deficere debet, siquidem desolatio sæpenumerò indicium fortitudinis est. Discipulis præsentibus, iisdemq; cernentibus, in cœlum ascendit: quia ipsi testes horum mysteriorum futuri erant, & nullus operum Diuinorum melior testis est, quàm qui illa experimento nouit. Si serio scire cupis, quàm sit Deus erga suos bonus, dulcis, & suavis: quantæ sit gratiæ, amoris, prouidentiæ, & consolationis ipsius vis, & efficaciam: interroga eos, qui id experti sunt.

Ipsi enim locuples, & sufficiens tibi testimonium perhibebunt. Voluit item ab iisdem discipulis videri se in cœlum ascendere: vt ipsi oculis, & spiritu eum sequerentur, vt eius discessum sentirent, & vt ipsius absentia in eis orbitatem generaret. Nam hæc est aptissima ad eius gratiam recipiendam præparatio. Petiuit Eliseus ab Elia spiritum suum: cui bonus Magister respondit, *4. Reg: 2. Si me videris, cum à te ablatu fuerit, fiet tibi, quod petisti.* Illi igitur erunt Christi spiritus hæredes, quos amor discessum, & absentiam eius sentire fecerit, in hocq; exilio, pro eius obtinenda præsentia, perpetuò suspirauerint. Sic sentiebat



vir ille sanctus qui dicebat. Discerisisti, Consolator mi, & non mihi valedixisti: iter tuum faciens, benedixisti tuis, & ego non vidi: angeli te reuersurum promiserunt, & ego non audiui, &c.

Qualem autem tunc fuisse putas orbitatem, sentum, & clamores sacratissimæ Virginis, dilecti discipuli, sanctæ Magdalenæ, & Apostolorum omnium: cum discedentem, atque ab oculis suis disparentem viderent eum quem tam firmiter omnes suis infixum cordibus habebant? Et nihilominus scimus eos, summo gaudio perfosos, (ob magnum quo eum prosequiebantur, amorem) Hierosolimam reuersos fuisse. Nam idem amor, qui tantum in eis, ob discessum illius sensum generabat, altera etiam ex parte, summo eos gaudio perfunde-  
bat. Verus etenim amor non seipsum, sed dilectum quærit.

Superest iam considerare, quanta gloria, quanta lætitia, quibus vocibus ac laudibus nobilis ille triumphator, in illa superna ciuitate exceptus fuerit. Qualia ibi fuisse putas festa: quales iubilos in hac exceptione exhibitos? Quale spectaculum fuit, videre sibi mutuo occurrentes Angelos, & homines, omnesque pariter ad illam illustrem ciuitatem progredi: & illa subsellia, à tot iam annis derelicta, replere: atque supra omnes sacratissimam humanitatem ascendere, & ad dexteram Patris consedere? Hæc omnia sunt magna consideratione digna. Hinc manifestè apparet,

quàm sint fœlices , ac benè expenſi labores , qui ob Dei amorem exanrlantur ; & qua ratione ille , qui plus quàm vlla creatura ſe humiliavit , ac paſſus eſt , modò ſupra illas honorificetur , atq; exaltatur : vt hinc veræ virtutis amatores intelligant , quod ſint ad illam obtinendam iter ingreſſuri . Debent , nimirum descendere , vt aſcendant : ſub omnium pedibus poni , vt ſupia omnes euehantur .

## O R A T I O .

**M**iſericordiſſime I E S U , qui per acta redemptione noſtra , ad inferos descendens , Patres captiuos inenarrabili gaudio reſeciſti , & ab inferni clauſtris eductos , ad amœna Paradifi gaudia tranſtulisti , quiq; Diaboli potestate contrita , clauſo ſepulchro prodiens , reſurrexiſti à mortuis , & ſereniſſima vultus tui claritate , primùm Matrem tuam deſideratiſſimam , anxie expectantem , deinde Mariam Magdalenam , ceteroſq; diſcipulos , inœrentes , & afflictos , nouo perfudiſti gaudio : ac demum omnibus inſpectantibus , iubilantibus Angelis , & Patrum caterua comitante , glorioſus aſcendiſti in cœlum : obſecro clementiam tuam , vt descendat nunc quoque paſſionis , & languinis tui virtus ad animas Purgatorij , eiſq; à pœnis omnibus abſolutis , refrigerium largiatur . Sed & me miſerum , innumerisq; vitijs , & peccatis obnoxium , reſpicere dignare , Domine : vt à veteri conuerſatione reſurgens , in nouitate vitæ ambulare ,

lare, & quæ sursum sunt, sapere incipiam.

Vilescant mihi, obsecro, per gratiam tuam omnia terrena: sordeant, præter te, vniuersa. Quod tibi aduersum est, mihi sit molestum: & beneplacitum tuum sit meum desiderium. Tordeat me gaudere, sine te: & delectet contristari pro te. Sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti. Ponam ascensiones, Domine, in corde meo, in valle lachrymarum. Lugere, & plangere potius libeat, quam iucundari, & canere canticum tuum in terra aliena. Fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, inuestigando iustificationes tuas.

Transfige medullas animæ meæ, dulcis Iesu, amoris tui telo. Transuerbera spiritum meum acutissimis sagittis charitatis tuæ: vt vulneratus à te foeliciter langueam, & in te veluti deficiam, te solum eluriam, te solum sitiam, tibi soli placere studeam: denique peccata, & ingratitude meam dignis eò vsq; pœnitentiæ operibus diluam, donec te miserante tandem ascendam post te, in locum tabernaculi tui admirabilis: ad locum pascuæ optatissimæ iuxta purissimos fontes æternorum gaudiorum, vbi torrente voluptatis tuæ potabuntur electi tui, vbi abyssus diuitiarum gloriæ tuæ absorbebuntur, vbi te Deum sine fine videbunt, sine fastidio, amabunt, sine fatigatione laudabunt in secula seculorum, Amen.

## CAPVT III.

PECVLIARE EXERCITIVM  
de Cruce & Palsione Domini.

*Feris sextis. Et in Quadragesima crebrò à pijs  
ſurpandum.*

Qvotidiana lectio boni Christiani ait B. Bernardus, debet esse recordatio Dominicæ palsionis; *Nihil arbitratus sum me scire inter vos*, ait Paulus 1. Cor: 2. *nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Sed & ipse Dominus Iesus, amicis suis quibusdam indicavit, nullum obsequium sibi esse, aut esse posse gratius quàm quod in Palsione sua meditanda sibi deferretur. Quocirca magna cura esse decet pijs, vt tam gratæ Christi occupationi deseruiant. Dedimus nos eum ad finem, materiam proxime superiore capite digestam satis copiosam. Ne quid tamen hic commoditatis desit pijs, dum varijs aliquando occupationibus distinentur; etiam sequens breue compendium Exercitij talis libuit attexere.

## Primum Exercitium.

*Quis patitur? Pro quo? Quare? Quid?*

1. Consideratio. *quis patitur?* 1. dignitate Deus, qui maiestate cœlum replet, & terram.  
2. homo nobilis, ex stirpe regia Davidis, de Spiritu sancto conceptus in virginis vtero. 3.

Si in-



Si intellectum spectes, doctissimus: si voluntatem, sanctissimus, atque integerrimus, qui nullo vnquam errore, aut peccato, vel Deum offendit, vel hominem læsit. 4 Si conuersationem attendas, grauissimus, nunquam ridere vilis, lachrymari læpius, & quidem deflendo peccata nostra. 5. Si formam, totiusq; corporis dignitatem: speciosus est forma præfilijs hominum, complexione fenerrimus. Tantus, & tam admirabilis o homo, patitur.

2. *Pro quo patitur?* Non pro diuinissimis illis spiritibus, Cherubinis ac Seraphinis: sed pro hominibus, pro luto & cinere, pro peccatoribus ingratisissimis, pro te in particulari vilissimo homuncione, æternis ignibus digno, &c. Et non commoueris?

3. *Quare patitur?* Nulla illi patiendi pro se necessitas; non quia aliquid cognouit in nobis bonum aut dignum, pro quo pateretur: non quod habeat nobis opus; non quod accedat illi quicquam, ac detrahatur, siue salutem, siue damnationem incurramus: patitur ergo ex solo amore, pietate, & misericordia vltro, sponte, alacriter. O bone Iesu, quid tibi est? mori nos debuimus, & tu soluis? nos peccauimus, & tu luis? opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.

4. *Quid patitur?* Nihil in ipso, dolore vacuum; corpus, corporitque omnes sensus; anima item, eiustque omnes potentia; denique quicquid in Christo fuit suas pœnas sustinuit. Pœna quoque fuerunt acerbissimæ, tum ex

corporis tenuissima constitutione, tum quod nullo interno solatio, ad ferendum suavius, subleuaretur. Et tu, ô Christiane, sub spinoso capite nimis delicate, miles, nihil pati vis, aut potes?

## SECUNDVM EXERCITIVM

*Genera pœnarum, & cruciatuum, quæ in passione Domini concurrerunt.*

**P**rimum est: Amara illa separatio matris ac filij cum Dominus iurus ad mortem, amantissimæ matri valedixit. Quàm enim acerbum fuerit matri, & tali matri, tam duro diuortio valedicere filio, eunû ad mortem, & talem mortem?

2. Dolor ingens, quem hausit ex Iudæ proditoris nefando scelere & interitu, ex Petri amantissimi discipuli negatione, ex discipulorum cæterorum fuga, & infidelitate; quos omnes tenerrimè diligebat, & paulò antè dulci sermone, & cibo corporis & sanguinis sui refecerat. Quàm graue erat vendi, ac proditanti principem & doctorem vilissimo precio, à proprio discipulo, atrocissimis inimicis, à discipulis deserti, à primario negari.

3. Mæstitia illa ingens, anxietas, & agonia in horto: quando ex nimio pauore factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

4. Ignominia, ac infamia, quàm accepit Dominus Iesus, dum toties ab vno loco in alte-

rum

rum, ab Anna ad Caipham, ab illo ad Pilatum, ab eo ad Herodem, & iterum ab Herode ad Pilatum, manibus vinctis, satellitibus stipatus atrocibus, per publicas plateas, tanquam sicarius quidam ac latro duceretur, ac verius raptaretur.

5. Contumeliæ ingentes, & multiplices, quas sustinuit, cum nunc alapis cæderetur, nunc conpueretur, arundine percuteretur, velaretur oculis, alba veste, & sordida purpura indueretur. Barabbæ infami latroni postponeretur, minus eo vita dignus censeretur, & id genus contumeliarum, conuitiorum, irrisionum pateretur.

6. Flagellatio ad columnam; quæ non tantum inhumanissima fuit, sed etiam ignominiosissima.

7. Coronatio, in qua acerbissimus, & inexplicabilis dolor, & cruciatus cum intollerabili ignominia concurrebant. O quid erat videre Regem cæli & terræ tractari omni bellua immaniùs? Carnem illam virgineam dirisimis flagellis laniari & dilcerpi; pretiosum illud caput sentibus aperiri & lacerari.

8. Egressio illa cum purpureo indumento, & corona ad conspectum furentis populi, clamantis: Crucifige, crucifige. Stabat bonus Iesus deformis, & leproso similis, clamante Pilato: Ecce homo. Et quis ille homo, & quantus, & qualis iam? quæ hominis in eo species?

9. Gestatio propriæ crucis, ac deductio per

publicas ciuitatis magnæ plateas, inter nefarios latrones, satellites, inter adspectantium dicteria, voces, ludibria, &c.

10. Crucifixio, genus mortis crudele, prolixum & turpe; in quo tormenta omnia renouata; in quo inexplicabilis manuum, pedumq; tuorum, venarum concussio, extensio, ac tormentum ingens totius corporis

11. Matris dilectissimæ, ac amati discipuli perpetuus adpectus Non ignorabat bonus Iesus admirabiles cruces, & tormenta, quibus amantissimæ matris suæ cor sauciabatur.

12. Amara separatio corporis & animæ, inter quæ summus semper amor fuerat, nulla pugna. Moritur ergo Angelorum Rex & Dominus, in flore ætatis, viuis & integris sensibus, moritur amor noster indebita morte cum summa angustia, totus afflictus, totus lacer, anxius, sitibundus, fatigatus.

### TERTIVM EXERCITIVM.

*Virtutum consideratio, qua in Passione Domini admirabiliter splendent.*

1. *Humilitas*, admirabilis, qua se exinaniuit, & ab omnibus contemni, ac despici passus est: ne nos extollamur animo, sed illius amore contemni quoque, ac despici libenter velimus.

2. *Obedientia*, in re difficillima, ad mortem vsque, & quidem Crucis: vt nos etiam obediamus præpositis nostris, in ijs rebus maxi-

mè.



mē, vbi sensualitas nostra repugnat.

5. *Patientia*. Inter tot genera sibi succedentium cruciatuum, vt nos discamus conuicia, & iniurias deglutire, ac obliuisci, nec verbis nec minis, nec voluntate, nec signis, vlcisfi.

4. *Constantia*, siue perseuerantia, qua neque flagitijs, neq; spinarum aculeis, neque clavis, neque Cruce à cursu procurandæ salutis nostræ diuelli potuit. Iudem & nobis faciendum.

3. *Mansuetudo*, instar ouiculæ innocentis; Vt hinc discamus & nos tacere, cedere, obmutescere ad vitandas cōtentiones, & iurgia.

6. *Charitas*, qua sitiuit salutem nostram, qua pro crucifixoribus orauit, qua dolorum suorum oblitus, cogitationem, atque curam suam conuertit ad lucrandam animam alterius latronis; vt discamus & nos animarum salutem in omni loco quærere, ac sitire.

7. *Contemptus mundi*, Nam pendens in Cruce Rex noster, non alium thronum habuit, quàm patibulum: non aliam coronam, quàm spineam; non alias epulas, quàm fel & acetum: non alios comites, quàm duos suspensos fures; non alios consolatores, quàm amarulentos illos mileros. Et nobis igitur mundus iste vilescat, & omnis gloria, ac voluptas illius.

Hæc autem puncta, non simul omnia, sed nunc vnum, nunc alterum, siue secundi exercitij, siue primi expendi debent. Aperient pauca hæc aditum ad maiora, & vehementer

accendere poterunt voluntatem & affectum, si debita præparatione, & diligentia examinentur, præmissa præparatoria oratione, affixaque imaginatione nostra in Christum patientem, vel in ea loca, quibus passus est: eo modo & ratione quam supra paucis explanauimus, quando egimus de oratione mentali.

*Lib: 1. cap: 3.*

*Oratio ad Iesum, pro percipiendo fructu passionis.*

**O**bscuro te, Domine IESU Christe, vt passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar & defendar. Vulnere tua sint mihi cibus & potus quibus inebrier, & delecter. Asperio sanguinis tui sit omnium peccatorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna, in his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis & animæ, nunc, & in perpetuum, Amen.

LITANIÆ DE PASSIONE DOMINI nostri Iesu Christi.

**K**Yrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus.

Fili Redemptor mundi Deus.

Spiritus sancte Deus.

Sancta Trinitas vnus Deus.

Iesu triginta argenteis appretiate.

Miserere

Iesu

Iesu ad discipulorum pedes inclinate.  
 Iesu in oratione prostrate.  
 Iesu in agonia sanguineo sudore perfuse.  
 Iesu osculo à Iuda tradite.  
 Iesu à ministris ligate.  
 Iesu à discipulis derelictæ.  
 Iesu Annæ, & Caiphæ præsentate,  
 Iesu alapa à ministro percusse.  
 Iesu à falsis testibus accusate.  
 Iesu reus mortis iudicate.  
 Iesu in faciem conspuite, oculis velate,  
 colaphis cæse.  
 Iesu à Petro ter negate.  
 Iesu vincus Pilato tradite.  
 Iesu ab Herode, & eius exercitu sprete,  
 & illuse.  
 Iesu veste alba indute.  
 Iesu Barabbæ postpositæ.  
 Iesu flagellis cæse,  
 Iesu propter scelera nostra attrite.  
 Iesu veste purpurea indute,  
 Iesu spinis coronate.  
 Iesu arundine percusse.  
 Iesu à Iudæis ad crucem postulate.  
 Iesu morte turpissima condemnate.  
 Iesu crucis pondere grauate.  
 Iesu vestibus exute.  
 Iesu clavis in Cruce confixe.  
 Iesu cum iniquis reputate.  
 Iesu à prætereuntibus blasphemate.  
 Iesu à Iudæis derise.  
 Iesu à latrone iniurijs lacepsite.

Miserere nobis.

Iesu

Iesu opprobrijs saturate.

Iesu felle & aceto in siti potate.

Iesu vsque ad mortem Crucis obediens  
facte.

Iesu lancea transfixe.

Iesu de cuius latere exiuit sanguis & aqua

Iesu de Cruce deposite.

Iesu in monumento nouo tumulate.

Iesu, cuius liuore sanati sumus.

Iesu pro nobis crucifixe, mortue, &  
sepulte,

Agnus Dei, &c. Parce nobis IESU.

Agnus Dei, &c. Exaudi nos IESU.

Agnus Dei, &c. Misere nobis.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

✠. Et ne nos inducas, &c.

✠. Sed libera nos à malo, &c.

✠. Domine exaudi, &c.

✠. Et clamor meus, &c.

O R A T I O.

**D**omine IESU Christe fili Dei uiuì, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti, & sanguinem tuum preciosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, vt post obitum nostrum, paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas. Qui uiuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen.



## CAPVT IV.

ALIÆ MEDITATIONES SE-  
ptem, iuxta ordinem dierum  
hebdomadæ.*De Variis Miseriis Vitæ humana, & quatuor No-  
uissimis eiusdem*

## P R I M A.

## F E R I A 2.

*De peccatorum multitudine, & gravitate.*

**H**Ac die, poteris mentem occupare memo-  
ria peccatorum, & cognitione tui ipsius :  
vt horum altero cognoscas, quibus malis a-  
bundes, altero intelligas, nihil in te boni re-  
periri, quod non sit ex manu Dei acceptum.  
Id enim est præstantissimum medium, ad hu-  
militatem, quæ omnium virtutum mater est,  
consequendam.

*Peccatorum multitudes.*

**D**Ebes igitur primùm peccatorum vitæ  
præteritæ multitudinem considerare, eo-  
rum præsertim, quæ tempore, quo Deum mi-  
nus agnoscebas, perpetrasti. Nam si ea dili-  
genter perpenderit, reperies, illa quidem mul-  
tiplicata esse super capillos capitis tui, te ve-  
rò, tanquam gentilem, qui Deum ignorat, eo  
tempore vixisse.

Percurre breuiter decem Decalogi præce-  
pta,

pta, & septem peccata Capitalia, & manifestè videbis nullum illorum esse, in quo cogitatione, verbo, aut opere sæpius non fueris prolapsus.

Deinde omnia beneficia Diuina, totiusque præteritæ vitæ tempora in mentem reuoca. Et considera, quomodo illa expendisti. Omnium siquidem Deo, reddenda est ratio. Dic igitur mihi obsecro, qualiter pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, & omnes denique vitæ tuæ dies transegisti? Qua ratione corporis sensus, & animæ potentias, quas tibi Deus, vt illum agnosceres, ei que inseruies, indidit, occupasti? In quo exercuerunt se oculi tui, nisi in vanitate videnda? in quo aures tuæ, nisi in mendacijs, & detractionibus audiendis? In quo lingua tua, nisi in mille iuramentorum, & murmurationum modis? In quo denique tuus gestus, odoratus, & tactus, nisi in delicijs & blandimentis sensualibus?

Quem fructum ex sacramentis sanctis, quæ Deus in tuum remedium instituit, collegisti? Qualiter ei pro beneficijs acceptis gratias egisti? Quomodo eius inspirationibus respondisti? Qua ratione sanitate, viribus, naturæ dotibus, bonis item, quæ dicuntur fortunæ, ceterisque ad benè viuendum commoditatibus vsus es? Quam proximi tui, cuius tibi Deus curam commisit, illorumque misericordiæ operum, quæ erga illum tibi præscripsit, sollicitudinem habuisti? Quid igitur respondebis in illo iudicij die, cum dicet tibi Deus: Red-

de rationem villicationis, & curæ, quam tibi tradidi: non enim poteris iam amplius villicare? O arbor arida, & ad sempiternos ignis cruciatus præparata, quid respondebis in illa die, cum à te omnium vitæ tuæ non solum temporum, verum etiam momentorum ratio exigetur;

Tertio considera peccata, quæ, postquam melius oculos intedisti ad cognitionem Dei, perpetrasti, & quotidie perpetras; & inuenies veterem Adam, cum prauis plurimis radicibus, & consuetudinibus antiquis, adhuc in te viuere. Considera, quàm sis erga Deum timoris; & reuerentiæ expers; quàm ingratus pro beneficijs acceptis; quàm rebellis inspirationibus ipsius; quàm piger, & tardus in rebus, ad eius obsequium pertinentibus; Quas nunquam cum ea, qua par est, diligentia, & intentionis puritate, sed potius propter alios respectus, & commoditates mundanas perficis.

Expende item, quàm sis erga proximum durus, & asper, quam verò erga te mitis, ac blandus, quàm tuæ propriæ voluntatis, carnis, honoris, omniumque tuorum commodorum amicus. Inspice, quàm sis adhuc superbus, ambitiosus, iracundus, præceps, inanis gloriæ, cupidus, inuidus, malitiosus, mollis, mutabilis, leuis, sensualis, totusque delicijs, confabulationibus, risibus & oblocutionibus deditus. Attende, quàm sis in bono proposito inconstans: quàm in tuis verbis incircumspe-

ctus?

ctus; quàm in operibus improvidus, quàm denique ad quæcunque negocia grauius timidus, ac pusillanimis.

*Peccatorum fœditas.*

Quartò, expensa supra dicto ordine, tuorum peccatorum multitudine. considera etiam eorum grauitatem, vt videre possis, qua ratione miseria tua vndiq; aucta fuerit. Quod vt melius præstare possis, in præteritæ vitæ peccatis hæ tres circumstantiæ tibi ponderandæ sunt: videlicet, contra quem, cur, qua ratione peccaueris.

Si contra quem peccasti animaduertas, inuenies, peccasse te contra Deum, cuius bonitas, atque maiestas est immensa: cuius erga homines beneficia, & misericordiæ arenam maris exsuperant.

Sed cur peccasti? Ob vnicum, duntaxat, honoris punctum; ob vniam bestialem delectationem; ob vnicum lucri pilum, & sæpe numero absque vlla lucri commoditate, ex sola consuetudine, & contemptu Dei.

At, qua ratione peccasti? Cum tanta promptitudine, tanta audacia, tam sine timore, & conscientiæ scrupulo, & interdum cum tanta facilitate, atque delectatione, ac si peccasses contra aliquem Deum ex ligno fabricatum, qui nec scit, nec videt ea, quæ in mundo aguntur. Hicne est honor, tantæ maiestati debitus? Hicne est gratitudo, pro tantis beneficijs acceptis? Itane peritolum illo preciosissimo

fan-



sanguini in cruce effuso, illiſque flagris, & a-  
lapis pro te acceptis? O te miserabilem ob id,  
quod amisisti, & adhuc miserabiliorem ob id,  
quod fecisti; sed plus quam dici potest mise-  
randum, si tui ipsius perditionem non sentis.

Præterea, res est summæ utilitatis, mentis  
obutum in consideratione tuæ nihilitatis a-  
liquantulum detinere. Istud autem est intui-  
eri, quo pacto ex parte tua nihil aliud, quam  
nihilum, & peccatum habeas; cætera verò  
omnia à Deo sint. Certum quippè est, omnia  
tam naturæ, quam gratiæ dona, quæ præstan-  
tiora sunt, ipsius esse. Ipsius enim est præde-  
stinationis gratia, quæ reliquarum omnium  
gratiarum fons est, & origo: ipsius vocatio:  
ipsius gratia concomitans: ipsius denique perse-  
uerantiæ, & vitæ perennis gratia. Quid er-  
go aliud ex te habes, de quo gloriari possis,  
quam nihilum, & peccatum?

Tantisper igitur in istius tuæ nihilitatis cõ-  
templatione subsiste: & hoc solum in tuis bo-  
nis enumera, reliqua omnia, in bonis Dei: vt  
hac ratione manifestè videas, ac veluti ma-  
nibus tangas, qui tu sis, & quis ille sit: quam  
pauper tu, & quam diues ille: & consequen-  
ter, quam parum in te confidere teque ipsum  
æstimare, contra verò, quantum in ipso con-  
fidere, ipsum amare, & in ipso debeas glo-  
riari.

Perpensis igitur rebus omnibus superius e-  
numeratis, quam poteris abiectissimè de te  
sentias: considerans te nihil aliud esse, quam

arundinem quouis vento agitatum, absq; vilo pondere, ac stabilitate, & absque vilo consistendi modo. Cogita te alterum Lazarum esse, quatrídu iam defunctum, & cadauer quoddam foetidum, abominandum, & vermicibus scatens; quod omnes pertranseuntes, naribus obturatis, & oculis clausis abominantur. Existima te eodem pacto in conspectu Dei, & Angelorum foetere: teque indignum reputes, qui oculos in cœlum attollas, quemque terra sustentet: aut cui creaturæ inseruiant, & denique ipso, quo vesceris pane, & aura, qua frueris, indignum te esse.

Tandem cum illa publica peccatrice te ad Saluatoris pedes prosterne, facieque tua confusione cooperta, cum eadem verecundia, qua cōpareret mulier coram marito suo, cui fidem violasset, cum magno dolore, ac cordis compunctione, veniam erratorum tuorum ab eo pete, vt pro sua immensa pietate, & misericordia, te in gratiam suã recipere dignetur.

*Oratio pro remissione peccatorum.*

**O** Clemens & misericors Deus, quis miserebitur mei, aut quis dolorem, ac luctum meum leuabit, nisi gratissima recordatio misericordix tuæ: Nam dum peccata, & delicta, quorum mihi conscius sum, mecum pondero, angor vehementer, & acerbissimo animi sensu affligor, quia veste innocentix, vitæque, ac morum integritate penitus reiecta, veste iniquitatis à planta pedis ad verticem

vique

visque capitis, cum sempiterna ignominia, me obduxi.

Quis est, Pater sanctissime, qui pro rei atrocitate deslere, & deplorare tantas calamitates, hancque mandatorum tuorum despicientiam queri satis possit? Custodi me deinceps, obsecro Domine, ab omnibus oblectamentis peccati: & largire, vt gravitate peccatorum meorum ponderata, nulli ærumnæ & calamitati huius vitæ me subducam, mortem que in continuis, pro honore tuo, & salute mea, excubijs præstolans purus, & ab omni peccati labe expurgatus, lætus in conspectu tuo compaream!

## F E R I A 3.

*De miseriis Vita humana.*

**H**Ac die considerabis humanæ vitæ miseras, vt ex illis perspicias, quàm inanis, & digna omni contemptu sit gloria mundi. Quãdoquidem tam debili fundamento nititur, hac scilicet miserabili vita, Cuius defectus atq; miseriæ licet sint penè innumeræ; tu tamen singillatim poteris has septē considerare.

*Brevitas Vita huius.*

Primum igitur considera, quàm hæc vita præsens brevis sit. Si quidem longitudo diurnitatis eius septuaginta, aut octoginta annorum est: si quid reliquum est temporis, nihil est (vt Propheta testatur) nisi labor & do-

lor. Quod si pueritiæ tempus, in quo magis belluarum, quam hominum vita transigitur, & illud, quod dormiendo consumimus, quoque sensu, & ratione, quæ nos homines efficit, vti non possumus, ex vitæ nostræ tempore detrahimus: facillè reperiemus, breuiorem adhuc illam esse, quam apparet. Et, si præter hæc omnia, cum æternitate ventura conferamus, vix eam vnicum temporis momentum reputabimus. Vnde colligerè poteris, quam sint illi insani, qui, vt momentanea huius vitæ oblectatione fruantur, se in periculum, amittendi sempiternam coniiciunt.

*Incertitudo Vita huius.*

Secundò considera, quàm sit hæc vita incerta & dubia: quæ est altera miseria magna. Quotus enim quisque est, qui hunc septuagesimum, aut octogesimum annum attigerit? Quàm multis tunc tela succiditur, cum primum eam texere incipiebant? Quàm multi in flore ætatis abripiuntur: *Nescitis*, inquit Saluator, *quando Dominus Vester Venturus sit manè, an meridie, an media nocte, à gallicantu.* Iuuabit te plurimum ad id melius penetrandum in memoriam reuocare mortem multarum personarum, quas in hoc seculo cognouisti: nominatim verò amicorum, ac familiarum tuorum, & præsertim virorum illustrium, atque insignium, quos diuersis ætatibus, mors inuasit, eorumque spem & conatus delusit.



*Fragilitas huius Vita.*

Tertiò expende, quàm sit hæc vita fragilis & inuenies, ne vas quidem vitreum tam fragile esse, atque ipsa est. Vnicus siquidem ventus, vnicus solis radius, vnicus aquæ frigidæ haustus, aut vnicus infirmi flatus potest nos ea ipoliare. Id quod plurimarum personarum experimento constat, quas in pulchriori ætatis suæ flore, quæcunque ex supradictis causis prostrauit.

*Instabilitas Vita.*

Quartò considera, quàm sit mutabilis, & nunquam in eodem statu permanens. Quod vt melius intelligere possis, perpende, quàm multis mutationibus subiecta sint humana corpora nostra, quæ nunquam in eadem sanitate, ac dispositione consistunt: & quàm multò pluribus obnoxij sint animi, nostri, qui, tanquam mare, passionum, desideriorum, & sollicitudinum ventis, ac fluctibus: quibus singulis horis perturbantur, continuo huc, illucque agitantur. Deniq; quàm multæ sint mutationes, quæ dicuntur Fortunæ, quæ nunquam res humanas, aut in eodem statu, aut in eadem prosperitate, aut lætitia diu persistere sinit: sed semper velut rota quædam ab vno in alium locum conuertitur. Verùm super omnia considera, quàm continuus sit nostræ humanæ vitæ motus. Siquidem diebus ac noctibus nunquam quiescit, & semper aliquid sui paulatim amittit. Quid enim est vi-

ta nostra aliud, quàm veluti quidam flos, qui matutino tempore comparet, in meridie marcescit, & velperi exsiccatut ?

Cuius totius mutationis radicem explicat Deus, per Itaiam cap: 40. dicens: *Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Super quæ verba sanctus Hieronymus dicit: *Vere, qui considerauerit carnis nostre fragilitatem, & quæ ratione in singulis temporis punctis, atque momentis crescimus, & decrescimus, nunquam in eodem statu permanentes, & quo pacto id ipsum, quod modo loquimur, designamus, & scrutamur, auferitur ex Vita nostra: non dubitabit carnem nostram fœnum appellare, & omnem gloriam eius, tanquam florem fœni.* Qui modò sit infans, subito fit puer, & puer iuuenis citissimè ad senectutem peruenit; ita vt priùs se senem homo animaduertat, quàm quomodo iam non sit iuuenis, admiretur. Et mulier pulchra, quæ post se infanorum iuuenum cateruas trahit, citissimè faciem rugis aratam ostendit, & quæ paulò antea erat amabilis, paulò post fit omnibus exosa.

*Fallacia Vitæ.*

Quintò considera, quàm sit fallax. Nam, cum sit turpis, nobis videtur pulchra: cum sit amara, videtur dulcis: cum sit breuis, vnicuique tamen sua videtur longa; & cum sit misera, vsque adeò tamen amabilis iudicatur, vt non sit periculum, aut labor vllus, cui non se

pro illa homines exponant, tametsi id cum detrimento vitæ perennis futurum sciant.

*Miseria Vita.*

Sextò considera, qua ratione præterquam quod tam brevis, incerta, fragilis, & mutabilis est, (vt supra est dictum) id modicum temporis quod habet, tantis miserijs, tam animæ, quàm corporis obnoxium est; vt tota ipsa nil aliud sit, quàm quædam lachrymarum vallis, & quoddam infinitarum miseriarum pelagus. Scribit S. Hieronymus, Xerxem potentissimum illum Regem, qui solo æquabat montes, & maria complanabat, cum in excelsum montem conscendisset, vt inde copiosissimū innumerabilium hominum exercitum, quem collegerat, intueretur; cum benè illum inspexisset, flere cœpisse. Interrogatum autem, ob quam causam fleret, respondisse: Quia post centum annos, nullus eorum, quos modò præsentem video, superstes erit.

O si posses in speculam aliquam altam ascendere, ex qua vniuersam terram sub pedibus tuis intuereris. Inde videres totius mundi casus, atq; miserias: gentes à gentibus, & Regna à Regnis deleta. Videres quo pacto alij subiiciuntur tormentis, alij occiduntur, alij submerguntur in mari, & alij captiui ducuntur. Hic videres nuptias, ibi plàntum: hic quosdam trucidari, ibi alios aliter interire: hic nonnullos diuitijs abundare, ibi alios egestate premi. Deniq; videres, non solum exercitum

citum Xerxis, verum etiam omnes homines, modò in orbe viuentes, post paucos dies non comparere. Discurre per omnes corporum humanorù ægritudines, & labores, percip omnes animæ afflictiones, ac sollicitudines, & per omnia pericula, quæ tam in statibus cunctis, quàm in omnibus hominum ætatibus inueniuntur, & adhuc clariùs perspicies, innumeras esse huius vitæ miserias: vt hac ratione manifestè videas, quàm parum sit, quod mundus dare potest, & faciliùs, quidquid in eo continetur, contempnas.

*Mors Vita huius.*

His verò omnibus supradictis miserijs succedit vltima, nempe mors, quæ tam his rebus quæ ad corpus, quàm illis, quæ ad animam pertinent, comparata, est omnium terribilium terribilissimum. Corpus tunc siquidem in vno temporis momento omnibus suis rebus spoliabitur, & de ipsa anima id decernetur, quod in æternum duraturum sit. Hæc omnia tibi manifestè monstrant, quàm breuis, ac miserabilis sit gloria mundi, quandoquidem talis est mundanorum vita, qua nititur: & consequenter, quàm digna sit, quæ contemnatur, & omnium pedibus conculcetur

*Oratio, ad miserias Vita huius rite auersandas.*

**A** Peri, ô benignissime Iesv, oculos meos, vt videam, & interiori sensu mentis gustem, quàm misera, & amara, quàm fragilis, & in-



& incerta, quàm breuis, & mutabilis, quàm  
 fucata, & fallax, fit vitæ præsentis dulcedo.  
 Fac, vt deponam omne onus carnalium desi-  
 deriorum, & concupiscentiarum. Sic graue  
 mihi omne, quod de transitorijs audio. Da,  
 spernere perituras diuitias, & fugitiuos ho-  
 nores. Siste vagam mentem, per devia ruen-  
 tem in præcipitium.

Pereat in me, Domine, rerum omnium ca-  
 ducarum amor, & occupatio: crescat sola æ-  
 ternorum esuries, & sitis. Da, vt omnem pe-  
 regrinum amorem sentire, aut circumferre in  
 pectore meo prorsus dedigner. Da, vt cum  
 Apostolo tuo omnia præter te, pro detrimen-  
 tis habeam, & asperner, atque vt stercora ex-  
 istimem. Da denique, vt omnia, quæ fallaci-  
 ter pulchra, amœna, iucunda, suauia in hoc  
 mundo videntur, ita me ad amorem tuum ex-  
 citent, & inflamment, sicut hætenus, pro dolo-  
 re, inde me auocarunt, & abstraxerunt.

## FERIA QVARTA.

*De Morte.*

**H**Ac die contempleris transitum mortis,  
 quæ est vna ex utilissimis considerationi-  
 bus, quæ reperiri possunt, tum ad veram sa-  
 pientiam consequendam, tum ad fugienda  
 peccata, tum denique, vt homo ad horam ra-  
 tionis suæ maturè se præparare incipiat.

Primum igitur considera, quàm incerta sit  
 hora illa; in qua te mors aggredietur. Nec e-

nim scis, quo die, quo loco, & in quo statu te inuafura fit: hoc solum scis, certo te moriturum. Reliqua omnia incerta sunt, nisi quod plerumque superuenire solet eo tempore, & hora, qua homo minus de ea cogitabat.

Secundò considera separationem, quæ tunc fiet, non solum rerum, quæ in hac vita diliguntur: verum etiam animæ, & corporis, quorum societas tam chara, & antiqua tuit. Si tam grande malum reputatur, exilium à propria patria, & ab aura, in qua quisque natus est, etiam si liceat exuli, quicquid amat, secum exportare: quanto maius censendum est exilium vniuersale ab omnibus rebus domesticis, à bonis, ab amicis, à patre, à matre, à filijs, ab hac luce & aura communi, denicq; ab omnibus rebus? Si bos vehementer mugit, cum ab altero boue separatur cum quo arabat: qualis tunc erit cordis tui gemitus, cum te segregabunt ab illis, cum quibus duxisti iugum vitæ præsentis.

Tertiò considera, quâ tunc homo pœna crucietur, cum eius oculis obijcitur, quid de corpore & anima post mortem futurum sit. Scit enim iam, corpori nullam aliam posse accedere meliorem sortem, quam septem pedum foueam, idque cum aliorum cadauerum societate: sed de anima quid futurum sit, certo nescit. Quæ est vna ex maximis anxietatibus, quas in articulo mortis homo patitur: scire, nimirum, gloriam, & pœnam sempiternam proximam esse, & ignorare nihilominus, vtra

ista-

istarum fors, illi obtingere debeat.

Huic anxietati succedit altera non minor, videlicet, ratio mox post animæ exitum reddenda, quæ etiam fortissimos quosq; contremiscere facit. De Arsenio scribitur, quòd cum iam esset morti vicinus, pertimescere cœperit, cumque discipuli dixissent: Pater, tu modò times? Respondit: Filij, non mihi nouus est timor iste: semper enim cum eo vixi. Ibi igitur homini repræsentantur omnia vitæ præteritæ peccata, tanquam quædam inimicorum cohors, in ipsum irruentium, maiora præsertim, & in quibus magis delectatus est. Hæc enim viuacius obijciuntur, & maioris timoris causa sunt.

O quam tunc est homini amara memoria, præteritæ voluptatis; quæ alio tempore tam dulcis fuit. Vnde meritò dicit Sapiens (Prou: 23.) *Ne intuearis Vinum, quando flauescit cum splenduerit in vitro color eius. Ingressus blandè, sed in nouissimo mordebit et coluber, & sicut Regulus Venena diffundet.* Iste sunt foeces illius venenose potionis inimici: iste sapor, quem calix ille Babylonicus, exterius inauratus, reliquit. Tunc igitur miser homo, videns se tot accusatoribus circumuallatum, incipiet timere telam, in iudicio illo finali texendam, atq; intra se dicere: *ò me miserabilem, qui sic hæcenus deceptus fui, & viam tam periculofam ingressus sum. Quid de me nunc erit in hoc iudicio.* Si D. Paulus asserit, (Gal: 6.) quòd *Quæcunque homo seminauerit, hæc & metet.* ego qui

nil aliud quàm opera carnis seminavi, quid, præter corruptionem, me collecturum sperare possum? Si S. Ioannes asserit, in illam supernam ciuitatem, quæ tota est aurum mundissimum, non ingressurum aliquid coinquinatum: quid sperare debet, qui iam fordidè, ac turpiter vitam transegit?

Post hæc, sequitur Confessionis, Communionis, & Extremæ vnctionis Sacramentum quod est vltimum subsidium, quo Ecclesia potest nos, in illo periculo, & labore constitutos, adiuuare. Et tam in hoc, quàm in cæteris omnibus cõsidera angustias, & anxietates, quibus tunc homo, qui malè vixit, torquebitur. Quantum optaret, se meliore via incesse? Quàm rigidam vitam traduceret, si ad huc tempus illi pœnitendi concederetur? Qua denique ratione tunc excitabit se ad implorandum Deum: sed morbi, dolores, & instantia mortis vix hoc illi permittent.

Considera quoq; postrema illa infirmitatis accidentia (quæ sunt veluti mortis nuncij) quàm sint horribilia, atq; timoris plena. Eleuatur pectus, raucescit vox, emoriuntur pedes, congelantur genua, extenuatur nalis, imprimuntur oculi, vultus pallefcit, lingua deficit, deniq; omnes sensus magna animæ discedentis pressura conturbati, vim & virtutem amittunt. Sed præ omnibus anima ipsa est, quæ tunc maiores dolores subit. Ibi etenim configit acerbissimè, & agonizat, partim ob exitum, partim ob timorem rationis reddendæ.



dæ, quæ iam illi imminet. Ipsa enim naturaliter exitum à corpore recusat, mansionem in eodem diligit, & rationem peritescit.

Egressa iam anima ex carnis ergastulo, adhuc tibi supersunt duo itinera conficienda: vnum quo corpus vsque ad sepulchrum deducas, alterum, quo animam vsque ad causæ ipsius definitionem comiteris, considerans interim, quid vtrique superuenturum sit. Inspice, igitur primò, quale maneat corpus, post obitum, & quàm splendida sit illa vestis, quæ ei parant, quàmque diligenter curent illud quàm citissimè ex domo educere. Considera eius funus cum omnibus, quæ in illo interueniunt: pulsantur campanæ: interrogant omnes, quis nam mortuus sit? adhibet Ecclesie cantus, & officia lugubria: amici luctu pleni illud comitantur, quousque corpus in sepulchro recondant. Sed vbi reconditum erit, sedulo dant operam, vt perpetuè illud obliuioni tradant.

Relicto deinde corpore in sepulchro, perge statim post animam, & considera iter, quod per illam nouam, & ignotam regionem factura est. Quem verò tandem finem sortietur, & quale iudicium subibit? Imaginare, te iam iudicio illius præsentem adesse, & totam celestem curiam sententiæ finem expectare, vbi accepti & expensi vsq; ad minimum quadrantem rationem reddiderit. Exigetur autem ratio strictissima totius vitæ, bonorum, familiarum, inspirationum Dei, commoditatum, quas ad

benè viuendum, habuimus, & super omnia sanguinis Christi: & iuxta datam rationem, vnusquisque vel ad vitam, vel ad mortem sempiternam iudicabitur.

*Oratio, pro felici exitu ex hac vita.*

**M**ericordissime Domine Iesu, si sic agitur cum homine morituro, & in talibus periculis & angustijs erit vita spiritus mei ex hoc seculo migraturi: quò fugiam, nisi ad te, Deus meus? Tu erue animam meam, vt non pereat, in hora illa tremenda. Præsta mihi, obsecro, secundùm multitudinem miserationum tuarum, & per illum amoris æstum, & ardorem, quo ipse, qui vita es, mori pro me voluisti: vt mortis corporalis agonem, semper præ oculis habeam; & hoc agam modò viuens, quod moriens optarem me egisse; vtq; nulla in re tantum operæ, ac studij ponam, quàm, vt mihi ipsi spiritualiter moriar, & cunctas sensuum meorum extinguam, & mortificem passionem: sicq; tecum post hanc vitam, foelix, ac beatus viuam in æternum.

*Feria Quinta de Vniuersali iudicio.*

**H**Ac die meditaberis vniuersale Iudicium, vt hac consideratione duo illi præstantissimi affectus, timoris Dei, & odij peccatorum: quibus quisque fidelis præditus esse debet, in anima tua excitentur.

Considera igitur primùm, quàm futura sit dies illa terribilis, in qua, aperientur, causæ  
omnes

omnes filiorum Adam, nostræque vitæ cuncti processus concludentur, & vltima sententia de vno quoque decernetur, irreuocabilis, in æternum. Dies horribilis valdè: quæ omnium sæculorum præteritorum, præsentium, ac futurorum, dies complectetur, in qua mundus istorum omnium temporum rationem redditurus est: & effundet Deus iram omnem, quam à tot iam sæculis collectam habet. Quanto igitur impetu prorumpet copiosissimus ille fluuius indignationis Diuinæ: qui tot iræ, & indignationis represiones habuit, quot sunt peccata, quæ ab initio mundi perpetrata sunt?

Secundò considera horribilia signa, quæ hunc diem præcedent, in sole, & luna, & stellis, & omnibus creaturis cœli, & terre. Omnes enim finem suum præsentient, antequam consumantur. Et homines ipsi arescent, & contabescant audientes, & inspectantes tam portentosos motus, tamq̃ ingentes calamitates & misérias, quæ toti mundo imminébunt. Atque ita incedent attoniti, & obstupescati, faciebus pallidis, ac deformatis: ante mortem mortui; & ante iudicium condemnati, metuentes pericula suis propriis timoribus. Vsq̃ adeò verò vnusquisq̃ suo proprio timore occupatus erit, vt non sit recordaturus alieni; tametì patris, aut filij. Nullus quippè erit passurus pro aliò, quia nullus pro se sufficiet.

Tertiò considera incendium illud vniuersale, quod iudicem præcedet, & horrendum

illum sonitum tube, quem edet Archangelus, ad conuocandas omnes mundi generationes: vt in vnum locum conueniant, & horribili iudicio præsentés adsint. Sed super omnia, expende tremendam illam, in qua iudex veniet, maiestatem.

Quartò considera, quàm stricta futura sit ratio, quæ à singulis exigetur, *Vere scio* (inquit Job, cap: 9, ) *quòd ita sit, & quòd non sufficetur homo compositus Deo. Si solueris contendere cum eo, non poterit ei respondere & num pro mille:*

Quid igitur sentiet tunc, cum Deus examen hoc cum illo ingrediatur, & intra conscientie arcanum dicet illi: Ad idum homo nequam, quid in me vidisti, quòd ita me despexeris, & ad inimici mei partes transferis? Ego te ad imaginem, & similitudinem meam creauit: ego tibi fidei lumen sum largitus, ego tibi eam gratiam contuli, vt Christianus esses, meoque pretioso sanguine te redemi: pro te iunauit, iter feci, vigilauit, laborauit, & sanguineas guttas sudauit: pro te persecutiones, flagra, blasphemias, irrisiones, alapas, ignominias, tormenta & crucem ipsam passus sum. Testes sunt hæc crux, & hi clauit, qui hic comparent. Testes hæc manuum, & pedum stigmata, quæ in meo corpore remanserunt. Testes cælum & terra, in quorum conspectu passus sum. Quid igitur fecisti cum hac anima tua, quam ego meam meo sanguine feceram? In cuius obsequium consumpsisti, quòd ego tam carè comparauit: ò generatio stulta,

& ad



& adultera, quare maluisti inimico tuo cum labore, quam mihi creatori, & redemptori tuo cum lætitia inferuire?

Quoties vocaui vos, & non mihi respondi-  
stis? Pulsaui ad ianuas vestras, & noluitis ex-  
citari? Extendi manus meas in cruce, & eas  
non aspexistis? Mea consilia, promissa, & com-  
minationes contempnistis? Dicite ergo nunc  
vos, ô Angeli, Iudicate vos, iudices & affes-  
sores mei, inter me & vineam meam, quid  
amplius debui pro ea facere, quam feci? Quid  
hic respondebunt mali? Quid contemptores  
rerum Diuinarum? Quid irrisores virtutis?  
Quid simplicitatis vilipensores? Quid ij, qui  
leges mundi, quam Diuinas pluris fecerunt;  
qui cunctis Dei vocibus surdi, inspirationibus  
insensibiles, mandatis rebelles omnibus; de-  
nique flagellis, & beneficijs, duri, & ingrati  
extiterunt? Quid respondebunt, qui ita vixe-  
runt, ac si non esse Deum credidissent? Qui  
nullius alterius rei quam proprij commodi,  
& voluptatis rationem habuerunt? *Quid fa-  
ciatis (ait Isaias cap: 10.) in die visitationis, &  
calamitatis, de longe venientis? ad cuius confugie-  
tis auxilium, & ubi derelinquetis gloriam vestram,  
ne incurramini sub vinculo, & cum interfectio  
cadatis?*

Postremò, considera terribilem illam sen-  
tentiam, quam Iudex contra malos fulmina-  
bit: & illam horrendam vocem, quæ audien-  
tium aures timere faciet: *Læsa eius (inquit  
Isaias cap: 30.) repleta sunt indignatione, & lin-*

*gna eius quasi ignis devorans.* Quis ignis ita comburet, sicut verba illa? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius?* Ô infelicem peccatorem; Si Deus maledicet tibi, quis benedicet? Si à Deo discedendum tibi erit, ad quem confugies? Si in ignem æternum, quando erit finis? In quolibet horum verborum habes plurimum, quod ruminas, & sentias: in discessu, in maledictione, in igne, in societate; sed præ omnibus, in ipsa æternitate.

*Oratio, ad propitiã in Iudicio sententiam impetrandã.*

**D**EUS Deorum Domine, misericors super malitia: novi, quia non semper nostris sceleribus connuebis: non semper dissimulabis. Venies tandem, ab omni probro, & ignominia tuum nomen & gloriam vindicaturus. Venies, & qualis quisq; fuerit, quid egerit, quid in te admiserit, qua pietate, & religione te coluerit, in bonorum, & malorum vita inquisiturus es. Socordiam, precor Domine, cordis mei, sonitu illo tubæ Archangelicæ, quam in nouissimo die sum auditurus, excita. Effice, vt ad nutum & arbitrium hominum me fingere, & accommodare definã: neque quid mundus de me dicat, attendam: nec displicere reformidem vlli, modò placeam tibi.

Perfunde me, Domine, copia lachrymarum, vt Chirographum Diaboli, quod contra me

est

est prolaturus, deleam, teq; mihi in illo pun-  
cto propitium habeam: ne à conspectu tuo  
ad gregem illum teterrimum reproborum, à  
crudelissimis inferni carnificibus torquendus  
detrudas, quibus dicturus es, Ite maledicti in  
ignem æternum: sed cum electis tuis ad dex-  
teram constitutus, audiam vocem illam tuam  
dulcissimam: Venite benedicti Patris mei,  
possidete paratum vobis Regnum à consti-  
tutione mundi.

*Feria Sexta, de pœnis inferni.*

**H**Ac die meditaberis pœnas inferni, vt ea  
consideratione, Dei timor, & peccatorum  
odium, altiores in anima tua radices iaciant.

Hæ pœnæ (ait D. Bonaventura) sub qui-  
busdam figuris, & similitudinibus corporeis:  
quas nos sancti Patres docuerunt, imaginan-  
dæ sunt. Quare operæ precium erit, imagina-  
ri (sicut idem ait) locum inferni, tanquam la-  
cum obscurum, & tenebrosum, sub terra con-  
stitutum: vel tanquam profundissimum pu-  
teum igne repletum: aut tanquam horribi-  
lem aliquam ciuitatem, quæ tota ingentibus  
flammis comburitur, in qua nihil aliud au-  
ditur, quàm voces, & gemitus cruciantium,  
ac cruciatorum, cum perpetuo luctu, & stri-  
dore dentium.

*Pœna sensus.*

In hoc igitur infoelici loco duas præcipuas  
pœnas damnati patiuntur: alteram, quam vo-  
cant sensus; alteram, quam appellant damni.

Quod

Quod ad priorem attinet, considera, nullum fore intra, & extra animam sensum, qui suum proprium cruciatum non sit habiturus. Quem admodum enim mali omnibus suis membris & sensibus Deum offenderunt, exhibentes illa, tanquam arma, ad seruiendum iniquitati & peccato: ita ipse ordinabit, vt tam sensus, quam membra singula suo proprio cruciatu torqueantur, & debitas poenas luant. Ibi oculi adulteri atque inhonesti, horribilem Dæmonum visionē patientur. Ibi aures, audiendis mendacijs, & turpitudinibus deditæ, perpetuas blasphemias, & gemitus audient. Ibi nares, suffituum, & odoramentorum sensuallium amatrices, intolerabili foetore opplebuntur, Ibi gustus, qui suauissimis cibus, & condimentis se oblectabat, rabida siti, & fame cruciabitur. Ibi lingua murmuratrix, atq; blasphema à Dracone infernali felle amaritudinis inficietur. Ibi tactus, deliciarum, & blandimentorum amator, inter ignis, & flammaram ardores volutabitur. Ibi imaginatiua vis, præsentium dolorum apprehensione memoria, præteritarum delectationum recordatione, intellectus, futurorum malorum representatione: voluntas incredibilis iracundia, & rabie contra Deum cruciabuntur.

Ibi denique omnia mala, & tormenta, quæ excogitari possunt, in vnum congerentur. Nam vt D. Gregorius ait, ibi erit frigus, quod ferri non possit, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, intolerabilis foetor, tenebræ pal-



pabiles, flagra torquentium, Demonum visio, peccatorum confusio, & omnium bonorum desperatio. Considera igitur, si minimum istorum malorum, quæ ibi reperiuntur, tametsi valdè exiguo, etiam vnus tantum horum spacio, tam difficile toleratu esset in hoc seculo: quàm graue ibi futurum sit, totam hanc malorum multitudinem, in omnibus membris interioribus, & exterioribus, non vnus tantum, nec mille noctium, sed vnus immensa æternitatis spacio, vno, eodemq; tempore pati? Quis sensus, quæ verba, quod iudicium in orbe reperietur, quo hæc dignè ponderari, & exaggerari possint.

*Pœna damni.*

Verùm non est hæc pœnarum maxima, quæ ibi tolerantur. Altera est absq; vlla comparatione maior, illa nimirum, quam pœnam damni Theologi vocant Quæ in sempiternæ visionis Dei, eiusq; glorioſi consortij priuatione consistit. Eò enim pœna maior est, quò maiori bono hominem priuat, Quemadmodum igitur Deus est omnium bonorum præstantissimum; ita eo carere; sine controuersia, est omnium malorum maximum?

*Pœna particulares.*

Hæ sunt pœnæ, quæ omnibus in vniuersum damnatis competunt. Præter has tamen generales pœnas; sunt aliæ particulares, quas quisque damnatorum iuxta peccatorum suo-

rum mensuram, & qualitatem exsoluet. Alia quippè erit ibi superbi pœna, alia inuidi, alia auari, alia luxuriosi, & sic de cæteris. Ibi doloris mensura, iuxta perceptæ delectationis rationem: confusio, iuxta præsumptionis, & superbix gradum: nuditas iuxta superflui abundantiam: fames & sitis, iuxta præteritæ saturitatis, ac deliciarum modum, mensurabitur.

*Æternitas in Pœnis.*

His omnibus pœnis supradictis, accedit æternitas, quæ est veluti cæterorum omnium sigillum, & clavis. Quippè omnia tolerabiliora essent, si essent finita. At cum pœna inferni declinatione, & diminutione careat, neque vlla spes sit, quo vel pœna ipsa, vel is, qui eam infert, aut qui illam patitur, vnquam finem habiturus sit; sed sit tibi veluti quoddam irreuocabile exilium, perpetuè quædam ignominix nota, & dolorum ac cruciatuum æterna perpelsio: id demum est, quod hominem attentius considerantem à proprio iudicio deturbat. Hæc igitur est pœnarum maxima, quæ in illo infelicissimo loco tolerantur.

Nam si hæc pœnæ certo & definito alicuius temporis spatio, quantumvis multis centenis millibus annorum duraturæ essent; vel certè vt quidam Doctor ait, speraretur tandem finis futurus, quando Oceani Maris aqua exhauriretur, millesimo quoque anno vnicam duntaxat guttam formica aliqua ex eo hauri-

ente: aliquid adhuc miseris illis solatium esset. At non ita erit, quinimò eorum poena cum Dei æternitate, & eorundem miseria cum Diuinæ gloriæ duratione certabit. Quam diu enim Deus viuet, ipsi morientur: & quando Deus desinet esse, qui non potest non esse, & ipsi esse desinent. In hanc igitur durationem, & æternitatem considerationis oculos aliquantisper defige, & tanquam animal mundum, rem hanc intra temetipsum diligenter rumina: quandoquidem in Euangelio tuo æterna veritas clamat: *Cælum & terra transibunt, Verba autem mea non transibunt.*

*Oratio, qua deprecamur æternas inferni pœnas.*

**A**gnosco, bone Iesu, seruorum Diaboli ærumnis, & calamitatibus plenam infœlicitatem, qui talem à Domino tuo gratiam, talem insensati mercedem expectant: & tam acerbis præsentis vitæ laboribus, tam sæuos, & intolerabiles cruciatus mercantur: vt inexplicabilium tormentorum vehementia, animam in horas agant, nec vnquam optato potiantur occasu: mortem perferant immortalem, & tristissimum viui & videntes funus ducant: à te summo bono, & tuo, ac beatorum omnium consortio, ad quod creati sunt in sempiternum extorres. O iudex iustissime, simul & misericordissime: gratias tibi immensas ago, quòd me hæcenus tam frequenter, & grauius peccantem, in tale exitium ruere non sis passus: sed ad hanc vlcq; horam, summa  
 pietæ

pietate, donec ad mentem saniozem redeam, expectasti. En iterum, Domine peruersam malorum societatem, & consuetudinem execror, & sanctissima electorum tuorum vestigia persequi volo. En iterum atque iterum, omni pompæ mundi, & obsequio Diaboli renuncio, qui tam tristia seruis tuis præmia largitur. Iam me recipe, Domine, in seruum perpetuum, & post huius vitæ curriculum illius cœlestis gloriæ, & hæreditatis me com-  
potem facias.

*Die Sabbathi, de gloria beatorum.*

**H**Ac die contempleris beatorum gloriam: vt hinc cor tuum ad mundi contemptum, & eorundem consortium inflammetur. Vt autem aliquid istius boni prægustare possis, hæc quinque, quæ inter alia in eo reperiuntur, tibi consideranda sunt: videlicet, loci præstantia, societatis gaudium, visio Dei, corporum gloria, & denique omnium bonorum, quæ ibi reperiuntur affluentia,

*Locus cœlestis gloria.*

Primum ergo loci præstantiam considera ac sigillatim magnitudinem eius, quæ est planè admirabilis. Cum enim graues Authores, scribant, quæcumque stellarum cœli, tota terra maiorem esse, & inter eas nonnullas tantæ magnitudinis reperiri, vt nonagies terræ amplitudinem superent: si adhuc quispiam oculos in cœlum eleuans, tantam in eo stellarum



rum multitudinem, tamque multa spacia vacua, quæ multò plures capere possent, intuetur, quomodo non obstupescet? Quomodo non attonitus, extra se exibat, immensitatem illius loci, & multò magis illius superni Domini, qui illum condidit, contemplans?

Pulchritudo autem eius, verbis exprimi non potest. Si enim in hac lachrymarum valle, & exilij loco, Deus res usque adeò admirabiles, pulchrasque produxit: quid putas creavit in illo loco, qui est gloriæ suæ habitaculum, celsitudinis suæ thronus, suæ maiestatis palatium, electorum ipsius domus, & omnium deliciarum paradisus.

*Cives Paradisi.*

Post loci præstantiam, nobilitatem habitantium in eo contemplare. Quorum numerus, sanctitas, diuitiæ, & pulchritudo, quicquid cogitari potest, excedit. Sanctus Ioan: testatur tantam esse electorum multitudinem ut nemo eos valeat enumerare. S. Dionisius Arcopagita affirmat, Angelorum omnium multitudinem tam copiosam esse, ut res omnes materiales, quæ in hoc orbe terrestri reperiuntur, absque vlla comparatione superet. D. Thomas Aquinas, eidem sententiæ consentiens asserit, quòd quemadmodum cœli magnitudo, sine vlla proportione, terræ multitudinem excedit: sic multitudo illorum gloriosissimorum spirituum, res omnes materiales, quæ in orbe continentur, cum eodem excessu

cessu superat. Quid igitur potest admirabilius esse?

Sanè res ista talis est, quæ si diligenter expendatur, meritò cunctos homines attonitos reddere possit. Quòd, si quilibet illorum beatorum spirituum, (etiam inter illos infimus) est pulchrior aspectu, quàm totus hic mundus visibilis: quid erit tantam pulcherrimorum spirituum multitudinem, singulorumq; perfectiones, & officia intueri? Ibi discurrunt Angeli, ministrant Archangeli, Principatus triumphant, lætantur Potestates, imperant Dominationes, splendent Virtutes. resurgent Throni, lucent Cherubini, Seraphini ardent, omnes laudes Deo perpetuo canentes. Si igitur bonorum societas, & conuersatio in terris tam dulcis, & amabilis est: quid erit ibi cum beatis tam multis, iisdemq; præstantissimis agere, loqui cum Apostolis, cum Prophetis conuersari, & cum Martyribus, cæterisq; electis communicationem habere?

Quòd si visio Dei bonorum societate gaudere, tam grandis gloria reputatur: quid erit frui consortio, & præsentia illius, quem laudant stellæ matutinæ: cuius pulchritudinem sol & luna mirantur: ante cuius conspectum & maiestatem Angeli, omnesq; illi superni spiritus genya flectunt: Quid erit intueri bonum illud vniuersale, in quo omnia bona reperiuntur: mundum illum maiorem, in quo omnes mundi continentur: illum denique, qui cum sit vnus, est omnia simul, & cum sim

plici-

plicissimus sit, omnes perfectiones completur? Si tam celebre spectaculum fuit, videre, & audire Regem Salomonem, vt Regina Saba in illa verba prorumperet, 2. Par: 9. *Beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.* quid erit, videre summam illam immensam celsitudinem, illam pulchritudinem inæstimabilem, illam infinitam bonitatem, eademque in perpetuas æternitates frui. Hæc est essentialis omnium sanctorum gloria. Hic omnium nostrorum desideriorum vltimus finis, & portus.

*Corporum gloria, & anima, omniumq; bonorum affluentia.*

Ad hæc gloriam contemplare corporum, quæ prædita erunt quatuor illis insignibus dotibus, Subtilitatis, Agilitatis, Impassibilitatis, & claritatis, quæ tam ingens est, vt vnumquodque illorum in regno cælesti veluti sol splendeat. Si igitur vnus duntaxat sol in medio cælo constitutus, lucem, atq; lætitiã toti huic mundo præbere potest: quid obsecro præstabunt tot soles, & lampades, quot ibi fulgebunt. Ibi erit sanitas sine infirmitate: libertas sine seruitute: pulchritudo sine turpitudine: immortalitas sine corruptione: abundantia sine indigentia: quies sine turbatione: securitas sine timore: cognitio sine errore: saturitas sine fastidio: gaudium sine tristitia, & sine contradictione honor. Ibi erit (ait Augustinus)

stinus) vera gloria vbi nullus per errorem, aut assentionem laudabitur: Ibi verus honor, vbi neq; negabitur digno, neq; indigno concedetur. Ibi vera pax, vbi neq; a se, neq; ab alio vllus vnquam molestabitur. Ibi virtutis præmium erit ipsemet qui eam contulit, quique semetipsum in eius remuneratione promisit. Qui sine fine videbitur, sine fastidio diligetur, & sine fatigatione laudabitur. Ibi locus est spaciosus, splendidus, atq; securus: societas optima, atq; gratissima: tempus vniforme, nequaquam vesperi, & manè distinctum, sed simplici quadam æternitate productum. Ibi est perpetua æstas, quæ refrigerante spiritus sancti aura, semper floret. Ibi omnes lætantur: omnes canunt: omnes summum illum largitorem, cuius benigna liberalitate viuunt, & in æternum regnant, perpetuo laudant. O ciuitas cœlestis, habitatio secura: terra, in qua, quicquid delectat, reperitur: populus sine murmuratione: vicini quieti, & absq; vlla indigentia, ô, si concertatio hæc tandem finiretur, ô, si exilij mei dies complerentur. Quando dies illa erit, in qua veniam, & apparebo ante faciem Dei mei?

*Oratio, qua aspiramus ad beatitudinẽ sempiternã,*

**O** Quàm beata est vita illa, Deus meus, ex-  
pers omnis doloris, anxietatis, timoris,  
tristitiæ, fastidij, mutationis. Quàm sælix est  
dies illa, qua anima Deum timens, post tot  
fluctuum, in vita calamitosa, iactationes &

tem-



tempestates portum illum securissimū æternorum gaudiorum attingit. Quam verè dicis, Apostole sancte, quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.

Largire mihi, clementissime Deus, vt vel à longè aliquatenus gustem immensam illā & inestimabilem gloriam, qua electi tui in æternum gaudent. Desicca, & adure in me, Domine, omnes inordinatas concupiscentias igne amoris tui: vt vilescant & desipiant mihi omnia terrena. Expetam tribulationes potius, quàm prosperitatem: infirmitates magis, quàm commoditates, & quæ corpori meo grata, & iucunda sunt.

Deficiat caro mea, & cor meum in te, Deus. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Nam si conferantur in me vnum omnes dies seculi, & omnes labores filiorum Adam, quid sunt hæc omnia, ad tantam beatitudinem comparata? Dum modo leuis, & expeditus à terrenis omnibus, requiescam tandem in die tribulationis, & ascendens ad populum accinctum tuum, consequar propositum mihi à te brauium, in montibus æternis: vbi tu sis, Domine, corona mea, & gaudium meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

*Die Dominico, de beneficijs Diuinis.*

**H**AC die considerabis beneficia Diuina, vt pro illis Domino gratias agas, & in eius

amo-

amorem, qui tibi tot, ac tanta bona contulit magis inardescas. Et quamuis beneficia diuina sint penè innumera; tu tamen hæc saltem quinque præcipua poteris considerare: nimirum beneficium Creationis, Gubernationis, Redemptionis, Vocationis, cum cæteris omnibus beneficijs particularibus, & occultis

*Beneficium Creationis.*

Ac in primis, quòd ad Creationis beneficium attinet; attentissimè considera, quid fueris, antequam creareris: & quid Deus tecum egerit, quid uè ante omnia merita tua tibi còtulerit: uidelicet, corpus istud cum omnibus suis membris, ac sensibus; & hanc præstantissimam animam, cum illis tribus tam insignibus potentijs, intellectu, memoria & voluntate. Et considera benè, quòd conferre tibi talem animam nil aliud fuit, quam cuncta tibi conferre. Quandoquidem nulla perfectio in aliqua creatura reperitur, cuius homo suo modo particeps non sit. Viuit namque cum plantis, sentit cum brutis, cum Angelis intelligit. Vnde apparet, quòd cum nobis hanc gemmam contulit, res omnes simul, ac semel contulit.

*Beneficium conseruationis,*

Quantum attinet ad beneficium conseruationis, inspicere; quantopere ex Dei prouidentia pendeas; qua ratione ne vno quidem temporis momento viueres, nec vnicum passum face-

faceres nisi per ipsum, & cum ipso: quo pacto item res omnes mundi in tuum obsequium condiderit, mare, terram, aues, pisces, bruta, plantas, quinimò & ipsosmet paradisi Angelos. Ad hæc considera sanitatem, vires, vitam alimenta, cum omnibus alijs temporalibus subsidijs, quæ tibi largitur. Sed super omnia vehementer exaggera miseras, & calamitates in quas quotidie plurimos incidere vides, & in quas tu etiam potuisses cadere, nisi te Deus sua immensa pietate præseruasset.

*Beneficium Redemptionis.*

Quantum ad Redemptionis beneficium duo poteris considerare. Vnum est quam multa & magna fuerint bona, quæ hoc beneficio mediante nobis donauit: Alterum, quam magna fuerint mala, quæ in suo corpore & anima sanctissima pertulit, vt. nobis hæc bona compararet. Sed vt melius sentire possis, quantum Dño pro hoc tanto beneficio debeas, has quatuor circumstantias præcipuas de eius sacratissimæ passionis mysterio poteris meditari. Videlicet, quis, quid, pro quo, & quam ob causam patitur. Quis patitur? Deus. Quid patitur? Maiora tormenta, maioresq; ignominias, quam vllus vnquam hominum est passus. Pro quo patitur? Pro creaturis abominandis reis inferni, ipsiq; Dæmonibus in suis operibus quam simillimis. Ob quam causam patitur? Non ob suum commo-

dum, neq; ob nostra merita: sed propter suæ infinitæ charitatis, & misericordiæ viscera.

*Beneficium Vocationis.*

Quantùm ad beneficiũ, Vocationis spectat, cõsidera quàm insignis gratia Dei fuerit, te per baptismum ad fidem vocare, & Christianum Catholicũ, atq; capacem, & participem ceterorum Sacramentorũ efficere. Quod si post hanc vocationem, amissa iam innocentia Baptismali, te ex peccati barathro eduxit, in suam gratiam restituit, & in statu saluationis collocavit: quo pacto poteris eum dignè pro tanto beneficio laudare? Quàm excellens misericordia fuit, te tamdiũ expectare: tam multa in te peccata sustinere: tot tibi inspirationes immittere: non abrumpere vitæ tuæ filum, sicut aliorum in eodem statu abruptum fuit: & denique te tam potenti, atque efficaci gratia vocare, vt à morte ad vitam suscitareris, & oculos luci aperires? Quanta misericordia fuit, post conuersionem tuam, conferre tibi gratiam, ne iterum ad peccatum redires, sed potius inimicum vinceret, & in bono perseverares.

*Beneficia singularia cuiusvis.*

Hæc sunt nota, ac manifesta Dei beneficia, Alia sunt secreta, quæ non nisi, qui accipit agnoscit. Et sunt adhuc nonnulla vsq; ad eò occulta, vt ea, ne ipse quidem, qui accipit, agnoscat sed is duntaxat, qui ea donauit. Quo-



ties in hoc mundo superbia, aut negligentia, aut ingratitude tua promeritus es, vt te Deus dereliqueret, sicut fortè multos ob aliquam istarum causarum dereliquit? Et tamen id non fecit. Quot mala malorumq; in te occasiones Dominus sua prouidentia præuenit, inimici retia dissipando, illius gressus retundendo, etusq; consilijs, & conatibus resistendo? Quoties erga te ipsum præstitit, quod S. Petro dixit, Luc 22. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetuit vos, et cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogaui, et non deficiat fides tua.* Quis ergo hæc secreta, præter Deum, scire potuerit? Beneficia positua benè potest interdum homo cognoscere: priuatiua verò, quæ non in collatione bonorum, sed in liberatione à malis consistunt, quis poterit penetrare? Iustum igitur est, vt tam pro his, quàm pro alijs beneficijs Domino semper gratias agas. agnoscens quàm sis insufficiens: & quàm longè maius sit debitum, quod habes, quàm quod persoluere potes. Quandoquidem hoc ipsum ne agnoscere quidem plenè vales.

*Oratio, qua gratias agimus pro omnibus beneficijs Dei.*

**O**Mnipotens sempiterne DEVS, vita mea, omne bonum meum, & vniuersa felicitàs mea, ego terræ puluis, & miser vermiculus, sto ante faciem tuam, te laudare, tibiq; gratias agere gestiens. At quia hoc dignè non possum,

possum, nec quod tibi offeram habeo, offero tibi omnium Angelorum, & sanctorum tuorum virtutes ac merita: imò Christi filij tui laudem & amorem, labores & fatigationes, incommoda & ærumnas, aduersitates & tristitias, pœnas & dolores, vulnera & liuores, lachrymas & suspiria, opprobria & sanguineas guttas pro me effusas, denique passionem & mortem eius amarissimam, pro innumera misericordiarum, donorum, & beneficiorum, multitudine, quæ mihi homini vilissimo, atq; abiectissimo tam liberaliter ad hanc vsq; horam contulisti, & adhuc confers: vt ineffabili hac tua charitate, & benignitate, summam animi mei ingratitude[m] quotidie vincas & superes. Desidero, benignissime Domine (tu fac, vt quod desidero, impleam) vt indissolubili tibi vinculo gratiarum actionis, & amoris colliger: vt neque mors, neque vita possint me ad momentum a te separare: & quicquid sum, & possum, quæcunq; intra me, & extra me sunt, te colant, quærant, sitiant, & tibi seruiant, & placeant perpetuò, & perfectissimè, Amen.

### C A P V T V.

*Alia considerationes perbreues ad Dei amorem, Sui cognitionem, Peccati odium, Timorem Domini, & stilissima.*

**A**D extremum, tam longis Superiorum capitum Meditationibus, libet etiam sequen-

tes adiungere considerationes perbreues, & quasi compendium plerarumq; illarum continentes: vt ijs etiam qui sæpè ob occupationes varias nequeant prolixiori contemplationi intendere, subseruiamus.

*Considerationes pulcherrima hominis mentem ad  
Dei amorem excitantes.*

**D**omine mi, ad hoc creasti me, vt amem te: da mihi vt possim facere, ad quod creasti me.

2. Nimis audax sum ego creatura tam abiectâ quæ petam amorem tam sublimem. Vellem petere aliud humilius, quod meæ vilitati par esset: sed quid faciam, quando tu iubes vt amem te, quando minaris si nõ amem te? quando mortuus es, vt amarem te?

3. Iubes vt nihil magis petam à te, quàm vt amem te. Et quidem vsque eo desiderasti, vt amarem te: vt cum me videres frigidius amare, institueris Sacramenta miræ virtutis vt cor meum transformares in amorem tui?

4. Deus meus, quid sum ego apud te, vt imperes mihi, vt amem te? vt ad hanc rem, tam varias & nouas artes inueneris? Quid, inquam, sum ego apud te, nisi calamitas, tormenta, crux? Et quid tu mihi es, nisi salus, requies, & omne bonum? Quòd si tu me talem amas, quomodo ego te talem erga me non amem? Indignus sum, qui amem te Domine, sed tu dignus es, qui ameris à me. Concede mihi, vt audeam amare te?

5. Deus meus, amor ex quo omnes amores fluunt, cur non absumor hoc igne amoris tui? Deus meus, bonitas ipsa, per quem bona sunt omnia, quæ bona sunt; quare non amem te, cum sola amoris materia sit bonitas?

Deus meus, pulchritudo à qua omnis pulchritudo, quare non amo te, cum pulchritudo sic rapiat omnium corda ad se?

6. Si non amo te, propter hoc, quod es in te; cur saltem non amo te propter hoc quod es in me? Filius amat Patrē, quia ab illo quod est accepit. Membra amant caput, & pro illo se exponunt periculo; quia ab illo in eo quod sunt, conseruantur. Effectus omnes amant suas causas; quæ ratio ex omnibus deest tibi Deus meus, ob quam non debeam amare te? Tu mihi dedisti, vt essem, & dedisti mihi perfectiùs, quàm parentes mei. Tu me conseruas multò perfectiùs, quàm caput membra; quare ergo non amem te?

7. Discedite à me creaturæ omnes, procul discedite à me: nec vos mihi, nec ego vobis rectè coniungor. Si vos seruos & ministros mihi esse voluit Dominus, eritné ratio, vt tu, anima mea, tanquam adultera, fidem frangas tali sponso? prodesné Dominum tuum per illos ipsos seruos, quos tibi concessit?

8. ERGO DEVS MEVS, cum omnia tua sint, cur non amem te? cur nō tibi tradam totum cor meum? cur non semper ardeam cœlesti tuo igne, Ô IESV dulcis Ô IESV amor.



Considerationes peregrinæ de beneficiis Dei ad Meditationem accommodatissimæ, ad augendam Deuotionem opportunissimæ.

*De beneficiis Creationis.*

**A** Æterno prædestinauit te Deus, & dilexit perpetua charitate: creauit te tempore, quo ei placuit, & inter nobilissimas creaturas te constituit, non lapidem, aut aliud quid simile creans.

2. Impendit tibi corpus cum membrorum integritate, complexionis sufficienti bonitate, & sexus nobilitate, ad ei seruiendum te aptum faciens: tribuit etiam tibi animam, creans eam ad imaginem, & similitudinem suam, sui capacem, immortalem, & exornatam multis virtutibus & potentijs.

3. Dedit tibi Angelum custodem à tuæ conceptionis hora in vtero matris tuæ, qui te custodiret, & multis beneficijs donaret.

4. Largitus est parentes Christianos, ex quibus nascereris Christianus, non Saracenus, aut Iudæus: & bonos parentes, & in tempore fidei Christianæ.

5. Creauit te ad gloriam, & sui fruitionem, & cœlum, ignem, aërem, aquam, & terram, & omnia, quæ in eis sunt ad tuum vsum, non indigens ipse nec te, nec illis: nec alio quàm sua bonitate inuitatus, & illectus.

*De beneficio Gratificationis.*

**G**Ratificauit te in dilectissimo filio suo, non parcens ei, sed largiens eum tibi, in pretium, exemplum, & socium.

2. Dedit tibi Spiritum sanctum in signum adoptionis, priuilegium dilectionis, & in auxilium desponsationis, sua tibi communicans bona, fructus, & inspirationes.

3. Impendit tibi Sacramenta, & primò sanctam Ecclesiam, vbi in diluuiò peccatorum, sicut Noè in Arca, posses saluari, donauit.

4. Abluit te Baptismate, in quo tibi indulsit originalem culpam, restituit innocentiam, vocauit te suo nomine Christianum in sui memoriam, filium Dei & hæredem regni cœlorum te constituit.

*De beneficio Vocationis.*

**P**Assus est te, licèt post recepta beneficia à Deo auersum, & per diuersa scelera ad creaturas conuersum; noluit te in tali statu permanere & damnare.

2. Te multifariam errantem sepè reuocauit, modò per internas inspirationes, modò per aliorum admonitiones, quandoque per scripturæ sacræ exhortationes; & per suorum beneficiorum largitiones, nonnunquam per gloriæ & suppliciorum ostensionem, & alijs multis modis.

3. Donauit te bona voluntate, quæ suorum munerum est principium, mentis tuæ surditatem confregit, ardens desiderium proficiendi

endi dedit, conuersionis obstacula repulit.

4. Exhibuit tibi sanctas scripturas tanquam speculum, vbi tuos defectus valeas contemplari, affectus inflammare, magis ac magis purgare, & illuminare ac iustificare.

5. Præter hæc, quod te pœnitentem recepit, de seculo fortassis te eduxit, sicut Loth de Sodomis, & Abraham de Chaldæis, Noë de diluuiio, & Ionam de vtero Ceti, & ventre lupi. Coniunxit te conuentui bonorum, custodiens à conuentu malignantium.

*De beneficio Iustificationis.*

**M**Vtauit voluntatem tuam, vt opera Pœnitentiæ, quæ tibi prius erant amara, fierent dulcia, & quæ prius erant dulcia, fierent amara, dando etiam tibi peccandi in hoc & in illo continentiam, quod est insigne donum.

2. Dedit tibi hætenus perseuerantiam, & constantiam, sine qua nemo saluatur; cum multi qui melius inceperint, non perseuerauerint. Concessit quoque constantiæ spem & gratiam, ne ab incepto desisteres, sed sperares veniam, gratiam, & gloriam te ab eo consecuturum; de hac te certum quasi faciens diuersis modis internarum consolationum.

3. Tribuit tibi Sacramenta sui pretiosi corporis & sanguinis in viaticum peregrinationis tuæ, in Sacramentum vnionis, & in Sacrificium redemptionis.

4. Exhibuit tibi sanctas scripturas tanquam

speculum, vbi tuos defectus valeas contem-  
plari, affectus inflammare, magis ac magis  
purgare, & illuminare ac iustificare.

5. Tradidit ornamenta, & exercitia virtu-  
tum, quibus foeditatem tuorum peccatorum  
reperires, & non in iustificatione deficeres;  
sanctos tibi in exempla contulit, quibus ac-  
cendaris, & instruaris.

*De beneficio Gubernationis.*

**C**onseruauit te in esse, dans tibi augmen-  
tum & esse iucundum & sanum, cum ex te  
fis nihilum: te etiam conseruauit a tantis pe-  
riculis, languoribus hostibus, &c. adhuc sub-  
ministrauit tibi victum, alimentum, domum, &c.

2. Conseruauit propter te creaturas cæter-  
as, ministrans successiones temporum, pro-  
ducens diuersitatem florum, fructuum, &c.  
ad tollendum fastidium.

3. Te erexit non solum per prospera, sed eti-  
am per aduersa, imò & circa te est ita sollicitè  
intendens, ac si ei non esset cura aliorum, &  
semper est tibi præsens, omnia opera tua pro-  
spiciens, mittitque semper Angelos suos miro  
ordine, qui te iuuent, diligant, &c.

*De beneficiis Angeli custodis, & hominis in-  
gratitudine.*

**C**onsidera, quoties Angelum custodem tu-  
is flagitijs offendisti.

Quoties ille errantem ad viam salutis te reduxit  
Quot pericula ipsius ope, & charitate euasisti.  
Aliquando fortasse fuisses ab alio ex improvi-



fo occifus.

In itineribus à latronibus, & alijs periculis referuauit.

In fluminibus, vel mari, ne submergereris, tibi adfuit.

Quoties fecit, ne cibus, vel aër infectus tibi obefset.

Quoties ne equi calce, vel tegulæ casu lædereris.

Quoties spiritus fornicationis ab illo expulſus eſt.

Quoties, ne ira concitatus proximo noceres, te cohibuit.

Quot laqueos Dæmonum ipſius ope à pueritia vitasti.

Quoties in peccato hærentem diabolus te ſuffocaffet, niſi prohibuiſſet.

Quando in peccatum incidifti, ad confeſſionem te excitauit.

Bona conſilia in dubijs cõtinuò tibi ſuggèſſit.

Tua ingratitude offendit, te iuuare non deſijt.

Vide, quàm ſis illi obligatus, & quam referas gratiam.

Confiderationes perbreues, ad ſui cognitionem, peccati odium, Dei que ingenerandum timorem, vtiliſſimæ.

*De miſeria hominis ex parte corporis.*

**C**onſidera te olim nihil fuiſſe.

Animal irrationale creari potuiſſe.

Conceptum esse cum sorde peccati.  
 Filium iræ, & inimicum Deo factum.  
 Quo cibo nutritus sis in utero.  
 Quàm miserè editus in lucem.  
 Quàm grauis alijs in infantia.  
 Te nunc vas esse putredinis plenum:  
 Morbis innumerabilibus obnoxium.  
 Educatum in lachrymis.  
 Viuentem in miserijs.  
 Moriturum in angustijs.  
 Escam futurum vermium.  
 Quod nunc es, fuisse olim mortuos.  
 Quod illi sunt, te paulò post futurum.  
 Hic corpus vermibus, illic animam tormen-  
 tis cruciari.

*De miseria hominis ex parte animæ.*

**C**onsidera, vt ex nihilo creata.  
 Labe carnis inquinata.  
 Infirmirate, & ignorantia plena.  
 Quæ pericula post Baptismum.  
 Primum lethale peccatum mortem animæ  
 attulisse.  
 Quàm multa flagitia illi postea accreuerint.  
 Hinc seruã esse peccati, & demoni subiectam.  
 Quot tentetur carnis titillationibus.  
 Quot huius seculi illecebris.  
 Quot illusionibus Dæmonis.  
 Vitam hanc mare esse æstuosum.  
 Infinitis perturbationibus subditam.  
 Potentiam inimicorum maximam.  
 Prælium animæ periculosum.

Terram durum exilium.  
Infernum horrendum receptaculum.

*De effectibus peccati.*

**C**onsidera maculari Baptismalem animæ  
pulchritudinem.

Priuari animam dulcedine diuinæ gratiæ.

Offenso Creatore, iniuriam fieri cæteris cre-  
aturis.

Amicam fieri Luciferi, & seruam peccati.

Ascribi numerum reproborum omnium.

Ex vno peccato in aliud præcipitari.

Derelicta synderesi, omnia perperam agere

Intellectus lumen obscurari.

Memoriæ vim ad diuina minui.

Voluntatem illicitis inflammari.

Appetitum sensitium perturbari.

Merita Christi parum animæ prodesse.

Sanctorum, & iustorum satisfactionibus priuari.

Præteritorum benefactorum fructu spoliari.

Inspirationes sanctas consuetudine peccandi  
suffocari.

Cælum claudi, infernum aperiri, pœnas in-  
dies augeri.

*De castigatione peccati.*

**L**ucifer ob superbiam e cœlo in æterna tor-  
menta detrusus est.

Adam ob inobedientiam ex delicijs in miseri-  
as est eiectus.

Totus terrarum orbis ob luxuriam diluuiio  
obrutus.

Quinque vrbes ob libidinem diuinitus con-  
flagra-

flagrarunt.

Ob inuidiam, Dathan, & Abiron hiatu terræ absorbentur.

Furtum infælicis Achan lapidatione mulctatur.

Audacia Ozæ repentina morte punitur.

Adulterium Dauid seuerissimè castigatur.

Iesabelis impietas præcipitio, & canum dilaceratione.

Blasphemia Senacherib, exercitus strage, & ipsius interitu.

Superbia Regis Antiochi horrendo morbo pediculari.

Sacrilegium Ananiæ & Saphiræ morte repentina.

Peccata nostri temporis, peste, bello, & alijs incommodis.

Christus, vt peccata deleret, cruci affixus est. Illud tandem in penetrabilibus inferni obferabit.

Quid facias miser tot peccatorum pondere oppressus?

*De morte ex parte corporis.*

**C**onsidera statum morientis ex grauitate morbi, & agonis.

Quid profint medici, eorumque remedia, & consilia.

Quid iuuent parentū & amicorum lachrymæ. Solius Dei, quem offendit, iudicio relinqui.

Mundus eum deserit, quem ipse tantoperè desiderabat.

Omni-



Omnium possessione cedere cogitur.  
 Rerum omnium creatarum usu priuatur.  
 Singulorum membrorum dolore torquetur.  
 Quinque sensus paulatim eum deserunt.  
 Nudus, ut ingressus erat, discedit à vita.  
 Cadaver vix ad paucas horas ab amicis domi  
 toleratur.  
 Vbi forma, doctrina, vel prudentia, quam ad-  
 mirabaris ?  
 Que memoria erit de ipso post aliquot annos.  
 Cadaver vermibus deuorandum obijcitur.  
 Sic statutum est omnibus semel mori.  
 Hora, locus, modus, incertus.

*De morte ex parte anima in peccato existentis.*

**C**onsidera, ut anima cognoscens finem suæ  
 peregrinationis obstupescit.  
 Exitum viæ, quam ingressura est, timens in-  
 gemiscit.  
 Corpus, quod delicatè tractauit, cogitat esse  
 relinquendum.  
 Luenda videt quæcunque fecit, & cogitauit.  
 Dæmon, quicquid contra Deum commisit  
 importunus obijcit.  
 Id eam maximè excruciat, quòd in vita cha-  
 rissimum fuit.  
 Tetris dæmonum spectris horribiliter exagi-  
 tatur.  
 Nunc cognoscit, quàm imprudenter vixerit.  
 Quàm meliùs esset poenitentiam, quàm vo-  
 luptatem coluisse ?  
 Intus sentit conscientiam accusantem, ac se  
 con-

condemnantem.

Horret prodire ante offensi Iudicis conspectū  
In singula momenta tremendam ipsius sen-  
tentiam expectat.

Circumspicit vndique, & defensorem non in-  
uenit.

Soluta corpore, ignotas regiones ingreditur.  
Ab Angelo custode, cuius monita contempfit  
deferitur.

ADæmonibus, quibus obediuit, violenter ra-  
pitur.

Æternis tandem Inferni flammis addicitur.

*De morte ex parte anima iusta.*

CONsidera, quomodo gaudeat iam aduenif-  
se finem laborum.

Corpore, quod semper domitum habuit, quā  
libenter spoliatur.

Memoria ieiuniorum, ac pœnitentiæ pluri-  
mum recreatur.

Contra Dæmones viuæ fidei clypeo munitur.  
Spei adminiculo contra desperationem con-  
firmatur.

Virtutum fragrantia mirificè delectatur.

Sanctorum præsentia in ultimo conflictu re-  
creatur.

Dæmonum irruentium agmina Christi mu-  
nere dissipantur.

Ecclesiæ, & amicorum precibus mirum in  
modum reficitur.

Sacramentorum, quæ coluit, salutarem vim  
experitur.

lulus habet conscientiam pacatam, extrinsecus Angelum consolantem.

Extra se Matrem Dei sibi applaudentem respicit.

Surlum Christum Sponsum ad Regnum gloriæ inuitantem.

Sic ad cœlestes nuptias gestit euolare.

Torrente diuinæ voluptatis perpetuò inebriatur.

*De signis præcedentibus Iudicium.*

**C**onsidera aduentum, & tremenda facta Antichristi.

Persecutionem bonorum, qualis nunquam fuit.

Famem, & pestem toto orbe terrarum grassantem.

Quomodo mare insolitis fluctibus, & procellis agitabitur,

Monstra & belluæ marinæ in terras cum fluctibus irrumpent.

Ipsam mare conflagrabit, & aqua fluctuans ardebit.

Herbæ, plantæ, arbores, rorem emittent sanguineum.

Palatia, arces, oppida, & vrbes corruent.

Saxa faxis, montes montibus collidentur.

Terra motibus concutietur insolitis.

Omnes montes vallibus æquabuntur.

Abijcient se homines in cauernas pauore attoniti.

Stellæ cadere de cœlo videbuntur.

Terra, & quicquid in ea est, igne consumetur  
Mortuis omnibus, omnium succedet resur-  
rectio.

Ossa mortuorum carnem resument, vt adsint  
ad iudicium.

Tunc fiet cœlum nouum, & terra noua. Quid  
tunc eris;

*De generali Iudicio.*

**C**onsidera, quomodo quisque attendit sibi  
ipso, & non alteri.

Cerne damnatorum animas in horrendis  
corporibus.

Considera varietates ordinum, Iudicem ex-  
pectantium.

Apparebit signum filij hominis in cœlo.

Aspice venientem Iudicem cum summa ma-  
iestate.

Is erit inflexibilis, cum sit summè iustus.

Fugere aut occultari nemo poterit, cum sit  
omnipotens.

Nihil eum latebit, qui scrutatur corda & re-  
nes omnium.

Omnes omnium cogitationes, & facta pate-  
bunt omnibus.

Reddenda erit ratio de donis externis, corpo-  
ris & animæ.

Nihil omninò inultum remanebit.

Multi erunt accusatores, amicus nullus re-  
probis.

Bonorum rectè facta coram omnibus prædi-  
cabuntur.

Maxi-



Maxima cum lætitia audient boni ; Venite benedicti.

Exprobrabuntur malis peccata coram omnibus, & audient : Ite maledicti.

Absorptis in Inferno damnatis, cœlum iustos amplectetur.

*De Inferno.*

**C**onsidera loci deformitatem, profunditatem, & foetorem.

Vide flammam sulphuream, & in ipsis damnatos infelices.

Tortorum horribiles formas, atrocitatem & vim indefessam.

Audi horrendos miserorum ululatus, & blasphemias.

Visus torquetur tenebrarum densitate, & demonum præsentia.

Auditus maledictionibus continuis, & tortorum irrisionibus.

Tactus acerbitate ignium, frigorum, & discerptionum.

Gustus incredibili rerum omnium, quæ ibi sunt, amaritudine.

Odoratus tetro odore loci, & peccatorum omnium.

Memoria recordatione præteritarum voluptatum.

Intellectus apprehensione æternarum poenarum.

Voluntas acerbissimo odio eorum, qui ibi, & in cœlo sunt.

Corpus totum omnibus tormentorum generibus excruciatum.

Anima atrocissimè angitur sine spe relaxationis.

Confidera multos damnatos, qui minùs quàm tu peccauerunt.

Neminem liberatum iri, qui cum peccato mortali decesserit.

*De gloria Paradisi.*

CONsidera loci splendorem, amœnitatem, & amplitudinem.

Quantum sit gaudium videre S. Trinitatem, fontem bonitatis.

Videre Christum Regem cœlorum in decore suo.

Videre B. Virginem, & sanctos omnes gloriæ plenissimos.

Frui iucundissima eorum omnium consuetudine.

Præditum esse præclaris illis corporis & animæ dotibus.

Frui tam multis & preciosis donis, quæ oculus non vidit.

Videre sub pedibus horrèdos dæmones, quos Dei munere superasti.

Super caput gloriam sempiternam, quam meritis Christi adeptus es.

Præteritæ pœnitentiæ fructus vberimos.

Ita affici de omnium, qui ibi sunt bonis, vt de propriis.

In omnibus sensibus incredibilem delectationem

onem percipere.  
 Deum sine fine videre, sine fastidio amare, &  
 sine fatigatione laudare.  
 Securissimam, & æternam horum omnium  
 bonorum possessionem.  
 Quam fit miser qui ob breuem & miserabilẽ  
 delectationem tantis bonis se priuarit.  
 Quid agendum tibi sit vt tanta gaudia possis  
 adipisci.

C A P V T VI.

PUNCTA MEDITATIONVM DE  
*B. Maria Virgine in festa scilicet eius praci-  
 pua ac diem Sabbathi.*

SEquentia puncta; & considerationes expen-  
 di possunt ipsis feriis B. Virgin. & aliis eti-  
 am diebus potissimum festis, Dominicis,  
 Sabbatiuis, & quotiescunque lubet reuocare  
 in memoriam mysteria hæc, & excitare in se  
 affectum, amoremq; beatissimæ Dei parentis.

DE CONCEPTIONE B. V. M.

CONSIDERATIONES.

CONsiderabis quomodo B. Virgo ab æterno  
 electa à Deo, & prædestinata sit, vt filii sui  
 mater esset, innumeris dotibus & priuilegiis  
 supra creaturas omnes admirabilis: ne qua il-  
 li perfectio, dignitas & gloria deesset.

2. Considerabis à sanctissimis parentibus  
 Ioachimo & Anna conceptam, mira ipsorum  
 voluptate, & Angelorum omnium in cœlo,  
 patrum in limbo, hominum in terra singulari  
 lætitia; quod eo ipso momento intelligerent

datum

datum principium restaurationi cœlestis Hierusalem, & nobilissimo omnium operi redemptionis humanæ.

3. Considerabis Conceptionem B. Virginis fuisse purissimam, nullius labis affinem, è qua immaculatus agnus ederetur, omnes à peccati maculâ mundaturus.

Colloquium, quo petes per merita & intercessionem B. matris suæ à Deo cognosci, virtutibus illustrari, quibus esse possis voluptati Angelis & hominibus: puritatem item animæ & corporis integerrimam.

Postremò ages gratias sanctissimæ Trinitati de tam salutari B. Virg. Conceptione, cuius particeps esse optabis, concipiendo quotidie noua desideria. Deo, & parenti eius indies exactius famulandi.

Pater noster. Aue Maria.

#### DE NATI VITATE EIVSDEM.

Considerabis nascentem virginem habere progenitores Reges, Duces, Principes: quibus tamen sanctitate morû, quæ vera est nobilitas, magis eluxit. Vnde quo nobilior secundum carnem, eò demissiore fuit spiritu, quæ vera altitudo est, quam altissimus Deus solam maxime respexit & amauit in ea.

2. Considerabis dulcissimum ipsius nomen esse, Maria, quod stellam maris, Dominam, illuminatricem significat. In tempestatibus stella, contra aduersarias potestates Domina, in diuinis rebus magistra est. Vt stella, viam

cœli



coeli nobis aperit, vt domina nos regit, & defendit: vt illuminatrix vel magistra nos docet & instruit. Quid eo ergo nomine dulcius, & infortius, quid sapientius? Tam mysticum ergo nomen ama, & animo inscribe tuo.

3. Considerabis quanta sit nascentis virginis perfectio, quanta excellentia, quam cum filiabus Hierusalem admirare: clamant enim præ admiratione, Cânt: 4. *Qua est ista qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Aurora est, quia inter noctem & diem media, hoc est, inter homines, & Deum mediatrix. Candore suo, vt Luna, & sui similitudine ad Solem, omnes anteuertit. Inter omnes, in Solis iustitiæ matrem electa: demonibus omnibus, quorum conterit capita, omninò est terribilis.

In colloquio pete veram animi nobilitatem; sanctitatem inquam, & humilitatè, affectum amoremque. & præsidium nominis eius sanctissimi & potentissimi: candidam animam & lucentem, qua dignus sis inter electos Dei numerari. Age postremò sanctissimæ Trinitati gratias de hac virginis natiuitate, vtque nasci spiritualiter, crescereque quotidie in virtute possis, per Mariæ patrocinium roga. Pater noster. Ave Maria.

DE PRÆSENTATIONE

*eiusdem.*

Considera quanta sollicitudine puellula triennis

ennis à parentibus Hierosolymam deducatur, qua reuerentia ab eis in templo Deo præsentetur; quanta promptitudine & pietate, ipsa tenerrima virgo sese Deo dedicet, & offerat; quanta voluptate sacerdotes nobile istud monile in templum accipiant, & ad illi comparatum conclaue deducant. Ardent omnium animi, parentum, Mariæ, sacerdotum.

2. Considera Sanctissimæ Trinitatis in tam illustris doni receptione eximiam benignitatem. Pater recipit eam in filiam: Filius in Sponsam: Spiritus sanctus in mysticam sedem suam: Angeli eam accipiunt in amicam singularem, cum qua familiariter agant, & colloquantur.

3. Considera puellulam parentes suos in ætate tenerrima relinquere, ad ignotos adire, templum pro domo eligere, flores ætatis primos Deo consecrare, vitam Angelicam de gere; partim lectione, partim oratione, partim externa actione sanctissimè dies transigere, exempla virtutis suæ eximia omnibus dare, Humilitatis cum primis, Simplicitatis, Obedientiæ, Temperantiæ, Abstinentiæ, Silentij, Alacritatis ad omnia celerrimæ, ita vt cæteris coætaneis suis admirationi sit, grata omnibus, nulli grauis.

Pete in colloquio gratiam, qua te Deo, ex animo, sine procrastinatione vlla dones; pete recipi à Deo & sancta Trinitate in seruum, saltem, si filij nomine indignus sis. Pete per Mariæ merita, & suffragia virtutes tibi ne-

cessa-

cessarias, vt Deo placeas, humilitatem maximè, obedientiam, castitatem, feruidam charitatem, &c. Pater noster. Aue Maria.

DE ANNUNTIATIONE.

1. Considera SS. Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Regum, iustorumq; omnium vota, desideria, suspiria, Messiam aduenire cupientium: Angelorum item in cælo humanam calamitatem miserantium voces: Mariæ cum primis humiles, ardentelq; preces idem exsolcentes: quibus omnibus votis, suspirijs, vocibus, desiderijs tuas preces vota que coniunge, vt in te Messias adueniat, & concipiatur.

2. Considera sanctissimam Trinitatem immensa sua primum charitate, cœlestium deinde spirituum, patrumque, ac iustorum, & Mariæ cum primis ardentibus suspirijs, votis, desiderijs, precibus commotam, cœleste cogere concilium: ibi iustitiæ, misericordiæque audientiam dare, illius rationes, huius preces admittere, filium tandem rem totam definire, offerre sese pro redemptione hominum. Satisfactorum se docet iustitiæ, patiendo; misericordiæ, liberando. Filij charitatem tantam commendat & amplectitur Pater: Spiritus sanctus ad eius conceptionem operam suam spondet: Osculantur te iustitia & misericordia: Pax & Veritas: exiliunt Angeli gaudio; Sapientiam, charitatemq; verbi Dei admirabilem prædicant, suspiciunt, osculantur.

3. Considera illicò post Diuinitatis illud decretum, publicari in cælo Mariæ nomen, per eam mysterium hoc complendum patefieri, aduocari Archangelum Gabrielem, ad summam legationem in Nazareth mitti: acceptis-que à SS. Trinitate mylticis legationis suæ literis, in Nazareth, ad Virginem aduolare. Considera, & vide virginem in se recollectam inexplicabili dulcedine perfruentem, Angelum admittere: colloquia vtriusq; expende. Admirare virginis pudorem, sapientiam, in loquendo prudentiam, fidem eximiam, promptissimam obedientiam, sese totam Dei nutui & beneplacito relinquentem; ad cuius obedientiæ factam declarationem, operatione Spiritus sancti, concipitur in virgineo utero Dei filius.

In colloquio (quod ex his poterit sequi) age inter cætera sanctissimæ Trinitati immensas gratias pro incarnatione filii suspeteq; per matris eius merita, ipsum in te concipi, spiritu sancto obumbrari, ad id consequendum virtutes necessarias, puritatem potissimum, & obedientiam, ac veram demissionem-

### DE VISITATIONE.

1. Considera Virginem quietis, & contemplationis amantissimam, nec ætatis teneritudine, nec itineris longitudine, nec asperitate montium, nec vlla re alia retardari, quæ minus ad caritatis, & humilitatis officia Elizabethæ præstanda domo sua abeat. Iam gratia  
plena



plena erat, iam Dei mater effecta, iam super mulieres omnes benedicta; quò itaque se altiore[m] videt, eò se demittere magis ardet.

2. Cogita quo caritatis affectu, postposito suo commodo & solatio, ad montes conscendat: qua festinatione properet, nuquam hærens, nuquam vagabunda. Ingressitur tandem domum Zachariæ, prior salutatur, obsequium defert, illi de concepto Ioanne in senectute & sterilitate gratulatur. Sed & quã admirabilis, & fructuosa ea visitatio & salutatio fuerit, expende. Elizabeth repletur Spiritu S. exclamat præ admiratione: agnoscit in virgineo utero conceptum Deum, ipsamque Dei matrem effectam. Ioannes accelerato in se diuinitus rationis iudicio, in materno utero exiit, Christum, matremque eius salutatur, sanctificatur, Deo repletur.

3. Considera Mariam & tam admirandis rebus in sui præsentia effectis, & tantis laudibus, & encomiis ab cognata sua illi pronuntiatis, nihil insolescere, nihil sibi tribuere, seipsam magis abijcere, in Deum referre omnia; apertoque cælesti cordis sui thesauro, ardentibus in pectore amoris flammis, sublatis oculis, & manibus in cælum, profundissima humilitate, & deuotione feruentissima, erumpere in actionis gratiarum voces, & admirabile illud canonicum depromere; *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

In colloquio pete visitari à B. Virgine, & eius visitationis fructibus, gratijsq[ue] gaudere.

Pete à Deo per matris suæ merita, & suffragia profundam humilitatem, qua libenter alius seruias; feruidam caritatem, qua salutem aliorum promoueas; exultationemq; spiritus tui, qua alacriter omnia officia tua obeas, Deumq; rebus in omnibus magnifices & exaltes.  
Pater noster. Aue Maria.

### DE PURIFICATIONE.

1. Considera, quo studio legi diuinæ pendi, conferat se virgo mater Hierosolymam? qua reuerentia preciosum illū cordis sui thesaurum, Iesum Filium ad templum deportet, virgineo pectori adstringat; qua humilitate, immundarum mulierum instar sui purificationem instituat, sacerdotibus se exhibeat, ijs honorem deferat, pauperumq; oblationem, par turturum, aut duos pullos columbarum offerat.

2. Considera quo pietatis affectu cum Iosepho sponso filium suum Iesum, velut agnum immaculatum Deo offerat. Ex parte illum sua, nostraque omnium, vt matutinum sacrificium, pacificamq; hostiam offert in redemptionem generis humani, vnā cum filio se ipsam quoque offerens, & iterum Deo presentans.

3. Considera quanta spirituali lætitia, deuotione, reuerentia Simeon puerum Iesum in vlnas accipiat; quanta voluptate, gaudioque Anna vidua sanctissima & matrem & filium commendet, omnibusque annunciet. Anna propheta-

prophetiæ spiritu donatur, Simeon eodẽ repletur, iamq; paratum se mori viso Domino, protestatur. Maria admiratur, & exultat spiritu. Ioseph Deo gratias agit, omnes rerum nouitas atronitos habet.

In decursu ipsius meditationis expende, quàm suauẽ & dulce sit portare Iesum in corde, multoque magis eum in Eucharistia suscipere, & complecti: quamque longè suauius erit, in templo illo cælesti accipere, videre, eo semper perfrui.

Pete ergo purgari in dies magis, vt Deo dignè offerri possis. Immò & te per Mariæ manus illi offer. Roga diuinam gratiam, vt Iesum perpetuò in te comportes, bonis cogitationibus & desiderijs; in vlnis etiam tuis, hoc est, in omnibus operibus, & actionibus tuis, circumferas. Conuerte te postremò ad Iesum, vt portari se à te sinat, & ostēdat tibi aliquando faciem suam, cùm in eius pace mortalem hanc deposueris corporis tui sarcinam.

Pater noster. Aue Maria.

#### DE ASSUMPTIONE B. V. M.

CONsidera quàm preciosa fuerit in conspectu Domini Mariæ mors; quoties illā ipsa exoptauerit, quasi ianuam ad sublimiorem vitam; quomodo illi mors somnus fuerit iucundissimus; quomodo non tam ægritudine vlla corporis, quàm affectus, desiderijque perfruendi filio vehemētia, præsentibus Apostolis, non sine filij amati præsentia, anima pre-

tiola, castissimo corpore soluta, in ipsius filij manus emerlerit.

2. Considera quanta Angelorum omnium exultatione, quantis canticis præstantissima Virginis anima in cælum ad Sanctissimæ Trinitatis thronum usque adierit; quam certatim sancti omnes gratulati sint, illique egerint gratias, quod filium Dei, Salvatorem tuum in utero concepisset, mundo porrexisset, omniaque ei obsequia detulisset. Eam & tu cum Angelis in cælum prosequere, & pares cum sanctis omnibus gratias age. Sed & considerationem tuam refer ad Apostolos: examina eorum tristitiam de tantæ parentis & magistræ absentia, permixtam tamen non mediocri lætitia; quod eam scirent patronam se apud Deum habituros. Cogita quantis lachrymis, & canticis corpus illud sacratissimum loculo imposuerint, in humeros suos extulerint, ad sepulchrum detulerint: Illis te adiunge, paratumque te offer pro tanta virgine, parente tua, obsequia præstare omnia; & pro illius tumulo, cor tuum porrige, in eo ut cum filio tuo requiescere velit.

3. Considera corpus nobilissimum non fuisse conuersum in cinerem & putredinem, sed paucis ab obitu diebus animam sanctissimam diuino imperio, ad illud rediisse, illi sese coniunxisse, & in cælum transtulisse. Considera ergo quo cælestis curiæ triumpho, quibus canticis assumpta sit Maria in cælum, deducente filio; cui innixa erat, cum innumeris

Ange-



Angelorum agminibus, Deo suo conclamantibus; *Surge Domine in requiem tuam, in & arca sanctificationis tua*: Alijs ascendentis virginis pulchritudinem admirantibus: *Qua est ista, qua ascendit de deserto delictis affluens?* Tandem excipitur à Sanctissima Trinitate benevolentia incredibili, & in parato sibi folio, coronata, & totius coelestis curiæ Domina Reginaque declarata, ad filij dexteram collocatur; coram ea Sanctis omnibus coronas suas deponentibus, & in Dominam principemque suam eam accipientibus.

In colloquio eam admirare, in Dominam tuam accipe, & pete quæ suggeret spiritus tanta rerum magnitudine inflammatus.

Pater noster. Ave Maria.

*CONSIDERATIO AC MEDITATIO perelegans de B. Virg. Despara, diebus Dominicis, vel Sabbathis; vel alias sepius, ab eius cultoribus & serpanda.*

**F**Acto signo Crucis, Orationeque præparatoria imaginaberis B. Virg. Mariam adstare tibi, Solis instar, cui inclinando te, exhibebis ex intimo corde reuerentiam, procedens ad sequentia puncta mente, & animo, tecum ipse pertractanda.

1. Considerabis post Christum Dominum, gloriosa Virgine Maria, quæ plena est gratia Dei, sicut paradysus terrestris, floribus & herbis odoriferis ornata, beatius, aut melius esse nihil: talem omnino esse, qualem decebat

eam, quæ domicilium erat futura altissimi, Dei que mater.

2. Considerabis B. Virginem multa habere priuilegia inexplicabilia; illud præcipue: quod & virgo sit, & mater Dei. Secundò, quòd ab omni peccato immunis: nec veniale quidem toto suæ vitæ tempore commiserit. Tertiò, vbi mortua est, quomodo cum corpore & anima in cælum assumpta, super omnes choros Angelorum, & quicquid in cælo & terra continetur, sit exaltata.

3. Considerabis ordinem vitæ ipsius fuisse sanctissimum; nam præter deuotissimas suas orationes, quas assidue ad Deum fundebat, præter quotidianam cum Angelis conuersationem, id quoque studiosissimè agebat, vt in omnibus exercitijs suis, siue domesticis, siue externis, publicis aut priuatis, cor suum & mentem in Deo semper haberet defixam.

4. Considerabis ea, quæ frequentius à Deo solebat petere: primò enim petebat, vt Deum nosse posset, & amare eundem cunctis rebus anteponeus, diligere quoque proximum, iuxta voluntatem Dei. Deinde petebat humilitatem, & obedientiam, tam erga Deum, quam erga homines, tanquam duas præcipuas virtutes, ac fundamenta aliarum omnium.

5. Considerabis beatam Virginem cuidam animæ piæ reuelasse, se tot virtutes, ac gratiam tantam non potuisse acquirere, sine multis orationibus, & lachrymis: & dona cœlestia, non intrare in animam sine precibus assiduis,

& car-

& carnis mortificatione.

Denique facies colloquium ad eandem virginem, humiliterq; ab ea petes, vt præter alia, impetret tibi à Deo profundissimam humilitatem, firmam, tum animi, tum corporis castitatem, feruidamq; sui charitatem, extirperq; in te vitia contraria omnia. Tum subiunges Pater, & Aue, vel hymnum, Aue maris stella, vel Litanias B. Virginis.

IN OMNES TOTIVS HEB-  
domadis Ferias Officiola Diuina.

DIE DOMINICO.

*Officium Sanctissima Trinitatis.*

AD MATVTINVM.

**B**enedicta sit Sancta & indiuidua Trinitas, nunc & semper, per infinita secula seculorum, Amen.

Domine labia mea aperies :  
Et os meum annunciabit laudem tuam.

**D**eus in adiutorium meum intende,  
Domine ad adiuuandum me festina,  
Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N V S.

**Q**uicumque vult animam propriam seruare,  
Tres personas credere, ipsas honorare  
Tenetur, & precibus iugiter orare.  
Vnum Deum dicere, solum adorare.

## Antiphona.

*Te iurè laudant, te glorificant omnes creaturae  
tua, ó beata Trinitas.*

## O R A T I O.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, te suppliciter deprecamur, vt Sanctâ Trinitatem in hoc mundo ita nos facias firmiter fideliterq̄ credere: veraciter & simpliciter confiteri, vt in alio seculo possimus eam veraciter agnoscere, & lætanter facie ad faciem intueri. Qui in eadem Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Domine exaudi orationem meam:

Et clamor meus ad te veniat.

Benedicamus Domino. Deo gratias.

Animæ omnium fidelium defunctorum,  
per misericordiam Dei requiescant in pace.

Amen.

**B**enedictum sit dulce nomen Domini nostri  
IESU CHRISTI, & dulcissimæ Virginis  
Mariæ matris eius, & tota cœlestis curia sit  
benedicta, nunc & in æternum, & ultra.

Pater noster. Ave Maria.

## A D P R I M A M.

**B**enedicta sit Sancta, &c. vt supra.  
Deus in adiutorium meum intende,  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, & Filio, &c.

## H Y M N V S.



*Trinitatem credimus, summum genitorem,  
Sanctum eius Filium nostrum redemptorem,  
Sanctumque paracletum, gratia datorem.  
Vnum tamen dicimus Deum creatorem.*

Antiph. *Te iurè laudant, &c.* cum oratione  
& Versu, vt supra.

## AD TERTIAM.

**B**enedicta sit Sancta, &c. vt supra.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## Hymnus.

*Deum Patrem credimus, qui progenerauit  
Filium, de lumine lumen refultrauit.  
Procedentem Spiritum, & terque spirauit.  
Nexer horum genuit ipsum, & cel creauit.*

Antiph: *Te iurè laudant, &c.* cum oratione,  
& versu, vt supra.

## AD SEXTAM.

**B**enedicta sit Sancta, &c. vt supra.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum: Gloria, &c.

## Hymnus.

*Ad Patrem Vox pertinet super baptizatum,  
Qua sonat ad Filium dilectum Vocatum:  
Visum supra filium columba Volatum,  
Credimus à spiritu paraclero datum.*

Antiph: *Te iure laudant, &c.* cum orat: &  
ver: vt supra.

## AD NONAM.

**B**enedicta sit Sancta, &c. vt supra.  
Deus in adiu: Domine ad adiuuandum:  
Gloria, &c.

## Hymnus.

*In Patre potentia cuncta denotatur,  
In Nato scientia perfecta laudatur,  
Bonitas Paracletō ſuuerſa datur,  
Qui cum Patre Natoq; conglorificatur.*

Antiph: *Te iurè laudant, &c.* cum orat: &  
verſu, vt ſupra.

## AD VESPERAS.

**B**enedicta ſit Sancta, &c. vt ſupra.  
Deus in adiu: Domine ad adiuuandum,  
Gloria, &c.

## Hymnus.

*Voluntate Filius Patris incarnatus,  
De ſancto Paracletō ex Virgine natus.  
Crucifixus mortuus atque tumulatus,  
Reſurgens à mortuis cælo ſublimatus.*

Antiph: *Te iurè laudant, &c.* cum orat: &  
verſu: vt ſupra.

## AD COMPLETORIUM.

**B**enedicta ſit Sancta, &c. vt ſupra.  
Conuerte nos Deus ſalutaris noſter:  
Et auerte iram tuam à nobis.

Deus

Deus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum me festina.  
 Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

*Ore ipsius omnes stabunt iudicati,  
 Beati ad gloriam aeternam Vocati.  
 Ad penas perpetuas mali condemnati.  
 Hoc iudicium Pater ipsi dedit Veritati.*

Antiph: *Te iure laudant, &c.* cum orat: &  
 versu, vt supra,

DIE LVNÆ.

*Pro fidelibus Defunctis.*

AD MATVTINVM.

**C**ircumdede runt me gemitus mortis;  
 Dolores inferni circumdede runt me.

Hymnus.

*Deitatis Paternitas, & filij productio,  
 Spiritus sancti charitas: & Iesu Christi passio,  
 Trinitatisq; pietas, sint defunctis remissio  
 Peccatorum, Et claritas detur eis cum gaudio,  
 Requiem aeternam dona eis Domine.  
 Et lux perpetua luceat eis.*

O R A T I O.

**D**Eus, qui hominē de limo terræ (vt Ange-  
 lorum impleres ruinas) ad imaginem & si-  
 militudinē tuā formasti, & vt ipsum ad locum  
 perditum reuocares, in cruce mortem passus  
 fuisti: miserere, quæsumus, animabus omni-  
 um fidelium defunctorum, iustitiam tuam per  
 mise-

misericordiam mitigando, ne opera manuum  
tuarum propter carnis peccata damnentur :  
quæ fragilia , & ad peccandum prona esse no-  
tti. Qui viuis & regnas, &c.

Fidelium animæ per misericordiam Dei  
requiescant in pace, Amen.

Animæ eorum in bonis demorentur :

Et semen eorum hæreditet terram.

### AD PRIMAM.

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

#### Hymnus.

*Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita,  
Per quem mundus est creatus, & omnia sunt con-  
Qui à nullo es genitus, dimitte nobis debita: (dita.  
Ita quòd nemo perditus sit propter sua merita.*

*Requiem aternam. cum oratione, & versu,  
vt supra.*

### AD TERTIAM.

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

#### Hymnus.

*Deus à quo sunt omnia bona, dona Victoriæ  
Contra omnia vitia & viciis, defunctis Veniam.  
Vt post hæc transitoria Veniamus ad gloriam :  
Defuncti quoque gaudia possideant per gratiam.*

*Requiem aternam dona eis Domine, &c. cum  
oratione & versu, vt supra.*

AD SE-



## AD SEXTAM.

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

*Ostendo nobis faciem tuam, primum sanctorum,  
Cum venerimus ad diem irae, & iudiciorum.  
Iustitia sanitatem mitigans, dans peccatorum  
Veritatem, atque requiem in secula seculorum.*

*Requiem aeternam dona, &c. cum oratione  
& versu, vt supra.*

## AD NONAM

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

*Virgo carens criminibus, te precor in auxilio  
Adstes, tuique precibus sis coram tuo filio.*

*Es pro cunctis fidelibus sicut tua petio,  
Cum sanctorum agminibus locet eos cum gaudio.*

*Requiem aeternam, &c. cum oratione, &  
versu, vt supra.*

## AD VESPERAS.

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus

*Vos deprecor humiliter, intuitu pietatis  
Omnes sanctos & pariter sanctas, vt intercedatis  
Pro cunctis reis quatenus beatis,  
Afficiantur benigniter ante thronum Sancta Tri-  
nitatis.*

*Requi-*

*Requiem aeternam dona, &c. cum oratione,  
& versu, vt supra.*

AD COMPLETORIVM.

**C**ircumdederunt me gemitus mortis :  
Dolores inferni circumdederunt me.

Hymnus.

*In manus tuas Domine, commendo spiritum meum.  
Vt sicut sine crimine hominem te credo Deum :  
Qui precioso sanguine redemisti mundum reum ;  
Sic hominem de crimine salues, qui formasti eum.*

*Requiem aeternam dona eis Domine :*

*Et lux perpetua luceat eis.*

Cum oratione & versu, vt supra.

DIE MARTIS.

*De Sancto Spiritu.*

AD MATVTINVM.

**S**piritus Sancti gratia, illuminet sensus &  
corda nostra.

Domine labia mea aperies :

Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adiutorium meum intende :

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

*Nobis sancti Spiritus gratia sit data,  
Quali Virgo virginum fuit obumbrata,  
Cum per sanctum Angelum fuit salutata,  
Verbum caro factum est, Virgo secundata.*

Anti-

## Anuphona

*Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium;  
& tui amoris in eis ignem accende.*

*Emitte Spiritum tuum & creabuntur:  
Et renouabis faciem terra.*

## O R A T I O.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, da nobis illam sancti Spiritus gratiam, quam discipulis tuis in die sancto Pentecostes transmissisti. Qui viuis & regnas, in vnitae eiusdem Spiritus sancti Deus, &c.

## A D P R I M A M.

**S**piritus sancti gratia, &c. vt supra.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## Hymnus.

*De Virgine Maria Christus fuit natus,  
Cruisifixus, mortuus, atque tumulatus.  
Resurgens discipulis fuit demonstratus,  
Et ipsis cernentibus in caelos leuatus.*

Antiph: versus, & oratio, vt supra.

## A D T E R T I A M.

**S**piritus sancti gratia, &c. vt supra.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## Hymnus.

*Suum sanctum Spiritum Deus delegauit,  
In die Pentecostes suos confortauit.*

*Et de*

*Et de linguis ignea ipsos inflammavit,  
Relinquere orphanos eos denegavit.*

Antiph: *versus, & oratio, vt supra.*

A D S E X T A M.

Spiritus sancti gratia, &c. vt supra.

Deus in adiutorium: Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hymnus.

*Septiformem gratiam tuam acceptauerunt,  
Quare idiomata cuncta cognouerunt:  
Ad diuersa climata mundi perrexerunt,  
Et fidem Catholicam passim docuerunt.*

Antiph: *versus, oratio, vt supra,*

A D N O N A M.

Spiritus sancti gratia, &c. vt supra.

Deus in adiutorium: Domine ad adiuuandum. Gloria Parri, &c.

Hymnus.

*Spiritus Paraclitus fuit appellatus,  
Donum Dei, charitas, fons viuificatus.  
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,  
Septiformis gratia, charisma vocatus.*

Antiph: *versus, oratio, vt supra.*

A D V E S P E R A S.

Spiritus sancti gratia, &c. vt supra.

Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria, &c.

Hym-



## Hymnus.

*Dextra Dei digitus Virtus spiritualis,  
Nos defendat, eruat, ab omnibus malis:  
Ut nobis non noceat demon infernalis.  
Sed protegat, foueat, nutriat sub aliis.*

Antiph: versus, & oratio. vt supra.

## AD COMPLETORIUM.

**S**piritus sancti gratia, &c. vt supra.  
Conuerte nos Deus salutaris noster:  
Et auerte iram tuam a nobis.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

## Hymnus.

*Spiritus Paracletus nos Selis innare,  
Gressus nostros regere & illuminare,  
Ut cum Deus venerit mundum iudicare,  
Nos Selis ad dexteram suam collocare.*

Antiph: versus, & oratio, vt supra.

## DIE MERCURII.

*De omnibus Sanctis.*

## AD MATVTINUM.

**D**omine labia mea aperies:  
Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

Hym-

## Hymnus:

*Sancta Dei genitrix, flos Virginitatis,  
Fons misericordia, mater pietatis,  
Supra sanctos residens regno claritatis:  
Pro nobis cum ceteris exora beatis.*

## Antiphona

*Subuenite sancti Dei, Angeli Domini occurre,  
offerentes preces nostras in conspectu Dei al-  
tissimi.*

*Lætamini in Domino & exultate iusti:  
Et gloriamini omnes recti corde.*

## O R A T I O.

**I**nfirmi-  
tatem nostram, quæsumus, Domine,  
propitius respice, & mala omnia, quæ iuste  
meremur, sanctissimæ genitricis Mariæ, &  
omnium sanctorum, & sanctarum, intercesi-  
onibus auerte. Per eundem Dominum, &c.

## A D P R I M A M.

**D**eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c,  
Hymnus.

*Angelorum ordines Deum qui laudare  
Non cessatis iugiter, atque adorare,  
Sanctus, Sanctus, ter Sanctus inuicem clamare,  
Actus nostros regere, nolite cessare.*

Antiphona, versus, & oratio, ut supra.

## A D T E R T I A M

**D**eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hym-

## Hymnus.

*Patriarcha mystico ritu immolantes :*  
*Viro, corde, cantico Deum honorantes ,*  
*Propheta prophetico, Spiritu flagrantes ,*  
*Apostoli publico sono pradicantes.*

Antiphona, versus, & oratio, vt supra.

## A D S E X T A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum. Gloria.

## Hymnus.

*Euangelista Dei arcana noscentes ,*  
*Verbis Euangelicis eadem scribentes ,*  
*Sanctiq; discipuli Christo adhaerentes ,*  
*Castiq; pueruli casti innocentes.*

Antiphona, versus, & oratio, vt supra.

## A D N O N A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

## Hymnus.

*Per palmam martyrij Deo dedicati*  
*Martyres egregij, cruore mundati ,*  
*Et qui confessione Deo colligati ,*  
*Confessores, Monachi, Eremita grati.*

Antiphona, versus, & oratio, vt supra.

## A D V E S P E R A S.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

## Hymnus.

*Sanctissima Virgines, atque coniugata ,*  
*Vidua & martyres Deo dedicata ,*

*Omnes sancti sanctaę, pro nobis orate :  
Deum Vestris precibus pro nobis placate.*  
Antiphona, versus, & oratio, ut supra.

## AD COMPLETORIVM.

**C**onuerte nos Deus salutaris noster :  
Et auerte iram tuam a nobis.  
Deus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, & Filio, &c.

## Hymnus.

*Vt per vos sit gratia sua nobis data,  
Deleantur vitia, mudentur peccata,  
Vitentur pericula, omnia sint grata,  
Nobis detur gloria in sede beata.*

## DIE IOVIS.

*De Venerabili Sacramento Altaris.*

## AD MATVTINVM.

**D**omine labia mea aperies :  
Et os meum annunciabit laudem tuam  
Deus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, & Filio, &c.

## Hymnus.

*Corporis mysterium panis gloriosi,  
Atque Christi sanguinis potus preciosi.  
Qui ob mundi precium gentris generosi  
Fructus, damnum demonis fuit venenosi.*

Anti-



## Antiphona.

*Caro mea Verè est cibus, & sanguis meus Verè  
est potus: qui manducat meam carnem, & bibit  
meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, di-  
cit Dominus.*

*Educat panem de terra*

*Et Vinum latifcet cor hominis.*

## O R A T I O.

**D**EUS, qui nobis sub Sacramento mirabili  
passionis tuæ memoriã reliquisti, tribue,  
quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui  
sacra myseria venerari, vt tuæ redemptionis  
fructũ in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis.

## A D P R I M A M.

**D**EUS in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuan. Gloria Patri, &c.  
Hymnus.

*Cenam cum discipulis cupit innouare,*

*Christus Verbis, exemplis, ipsos informare.*

*Panem in substantiam carnis transformare,*

*Vinum in essentiam sanguinis mutare.*

Antiph: *Caro mea.* oratio vt supra.

## A D T E R T I A M.

**D**EUS in adiutorium: Domine ad adiuuan-  
dum. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

*Fregit panem, dixitq; hoc est corpus meum:*

*Calicem accipiens benedixit eum:*

*Et ipsum accipite, dixit: Ecce Deum,  
Qui indignè sumpserit sentiet seruum.*

Antiph: & reliqua, vt supra.

### AD SEXTAM.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

*Et quicumq; panem hunc ritè manducabit,  
Ac quicumque sanguinis calicem potabit,  
Mortem Dei filij hic annuntiabit,  
Et deuotè recolet quamdiu durabit.*

Antiph: & reliqua, vt supra.

### AD NONAM.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hymnus.

*Qui indignè sumpserit, factus erit reus  
Corporis & sanguinis, quem effudit Deus:  
Deo vulnus infligit, impius Iudaeus  
Cum Eloy sonuit, hoc est, Deus meus.*

Antiph: & reliqua, vt supra

### AD VESPERAS.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hymnus.

*Verbum caro factum est, panis gloriosus:  
Vinum sanguis factum est, Christi preciosus.*

*Traditus discipulis cibus gratiosus,  
Sic manducat Dominum seruus non morosus.*

Reliqua vt supra.

### AD COMPLETORIVM.

**C**onuerte nos Deus salutaris noster:  
Et auerte iram tuam à nobis.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

*A iustis fidelibus ita manducatur,  
Sed ob hoc in aliquo nunquam laceratur.  
Totus in particula confraeta moratur,  
Aliena specie Deus occultatur.*

Reliqua vt supra.

### DIE VENERIS.

*De Sancta Cruce.*

### AD MATVTINVM.

**P**er signum crucis de inimicis nostris, libera nos Deus noster.  
Domine labia mea aperies:  
Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum me festina.  
Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona.

*Salve crux pretiosa, qua in sanguine Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata.*

## Hymnus.

*Patris sapientia Veritas diuina,  
Deus homo captus est hora matutina.  
A suis discipulis cito derelictus,  
A Iudais venditus, traditus, & afflictus.*

## Antiphona.

*Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, qui  
per sanctam crucem tuam redemisti mundum.  
Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi.  
Psalmum dicat nomine tuo Domine.  
Qui passus es pro nobis miserere nobis.  
Domine exaudi orationem meam.  
Et clamor meus ad te veniat.*

## ORATIO.

**D**omine Iesu Christe Fili Dei viui, pone  
passionem, crucem & mortem tuam inter  
iudicium tuum & animam meam, nunc & in  
hora mortis meæ: & largiri digneris viuis mi-  
sericordiam & gratiam; defunctis requiem &  
veniam: Ecclesiæ tuæ pacem & veram con-  
cordiam; regni quoque tranquillitatem, & no-  
bis peccatoribus vitam & lætitiā sempiter-  
nam. Qui cum Patre viuis, &c.

## A D P R I M A M.

**P**er signum crucis, &c.  
Deus in adiutorium meum intende.  
Antiph. *Salve Crux.*

## Hymnus.

*Hora prima ductus est Iesus ad Pilatum,  
Et à falsis testibus multum accusatum*



*In collo percussunt manibus ligatum:  
Conspuentes faciem, Et est prophetatum.*

Reliqua vt supra.

### A D T E R T I A M.

**P**ER signum crucis de inimicis, &c.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Antiph: *Salve Crux.*

Hymnus.

*Crucifige clamitant hora tertiarum,  
Illusus induitur veste purpurarum:  
Caput eius pungitur corona spinarum,  
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.*

Reliqua vt supra.

### A D S E X T A M.

**P**ER signum crucis, &c.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Antiph: *Salve Crux.*

Hymnus.

*Hora sexta IESVS est cruci conclauatus,  
Pra tormentis sitiens felle saturatus,  
Pendens cum latronibus par his deputatus:  
Sinister hunc reprobat latro sceleratus.*

Reliqua vt supra.

### A D N O N A M.

**P**ER signum crucis, &c.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Antiph: *Salve Crux.*

Hymnus.

*Hora Nona Dominus IESVS exspiravit,  
Heli clamans animam Patri commendavit.  
Latus eius lancea miles perforavit,  
Terra tunc contremuit, sol se obscuravit.*

Reliqua vt supra.

A D V E S P E R A S.

**P**ER signum crucis de inimicis, &c.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Antiph: *Salve Crux.*

Hymnus.

*De cruce deponitur hora Vespertina,  
Fortitudo latuit in mente diuina,  
Talem mortem subijt vita medicina,  
Hec corona gloria succit supra.*

Reliqua vt supra.

A D C O M P L E T O R I V M.

**P**ER signum crucis, &c.  
Conuerte nos Deus salutaris noster;  
Et auerte iram tuam à nobis.  
Deus in adiut: Domine ad adiuuandum.  
Gloria Patri, &c.

Antiph, *Salve Crux.*

Hymnus.

*Hora Completorij datur sepultura  
Corpus Christi nobile, spes vite futura:  
Conditur aromate, complentur scriptura;  
Iugis sit memoria mortis eius dura.*

Antiph: versus, oratio, vt supra.

DIE

## DIE SABBATHI.

*Hora Compassionis Beatae Mariae.*

## AD MATVTINVM.

**D**omine labia mea aperies:  
 Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
 Deus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
 Hymnus.

*Hora matutina Mariae nunciatur**Quod IESVS à Iudeis falsis captiuatur.**Demum Anna peijit: illuc ducebatur,**Toto corde tremuit, malè dum tractatur.*

Ÿ. In omni tribulatione & angustia nostra:  
 R. Succurre nobis pijsima Virgo Maria.

## ORATIO.

**I**nterueniat pro nobis, quaesumus, Domine  
 IESV Christe, nunc & semper, & in hora  
 mortis nostrae apud tuam clementiam pijsi-  
 ma Virgo Maria dulcissima mater tua, cuius  
 sacratissimam animam, in hora benedictae  
 passionis, & amaræ mortis tuæ, gladius dolo-  
 ris pertransiuit. Qui cum Patre, &c.

## AD PRIMAM.

**D**eus in adiutorium meum intende:  
 Domine ad adiuuandum Gloria, &c.  
 Hymnus.

*Hora prima Mariae IESVM suum natum,**Crebris suspirijs sequitur ad Pilatum,*

*Falsos testes audiens, spūto maculatum  
Cernens, hēia ingemiscit, dirē Serberatum.*

Reliqua vt supra.

A D T E R T I A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende ?  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Audit hora tertia crucifigi natum,  
Videt tectum purpura, spinis coronatum:  
Ad mortis sententiam eundem damnatum,  
Trabe magna grauius crucis oneratum.*

Reliqua vt supra.

A D S E X T A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Hora sexta Maria videt conclauari  
Corpus Christi tenerum, in altum leuari:  
I E S V M post sitientem selle saturari:  
Et proprio sanguine sesselē rubricari.*

Reliqua vt supra.

A D N O N A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Hora Nona Maria I E S V M expirantem  
Videns, consummatum est mox audit clamantem:*



*Ioanni matrem, Patri spiritum tradentem.*

*Ensem Simeonis coresius perfolientem.*

Reliqua vt supra.

AD VESPERAS.

**D**Eus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Hora Vespertina Maria dolorosa,*

*De cruce depositum Socce querulosa,*

*Continens in gremio, dixit : o meorum*

*Vita sustentatio lumen oculorum.*

Reliqua vt supra.

AD COMPLETORIVM.

**D**Eus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Hora Completorij adest ad sepulchrum,*

*Vngit corpus aromate Maria pulchrum,*

*I E S V, pallore mortis deformatum dura.*

*Redemptionis nostra pramiuum futura.*

Reliqua vt supra.

ALIVD

DIE SABBATHI.

*De ipsa B Virgine Maria proprium.*

AD MATVTINVM.

**D**omine labia mea aperies :  
Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hymnus.

*Deus, qui nos de limo terra efformauit,  
Et ad suam faciem decorè plasmauit:  
Virginem praelegit, in qua habitauit,  
Vt hominem solueret qui multum peccauit.*

O R A T I O.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui Beatæ  
& gloriolæ Virginis & matris Mariæ cor-  
pus & animam, vt dignum filij tui habitacu-  
lum effici mereretur, Spiritu sancto coope-  
rante mirabiliter præparasti: da vt cuius cõ-  
memoratione lætamur, eius pia intercessio-  
ne ab instantibus malis, & à morte perpetua  
liberemur. *Per eundem Dominum, &c.*

A D P R I M A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Nos Dominus in crimine mori nolens, ordinauit,  
Sicut mors in mundum per mulierem intrauit:  
Sic per merita sœmina vitam ei restaurauit  
De Dauid Regis semine, quam Ioachim germi-  
nauit.*

Reliqua vt supra.

A D T E R T I A M.

**D**Eus in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.

Hym.

## Hymnus.

*De mulierum numero hac sola praeservata  
Fuit matris in utero, sancta absq; labe nata.  
In auro quoque tenero, templo fuit praesentata,  
Castitatem Deo vero sicut sponte dedicata.*

Reliqua vt supra.

## A D S E X T A M.

**D**EUS in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum Gloria &c,  
Hymnus.

*Causa Vera munditia sua, necnon sanctitatis  
Carnem nostra miseria sumpsit, & humanitatis  
Peperit Regem gloria, nil trahens anxietatis,  
Manente pudicitia, flore q; virginittatis,*

Reliqua vt supra.

## A D N O N A M.

**D**EUS in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria.  
Hymnus.

*Christum suis uberibus virginali lacte pavit,  
Et in pannis pauperibus inuolutum deportavit.  
Cibus melioribus quos habuit cibavit,  
Texta veste vestiuit decenter tractavit.*

Reliqua vt supra.

## A D V E S P E R A S.

**D**EUS in adiutorium meum intende :  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Postquam Christus in caelum ascendit, Maria  
In cellam se recipit, ubi suspiria*

*Preces crebras fundebat & desideria,  
Fecit & cum Angelis crebra colloquia.  
Reliqua vt supra.*

AD COMPLETORIVM.

**C**onuerte nos Deus salutaris noster:  
Et auerte iram tuam à nobis.  
Deus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandum. Gloria, &c.  
Hymnus.

*Virginem in extremis visunt discipuli,  
Morientem solantur, mortuum seduli  
Corpus sepulchro mandant certatim singuli:  
Quod assumunt Angeli ex loco tumult.  
Reliqua vt supra.*

H Y M N V S.

DE SEPTEM DOLORIBVS BE-  
atæ Mariæ Virginis.

*Primus dolor.*

**A**ve dulcis mater Christi,  
Qua dolebas corde tristis  
Te docente Simeone  
De dira mortis mucrone.  
Sis memor huius doloris,  
Nunc & in omnibus horis,  
Fac me pie memorari,  
Panam mortis tui cari.  
2. Ave dulcis mater Christi,  
Qua in Aegyptum fugisti



Flens & inotio carebas ,  
 Et labore labescebas ,  
 Nunc quaso sis exiliij  
 Tui memor ac filij .  
 Da te mihi & filium  
 Tuum post hoc exilium .

3. Aue dulcis mater Christi ,  
 Qua dolebas corde tristi ,  
 Natum requirens inclytum  
 Tribus diebus perditum .  
 Pro hac tua mœstitia ,  
 Fac me in eius gratia ,  
 Inuentum per te pleniter  
 Perseuerare iugiter .
4. Aue dulcis mater Christi ,  
 Qua dolens & flens vidisti  
 Captum, & in dunt, dire casum,  
 Plenum probrii dulcem Iesum :  
 Huius memor tristitia ,  
 Mater misericordia ,  
 A damonis insidijs ,  
 Serua me & opprobrijs .
5. Aue dulcis mater Christi ,  
 Qua dolens & flens vidisti ,  
 Cruci nexum speciosum  
 Iesum factum & leprosum .  
 Per dolorem hunc tam sortem ,  
 Et per Nati tui mortem ,  
 In hora moris & ultima ,  
 Ad sis mihi carissima .
6. Aue dulcis mater Christi ,  
 Qua de cruce suscepisti

*Vniſ Ieſum iam mortuum ,  
Piorum plena ſtetuum .  
Vniſ tua clementia ,  
Foue me mater gratia  
Cum omnibus fidelibus ,  
Solamina poſcentibus .*

7. *Aue qua poſt mortem, Chriſti  
Dolenda ſapè vidiſti ,  
Cuncta loca martyrij  
Eius plena ſuſpirij .  
Ob penas quas ſuſceperas  
Iſta loca dum videras ,  
Da poſt hac tranſitoria ,  
Mibi locum in gloria .*

ψ. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix ,  
ix. Vt digni efficiamur promiſſionibus  
Chriſti.

### ORATIO.

**O** Domina mea dulciſſima viſceribus miſericordix plena, per hos ſeptem dolores tuos ſuccurre mihi miſero peccatori, antequam mors ſubitanea & improuiſa ſuperueniat, ne ſubitò & imparatus de hoc mundo tranſeam. Ora pro me Maria virgo benedicta, ob vniſ geniti filij tui Domini noſtri I E S V Chriſti mortem amariffimam, vt peccati deſertatione & diaboli, & operum eius abrenunciatione, vera contritione, pura & humili confeſſione, pœnitentix & ſatiſfactione, digna Dei acceptione, & proximi dilectione, filio tuo reconciliatus, de hoc mundo tranſeam.

cam. Et fac mecum misericordiam tuam, <sup>o</sup>  
 Beata Virgo Maria mater Dei, in illa tremen-  
 da hora, quando spiritus vitales deficient, &  
 mortua lingua se nequibit mouere ad inuo-  
 candum te, neque oculi mei lucem capere  
 poterunt, auresq; meæ nulli voci patescunt.  
 Memor esto tunc <sup>o</sup> Maria precum, quas nunc  
 fundo ad aures tuæ pietatis, & subueni mihi  
 in illa vltima hora necessitatis, vt liberer à  
 ministris diaboli, & collocer cum Christi fide-  
 libus filij tui seruis & amicis, Amen.

H Y M N V S.  
 DE SEPTEM GAUDIIS  
 Beatæ Mariæ.

1. **G**audere Virgo Mater Christi,  
 Qua per aurem concepisti,  
 Gabriele nuncio.
2. Gaudere quia Deo plena  
 Peperisti sine pœna  
 Cum pudoris lilio.
3. Gaudere quia oblatio,  
 Regum quoque deuotio,  
 Exhibetur filio.
4. Gaudere quia tui Nati,  
 Quem videbas mortem pati,  
 Fulget resurrectio.
5. Gaudere Christo ascendente,  
 Qui in caelum te sidente  
 Morte fertur proprio.
6. Gaudere quia paracletus,

*Demissus fuit cœlitus ,  
In tuo collegio.*

7. *Gaude qua post Christum scandis  
Et est honor tibi grandis ,  
In cœli palatio.  
Ibi fructu Ventris tui  
Per te nobis detur fructus  
In perenni gaudio.*

¶ Ora pro nobis Sancta Dei genitrix ,  
R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

## O R A T I O.

**D**EUS, qui Beatissimam Virginem Mariam  
in conceptu & partu dilecti filij tui virgi-  
nitate seruata, duplici gaudio lætificasti: qui  
que eius gaudia (eodem filio tuo à mortuis  
resurgente, & ad cœlos ascendente) multipli-  
casti: tribus, quæsumus, vt ad illud ineffabile  
gaudium, quo tecum assumpta gaudet in  
cœlis, eius meritis & precibus per-  
uenire mereamur,  
Amen.

¶ Diuinum auxilium maneat semper no-  
biscum,  
R. Amen.



## LIBER OCTAVVS.

DE EXERCITATIONIBVS ME-  
*ditationumq; materia, ijs qui in statu, vel  
 Ecclesiastico degunt, vel Reli-  
 gioso, propria.*

Vt ne ijs etiam desimus hoc in Thesauro  
 nostro, qui in sacris vel Ordinibus vel  
 Religionibus viuunt, quo ad materi-  
 am meditandi, ipsorū Vocationi pro-  
 priam: adiungenda Superioribus vi-  
 fa sunt quæ sequuntur ad instructio-  
 nem propriè Ecclesiasticorum, ac Re-  
 ligiosorum spectantia.

*Es primum de statu communi Sacerdotum.*

## CAPVT I.

*De dignitate status Sacerdotalis.*

*De dignitate Sacerdotum generatim.*

CONsidera, quàm præclara nomi-  
 pturis, & SS. Patribus Sacerdotibus tri-  
 buantur. Vocantur enim 1. Angeli, Malach:  
 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & le-  
 gem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini  
 exercituum est.* Vicarij Christi, Luc: 10. *Qui  
 vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

3, Sal

3. Sal terræ, lux mundi, & lucernæ super candelabra positæ. Matth: 5. 4. Pastores, Doctores, & dispensatores mysteriorum Dei. Ioan: 10. & 21. Eph: 4. 1. Cor: 4. 5. Episcopi, Pontifices, & Præpositi. 1. Tim: 5. Tit: 1. Heb: 5. 13. 6. Mediatores inter Deum & homines, clauigeri cœli, cubicularij Christi, principes populi, primitiæ Domini, primogeniti Iſrahel.

2. Considera quanto honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in nouo Testamento, imò etiam apud gentiles. Nam in veteri hæreditatem non habuerunt inter cæteros Iudæos, & est Num: 18. sed Dominus erat hæreditas eorum. In nouo quoq; ex redditibus Ecclesiis vel cœnobijs piè oblati vitam traducunt, ideò clerici dicti, quia in sortem Domini vocati sint, vel quia pars Domini, & ideò singulari quodam ritu à solis Episcopis ad hunc gradum Deo consecrantur. Sed nec vllus sibi hunc honorem assumere potest, nisi vocatus sit à Deo tanquam Aaron, Heb: 5. Deinde Constantinus Imperator tantopere eos veneratus est, vt dixerit: Si sacerdotem viderem peccantem cum foemina, pallio meo cõtegerem. Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, prandens cum Cæsare, prius socio suo, quod esset sacerdos, poculum porrexit, quam Cæsari. S. Ambrosius dicit Regum ac Principum colla genibus submitti sacerdotum, eosque osculata eorum dextera, credere se eorum orationibus adiutari (96. dist: c. duo.) B. Ge-

lasmus Papa in epist: ad Anastasium Imperatorem. Duo sunt, inquit, Imperator, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tantò grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino examine sunt reddituri rationem.

3. Considera, sanctissimos quosq; ob summam eius dignitatem refugisse sacerdotium; vt S. Antoninum, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciscum, cui hærenti, an fieri deberet Sacerdos, cum esset diaconus, in via occurrit Angelus, gestans vitrum pellucidum clarissimo liquore plenum, dixitque sacerdotis animam similem esse debere illi liquori. Vnde ille sacerdos fieri noluit, quia tantam suæ animæ puritatem esse non putauit. Multi quoq; sancti & ætate prouecti eremitæ monasteria deseruere, ne ad sacerdotium prouerentur; alij verò iam ad illud prouecti, vel etiam ad Episcopatum, in remotas terras abierunt, ne agnoscerentur, vt Ioannes Silentarius, & alij. S. Marcus quoq; Eremita dicitur sibi abscidisse pollicem ne fieret sacerdos, & S. Ammonius aures, ne fieret Episcopus.

*De causa dignitatis Sacerdotum noua legis.*

CONSIDERA dignitatem sacerdotum nouæ legis, sumi ex duplici potestate illis collata, ordinis & iurisdictionis. Ratione ordinis possunt consecrare corpus & sanguinem Domini: ratione iurisdictionis, possunt homines

abiol-

absoluere à peccatis, & Ecclesiam gubernare.  
 2. Expende quam admiranda sit illa potestas consecrandi. Magnum beneficium credimus præstitum Iosue, quod imperio suo fecerit sistere Solem. Ios: 10. *Obediente Domino*, vt loquitur Scriptura, *Vox hominis*: sed multo maius præstitum est cuique sacerdoti. Ille enim fecit stare solem, vbi ante erat: at sacerdos sistit Christum in cœlo existentem, vbi ante non erat, id est, in altari: illi creatura obediuit, huic creator: illi sol semel loquenti obediuit, huic Deus, quoties verba consecrationis eloquitur, obedit. Quis sacerdos tam stupidus est, qui considerans tam stupendam Christi erga se obedientiam, summi Regis ad subditum, Dei ad creaturam, non vicissim libenter obtemperaret Dei mandatis? Quis cum b. Ioanne Baptista non dicat. Matth: 3. *Ego à te debui baptizari*, tibi debui obedire, *Et tu venis ad me*. tu mihi obedis?

3. Considera honorem qui ante incarnationem datus est Angelis, vt in persona Dei, dicerent. Exo: 3. Acto: 7. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, nunc deferri omnibus sacerdotibus: qui apud Malachiã etiam vocantur angeli. Nam non in persona sua, sed Christi dicunt in consecratione Eucharistie. Matth: 26. *Hoc est corpus meum. Hic est Calix sanguinis mei*. vnde sunt quasi Vicarij Christi, & quasi Christus ipse. Quod qui cogitat, quomodo potest non vitam ducere sanctissimam, ab omnibus sordibus impudicitie



alienam? Quid enim Christo sanctius? Quæ conuentio Christi cum peccato & Belial?  
 2. Considera, præsepe, crucem, sepulchrû, domum Bethlehem; quia attigerunt Christum res sanctas haberi: ad quas spectandas, tangendasque homines longa itinera conficiunt; cur ergo non sit sanctus sacerdos, ad quem Christus non iam mortalis, sed immortalis & gloriosus quotidie diuertit?

3. Considera, quanta dignitas sacerdoti accedat ratione potestatis iurisdictionis cum priori coniunctæ, nempe vt parem quasi potestatem cum Deo obtineat, scilicet remittendi peccata & ligandi. Dei enim solius est remittere peccata, & infundere gratiam, & tamen tam efficax ei potestas ea dimittendi data est, vt quæ ipse dimiserit, dimissa etiam sint in cœlis, & quæ ille ligauerit, ligata sint etiam in cœlis, vt liquet ex cap: 16. & 18. Matth. Ac proinde dum confitentes absoluit, disertè dicit: *Ego absoluo te, ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Vnde sequitur eius linguam esse clauem, qua clauditur infernus, & cœlum aperitur. 2. Considera eundem sacerdotem esse constitutum mediatorem & sequestrum, inter Deum & homines; vt sacrificia offerat pro hominum peccatis, vt precibus suis iram Dei auertat; vt verbo & exemplo oues sibi subiectas pascat, & animam suam pro salute earum curanda ponat, cum obligatione rationem reddendi in die iudicij, si vel vna earum pereat. Vnde

fit, vt, cùm in Ecclesiam ab omnibus conuenitur, toto populo in genua procumbente solus sacerdos stet erectus ad altare, velut pro toto populo vnus decertans. Quis verò tam ingratus sit, vt considerans in quàm sublimi gradu à Deo sit collocatus, adhuc se abijciat in lutum peccatorum, & fiat sacerdos, sicut populus?

## CAPVT II.

### DE VIRTVTIBVS, QVAS INESSE

*Sacerdoti Sult Apost: Paulus, 1. Tim: 8.*

*Tit: 1. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c.*

**C**onsidera nomine Episcopi intelligi sacerdotem, maximè curatum, vel qui aliorum curam gerit. Episcopus enim græcè, latine idem est, quod Superintendens; itaq; possunt eo nomine quoque intelligi Confessarij, & Concionatores, quorum est salutem aliorum promouendæ incumbere. 2. Considera has virtutes requiri à B. Paulo in sacerdote 1. Vt sit sobrius in potu. 2. Prudens prudentia spiritali, & moderatus, ne manus citò imponat ordinandis, vel Ecclesiæ dignitate ornandis; alioquin enim communicabit peccatis alienis. 3. Tim: 4. 3. Ornatus, id est, modestus in habitu & incessu. 4. Pudicus in verbis & factis. 5. Benignus & mansuetus. 6. Iustus. 7. Sanctus. 8. Modestus, non turbulentus. 9. Hospitalis. 10. Amplectens si-

delem

delem sermonem, id est, zelosus in fide Catholica. 11. Doctor, & aptus ad docendum, ut potens sit eos qui contradicunt coarguere. 12. Continens ab uxore, si quam forte ante ordines duxit. 13. Sux domui bene præpositus. Si quis enim domesticorum curam non habet, est infideli deterior. 1. Tim: 5.

2. Considera, Apostolum velle. Primum, ut sacerdos non sit superbus. 2. Non iracundus, 3. Non litigiosus. 4. Non percussor, vel manu, vel lingua, id est, detractor, & calumniator. 5. Non vinolentus. 6. Non turpis lucrificus, nec avarus. 7. Irreprehensibilis, id est, quem nemo iure queat reprehendere: qui que nullam det occasionem iustæ querelæ, vel etiam, qui nullius mali sibi sit conscius. 8. Ut sit vnus vxoris vir, hoc est, qui defuncta vxore priorè, non duxit secundam, vel qui plures simul vxores non habeat.

3. Considera ideò tantam perfectionem ab Apostolo exigi in sacerdote, quia, ut omnes Patres docent, quo quis est sublimioris status & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur, secundum illud. Luc: 12. *Cui plus datum est plus exigitur ab illo, & Sap. 6. Iudiciū durissimum in his qui præsumunt fieri, & potentes potenter tormenta patientur.* & S. Greg. (3. p. past. admon. 5) Sicut Prælati, inquit, tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrificat, sic si peruersa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. 2 Considera sacerdotem debere

esse

esse omnium virtutum maxime autem fidei, spei, caritatis in Deum, & proximum, humilitatis, pietatis, & castitatis, speculum & exemplar, Matth: 5. Si enim lux est mundi & lucerna super candelabrum posita, debet luce doctrinæ suæ, & vitæ exemplaris illustrare omnes: si sal est terræ, debet omnes à corruptione peccati conseruare: si pater & magister omnium fidelium, debet in se ostendere, quod omnes imitentur.

*De præstantia fidei & spei in sacerdote.*

**C**onsidera, sacerdotem imprimis debere esse in fide Catholica Romana, sine qua impossibile est placere Deo, constantissimum & certissimum, quia eius, velut magistri & Pastoris, est populum in fidei articulis instituere, eundem contra hæreticos, hoc tempore maxime, diligenter & ardentem defendere, modum item resistendi tentationibus dæmonis, mundi & carnis tradere, imò, si necesse sit, etiam pro fide sanguinem profundere. Bonus enim pastor, animam suam dat pro ouibus suis, in vera fide conseruandis, Ioan: 10. *Labia sacerdotis (ait Malachias 2.) custodient scientiam, & legem Dei requirunt ex ore eius.* 2: Considera hoc præfiguratum in veteri lege, Num. 1. vbi iussi sunt sacerdotes, dum iniretur prælium, inflare tubas, vt eorum clangore miles redderetur animosior. Cùm autem bella spiritalia periculosiora sint & crebriora quàm illa corporalia, ardentius sanè & frequentius tuba



tuba oris sacerdoti inflanda est, pro fide & sanctis moribus per conciones & exhortationes: *Victoria enim, qua vincit mundum, secundum B. Ioannem, est fides nostra.* Et Diuus Paulus in epistola ad Hebræos, (11.) omnia fortia veterum Patrum, facta, tribuit eximie eorum fidei.

2. Considera non solum fidem, quæ credimus omnia quæ Ecclesia Romana credenda proponit, excellentem debere esse in eo; sed etiam spem, vel fiduciam, qua omnia possibilia redduntur credenti, ita ut etiam montes queat transferre, ut ait Christus apud Marcum 9. & Ioan: 17. S. Iacobus autem vult illam fiduciam debere esse firmissimam non hesitantem, Iac: 1. *Quis enim hasitat, supple, se impetraturum, quæ à Deo petit, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: nec aestimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Vnde Christus ferè omnia miracula illi firmæ fiduciæ adscribit. Fiat (Matth: 8. & 9.) inquit, tibi sicut credidisti, vel fiat secundum fidem tuam. 2. Perpende rationem huius esse, quia sacerdotis maximè est orare pro alijs, & vitam piam sanctamq; instituire, ut possit, petita impetrare: quia ad hoc à Deo, tanquam mediator inter Deum, & homines est constitutus, Hebr: 5. Vnde & alijs in genua ruentibus tempore missæ, solus ipse stat quasi integritate vitæ fretus audeat pro alijs metu confternatis orare: vel certè quia hortatur Apostolus, ut cum fiducia ad thronum gratiæ adeamus, quo misericordiam consequamur.

mur. Hebr: 4.

3. Considera eum fidei debere habere quoque & diuinæ scripturæ, rerumq; Theologicarum pro officij magnitudine coniunctam scientiam & sapientiam: & attendere, vt Apostolus monet Timotheum, (1. Timot. 4) *lectioni, exhortationi, & doctrina.* Quilibet enim sacerdos curam habens animarum, tenetur exponere Euangelium, Catechesin fidei Christianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petr: vult omnes esse. (1. Pet: 3.) *paratos ad satisfactionem omni poscentis de fide, qua in ipsis est.* quanto magis debent esse Sacerdotes, qui aliorum sunt Magistri & Doctores? Quid turpius est, quam Sacerdotem non posse respondere alicui garrulæ mulierculæ, vel proteruo adolescentulo hæretico obiectanti, vt hoc tempore sit, Scripturæ testimonia? Vnde Chrylostomus scribit, sacerdotē in omnibus debere esse sapientissimum & mille instructū oculis, vt non solum sibi, sed etiam toti populo seruiat. Deus verò apud Osee Prophetam, comminatur repulsam à dignitate sacerdotij imperitis. Ose. 4. *Quia, inquit, tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et B. Paulus: *Qui autem ignorat, nempe, ea quæ scire tenetur, ignorabitur: nempe in die iudicij, cum dicetur, 1. Cor. 14. Nescio vos.*

*De charitate, qua flagrare debet Sacerdos.*

Considera sacerdotem nulla magis virtute, quam

quam caritate debere flagrare, tum quia fides, spes, aliaque virtutes omnes, teste Apostolo, (1. Cor: 13) sine illa nihil profunt: tum quia officium sacerdotis vel pastoris, tam ratione potestatis ordinis, ut dignè conficiat & administret Sacramenta, quam iurisdictionis, quatenus curam animarum habet, id omninò postulet. 2. Nota typum huius gessisse veteris testamenti sacerdotes, quorum functio erat ignem sacrum quotidie in altari fouere. *Luc: 6.* Quid enim aliud ignis ille designabat, nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominè in se subspecie panis & vini continentem? *Deus autem ignis consumens est.* (Deu: 4.) quem sacerdotes nostri non solum quotidie conseruant, sed etiam conficiunt. Deinde vestiti esse debebant cocco bis tincto, ut indicaretur sacerdotem debere duplici caritate flagrare, in Deum, scilicet, & proximum.

2. Considera Christum sacerdotum secundum ordinem Melchisedech principem, (Psa: 109.) cuius vices obeunt omnes sacerdotes nostri in consecrando corpore, ut diximus, Christi, dum aiunt: *Hoc est corpus meum.* maximè declarasse caritatem erga nos, cum instituit Apostolos in sacerdotes. Nam B. Ioannes de extrema coena acturus premitit, quod *in finem dilexerit illos.* (Ioan: 13.) Deinde ex merito in eos amore instituit S. Eucharistiam, id est, excogitavit modum, quo perpetuò nobiscum realiter maneret. Adhæc longum habuit sermonem de nouo mandato caritatis.

Postremo, ex nimio amore sanguinem suum pro nobis profudit: *Maiorem enim charitatem nemo habet, (inquit ipse Ioan: 15.) quàm si animam quis ponat pro amicis suis.*

3. Considera, quòd Christus institurus principem sacerdotum, (Ioan: 21.) & pastorum Petrum de caritate tantum, & euidenter eum percunctatus est: *Simon diligis me plus his.* Et ille tandem respondit: Domine tu scis quia amo te. Christus vero: *Pasce ergo oues meas,* indicans ad pascendas doctrina & exemplo oues, & ad gubernandam Ecclesiam, maxime opus esse ardenti caritate in Deum & proximum. Veri siquidem pastoris est, ouem perditam requirere (Luc. 15.) & inuentam, relictis licet 99. ouibus, humeris sublatam in ouile portare. Eiusdem est adueniente lupo, & persecutione exorta, non cum mercenario qui non est pastor, fugere, sed animam ponere pro ouibus. Ioan. 10.) Eius est cognoscere omnes oues, ealq; exemplo vitæ sanctæ præcedere, efficereque vt se suamque doctrinam & vitam sequantur, quod non facile impetrabit, nisi multis beneficijs, & amoris indicijs eas sibi deuinciat, ac tandem claue sua cœlesti quam accepit, regnum cœlorum illis aperiat.

*De humilitate Sacerdoti necessaria.*

CONSIDERA humilitatem esse omnium virtutum fundamentum, ac imprimis teste Chryfogono, Hom 38 ad pop. officij sacerdotalis; & ideo



& idè ea quoque excellere debere sacerdotibus. Vt enim quod domus altius ædificatur, hoc profundius requirit fundamentum, & arbor, quo ramos longius educit, hoc profundius agit radices, & quo fructibus onustior est, hoc magis se in terram inclinat: sic quo sublimior est sacerdotis dignitas, hoc maior debet esse eius humilitas, iuxta illud Sapientis. Eccles: *Quanto magnus es, humiliat te in omnibus.* 2.

Perpende esse & custodem omnium virtutū, vt vult B. Hieronymus, (Epist: ad Celant.) & S. August: (Ep: 30.) (*Qui enim sine humilitate, inquit B. Gregorius, hom: 6. in Euang: virtutes congregat, quasi puluerem in ventum portat.*) Conseruat autem eas, tum quia sicut qui iacet, non habet vnde cadat; sic humilis non facilè labitur in peccatū; tum quia sicut ignis sub cinere, & fructus sub folijs; ita virtutes sub humilitatis operculo, & absconduntur, & facilius conseruantur.

2. Considera seruos Dei-humilitate magna præditos, maximè fuisse à Deo laudatos & exaltatos, Abraham qui puluerem & cinerem se vocabat, (Gen: 13) pater omnium fidelium factus est. Dauid qui pulicē, vir secundum cor Dei, (1. Reg: 24.) S. Ioannes qui indignum se faciebat, vt solueret corrigiam Christi, dignus redditus est, (Matth: 3.) qui Christum baptizaret, & digito monstraret. S. Petrus cum Domino diceret, (Luc: 5.) *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Audit statim ab eo: Ex hoc eris homines capiens; & postea

factus est caput totius Ecclesie, & clauiger regni cœlorum. Centurio dicens: (Mar: 8.) *Non sum dignus, & intres sub tectum meum. Audit à Christo, Non inueni tantam fidem in Israel.* (Luc. 7.) B. Virgo ex humilitate se vocas ancillam Domini, meruit fieri mater Dei. 2. Perpende & Christum summum sacerdote m hanc virtutem in primis Apostolis commendasse, dum diceret. (Mat. 23.) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et rursus. *Si quis inter vos vult primus esse, sit omnium nouissimus.* Atque etiam cum eos sacerdotes facturus esset, exercuisse, cum lauit eorum pedes, & dixit, (Ioan. 13.) *Si ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

3. Considera, cum sacerdotum proprium officium sit, deprecari & sacrificia offerre pro populo: nihil æque iuuare ad reconciliandum Deum & impetrandam gratiam, ac humilitatem precibus coniunctam. *Ad quem enim respiciam,* ait Deus apud Isaiam, vlt. *nisi ad humilem & pauperculum,* Et Dauid (Psal. 20.) *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et Iesus Syrach. (Eccl. 35.) *Oratio humiliantis se, penetrat nubes.* Et S. Iudith. (Iud. 9.) *Humiliatum, inquit, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio:* B. Iacobus & Petrus, (Iac: 5.) *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde Iosue 7. cum in terram se prostrauisset, Deum mox sibi propitium reddidit. Et Dauid cum humiliter peccatum suum confessus

MEDIT. PRO SACER. ET RELIG. 703

cellus esset, illicò à Propheta audit, ( 2. Reg: 21. ) *Dominus quoque transfudit peccatum tuum.*  
 2. Nota, nihil æquè valere ad vincendas tentationes dæmonis ac humilitatem, cuius ratio est, quia ille ob superbiam æterna felicitate excidit. Vnde S. Antonius, cùm videret mundum plenum laqueis, responsum accepit à Deo, omnes euadi sola humilitate. Quare nihil æquè valet ad promerendum regnum cælorum ac humilitas. *Beati*, inquit Christus, (Matt. 5. 8. & 18. ) *pauperes spiritu*, id est, humiles, *quoniam ipsorum est regnum cælorum, Et nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et rursus (Luc. 4. ) *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quæ sententia ter repetita est in Euangelio.

*De castitate Sacerdotibus necessaria.*

**C**onsidera, si veteris testamenti sacerdotes toto tempore quo ministrabant tabernaculo à domo & vxore abesse tenebantur ( 1. Par. 24. ) ( ministrabant enim per vices, ) quanto magis noui testamenti sacerdotes, qui non per vices, sed semper ministrant, debent à coniugio & omni consuetudine foeminarum abstinere. Deinde si Achimelech sacerdos noluit Dauid famelico dare panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab vxore aliquandiu se continuisse; ( 1. Reg. 21. ) si idem populo faciendum fuit, cùm esset legem à Deo accepturus, ( Exo 19. ) quãto magis conuenit sacerdotes nostros ab om-

ni tœminarum contubernio alienos esse, quibus quotidie in sacrificio Missæ corpus Domini per panes propositionis præfiguratum, non solum sumendum, sed etiam conficiendum, manibusque tractandum est. 2. Considera (1. Cor 7.) D. Paulum docere eos qui uxorem habent, sollicitos esse quæ sunt mundi, ut placeant uxori, & esse diuites, id est, in multas sollicitudinû partes, ut exponit Hieronymus, distractos: (Hier: in Iouin. ) qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore & spiritu: consequens est Sacerdotes minimè fœminis adhærere debere, ut cogitent quæ Domini sunt.

2. Considera, puritatem animi corporis, non solum à diuinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Concilijs, summis pontificibus, omnibusque Patribus & doctoribus, quotquot in Ecclesia hactenus fuerunt, eamque non vulgarem, sed singularem & eximiam in sacerdotibus postulari, idque multis de causis. 1. Quia sanctissimum Missæ sacrificium (quo nihil augustius) crebrius peragere, in eoque purissimum Domini corpus ore suo consecrare, & manibus tractare, alijque porrigere debet. 2. Quia assidue orationibus, ut sacrarum horarum lectioni, & diuini officij decantationi, quæ mentem puram, tranquillam & in Deum eleuatam requirunt, vacare tenentur. 3. Quia prædicatione, & sanctæ vitæ exemplo plebem ad omnem virtutem, earundemque perfectionem inflammare. 4. Quia magnam  
partem



partem temporis impendere ouibus suis, vel subditis erudiendis, & in viam, dum à via aberrant, reducendis, ac si ægri sint, inuisendis, & pascendis; pauperibus idem iuuandis, peregrinis recipiendis, sacrificijs administrandis quæ omnia tunc requirunt hominem non solum ab vxore & liberis, sed etiam omnium negotiorum secularium cura liberrimum. Vnde Apostolus. *Nemo, inquit, (2. Tim. 2.) militans Deo, implicat se negotiis secularibus.*

3. Considera sacerdotem, si castitatem inuiolatam non seruet, multo grauius peccare, quàm peccent in eodem genere homines seculares. Primo, quia sacrilegium committit. *Si quis templum Dei violauerit, inquit Apostolus 1. Cor. 3. disperdet illum Deus, at quis templum Dei sanctum, & Deo consecratum propriè est nisi sacerdos, toties per varios ordines inutus & vices Dei & Angelorum subiens* 2. Quia violat votum castitatis ipsa ordinis susceptione tertio factum. 3. Quia summo scandalo est bonis & malis, imò & vilissimis hominibus; quod scandalum tantum hoc seculo est, vt causam dederit tot hæresibus. 4. Quia si in statu huius peccati celebret, aliaque sacramenta administret, Christum crucifigit, Christo in faciem spuit; Christum cum Iuda prodit, imò pedibus conculcat, & in cloacam proiicit. Quid enim aliud est, os sacerdotis impudici vel concubinarij? quid aliud est anima vel cor, quam cloaca fetidissima; Quid est margaritas proicere ante

porcos, si hoc non est, hoc est, cum impudicus sacerdos audeat celebrare?

*De frequentanda celebratione Missæ.*

**C**onsidera, sacerdotem ex vi sui officij & muneris accepisse onus intercedendi pro populo ad Deum, & offerendi dona, vt loquitur Apostolus, (Heb. 5.) & sacrificia pro peccatis suis & aliorum, cum & ipse circumdatus sit infirmitate; cum ergo crebrius, imò quotidie ipse cum aliis peccet, conuenit etiam vt quotidie sacrificet. 2. Considera Christum in extrema cœna præcepisse, vt sacrificium hoc Apostoli peragerent in sui commemorationem; cum ergo salutare sit crebrius renouare memoriam passionis, salutare quoq; erit crebrius sacrum facere. Imò in Dominica oratione omnes fideles, docuit quotidianum panem, nempe Eucharistiæ postulare. *Si autem, quotidianus est panis*, inquit B. Augustinus (li. 2. de ser: in monte) *cur de die in diem transferatur, cur non accipitur quotidie? Calestis est medicina*, ait Ambrosius (libr. 4. de Sacr. capit 6.) *debeo igitur semper accipere, qui semper pecco, & medicina indigeo.*

2. Considera exempla Sanctorum nam quotidie se immolare, immaculatum hunc agnũ confessi sunt. S. Andreas Apostolus. S. Ignatius. S. Cyprianus, S. Ambrosius. S. Chrysogonus. S. Augustinus. Ac S. Gregorius refert (hom. in Euag.) in S. Calsio Narniensi Episcopo morem quotidie celebrandi diuinitus approbatum his verbis. (hom. 37.) *Age*

*quid*

*quid agis, non cesset pes tuus, non cesset manus tua.* Hyppolitus mart. ait. (Orat. de conf.) in die iudicij iudicem, *Vente benedicti*, dicturum sacerdotibus, qui quotidie preciosum corpus & sanguinem immolarint. Siricius & Innocentius, I. Pontifices hac ratione, suadent perpetuam continentiam sacerdotibus seruandam, eo quod quotidie Deo sacrificia offerant. Primi denique Christiani, vt est in Actis Apostol. (2.) quouidie perseuerarunt in fractione panis, quod aliquod seculis obseruatum est in multis locis. Erant ergo qui frangerent quotidie.

3. Considera quanto fructu spirituali priuet Ecclesiam sacerdos, si negligat crebrius, dum potest celebrare. *Sacerdos*, inquit B. Bonauentura, *non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in se est, priuat sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos laetitia, peccatores Genia, iustos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, & se ipsum medicina & remedio.* 2. Expendat, quanto fructu spirituali priuet se. Qui enim sæpè celebrat, sæpè examinare conscientiam solet, de peccatis dolere, eadem confiteri, propositum melioris vitæ facere, satisfactionem peragere, summo religionis cultu, per preces & sacrificia Deum afficere, mentem in Deum eleuare, populum ad rem diuinam audiendam allicere, vitam tali officio conuenientem instituire, & omnes homines suo exemplo ædificare, ac deniq; maiorem apud

Deum gratiam, & ampliorem tot bonorum operum mercedem promereri.

*Aspiratio deuota ad Christum.*

**B**ENIGNISSIME, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime mi IESV Christe, ô vtinam multitudinem dulcedinis tuæ, atque eximiæ charitatis cordi meo infundas, vt nunquam carnale aut terrenum quid cogitem, sed te solum vitam animæ meæ amem, te solum in corde meo circumferam. O IESV fons omnis dulcoris diuini que saporis, scribe digito tuo, dulcem tui melliflui nominis memoriam in memoria mea, nulla vnquam obliuione delendam. Exara in tabulis cordis mei voluntatem tuam, omnesque tuas institutiones vt te immensæ maiestatis Dominum, tuaque diuina præcepta semper vbi que locorum habeam præ oculis. Amen.

### C A P V T III.

PRAXIS DEVOTÆ CONVERSATIONIS pro Sacerdotali vocatione.

*In Breue quasi examen redacta.*

**V**Idimus hætenus, & in genere, quas virtutes potissimum Deus in Sacerdote requirit; & in specie quid de singulis eorum primarijs sentiendum sit.

Operæ precium verò videtur, vt etiam ad

parti-



Particularissima hac in parte descendamus, pro plena sacerdotum in spiritualibus tum excitatione, tum exercitatione. Eam verò ad rem, cum primis facere videtur posse, praxis sequens, quam pio cuidam, ex eo ordine viro propositum, ac maximè cordi fuisse nouimus. Nec dubium est, quin maximo etiam fructu spirituali exercitatum.

Sic porro ea ad verbum habet.

### VARIORVM BONORVM SEGES

quàm ferre homo Ecclesiasticus, in ordine Sacerdotali constitutus, posset,

*Pro salute tam sua, quam proximorum &c. ad thesauros sibi aeterni cumulandos in caelis.*

**S**I in Sacerdotio, aut quauis Ecclesiastica dignitate constitutus sum, ac talenta mihi à Deo concredita, fideliter ad negotiationem spiritualem applicare cupio; facile habere possum permagnum lucri spiritualis campum, in quo exercear, tam in ijs rebus quæ ad Deum directe spectant, quam in ijs, quæ erga proximum, quæque erga me ipsum, ad questum spiritualem faciendum.

### PIA ERGA DEVM EXERCITIA.

*Et primum quidem in ijs, quæ sunt ad Deum.*

**H**ic permagna mihi mæsis proposita est, sed illud fundamentum omnium, vt ante omnia, quod Clerici status (etiam non religiosi)

à me requirat maximè, considerem, ac præstare coner.

Hoc enim est esse me in clerum Domini ascriptum: eo vocatum esse, vbi vere dicere debeam. *Dominus pars hereditatis mea, & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* (Plal. 15.) Totus ergo thesaurus meus, & pars mea, & hæreditas mea, in vno mihi Deo debet esse constituta, ita vt præ omnibus laicis hominibus in id incumbam, vt in vno Deo conquiescam. Quandoquidem etiam propterea ex altari bonisq̃ Ecclesiæ viuo, vt ne occasionem habeam; multum implicandi me secularibus desiderijs

Huc ergo intentus esse totus debeo, vtq̃ue id consequar, omnia diligenter conquirere adiumenta ea, quibus fragilitas mea confirmari atque ad tam altum statum dirigi possit.

*Itaque orationi mentali, sedulo vacabo nec vllam ordinariè diem prætermittam, qua non mane simul ac surrexero aliquam meditationem faciam, si non per horam integram, certe per mediam, aut vnum quadrantem. Festis vero diebus idem pensum augebo.*

*Orationem vocalem Breuiarij, ad quam obligatus sum, studebo attente, deuote, & opportuno tempore dicere. Idque vt consequar faciliùs, diligenter perlegam, ea quæ hac de re in superioribus, lib. 3. notata sunt c. 5. Nec propterea negligam alias aliquando orationes Rosarij, Litaniarum, vel similibus deuotionum superaddere, in Festis, præsertim, pro-*

ut de ijs

ut de ijs quoque in superioribus actum est l. 6.

*Sacro Sanctum Missa Sacrificium*, nulla die negligam, quin deuotè audiam. Eo maxime modo quem vidimus supra li: 3. toto. Sed & celebrabo ipse frequentius, ita vt septimana mihi nulla prætereat (etiam si liberum alioqui esset) absque vno, vel altero sacro celebrato. Quod si ex obligatione plura habeam, quæ dicere debeam, ei quoq; libenter satisfaciam. Vtq; hæc maiori cum fructu peragam, ea quoque hic seruabo diligenter, quæ de modo cum fructu communicandi, ante tractata sunt lib: 5 maxime c. 2.

*Confessionis Sacramentum*, & si nullius mihi peccati mortalis fuero conscius, tamen vltra octauum diem non facile differam, vltra decimum quintum verò nunquam. Ante omnia verò vnã confessionem bonam generalem præmittam, si nondum feci. Inde q; ab vltima inchoando, singulis annis semel generalem repetam, ab vltima generali incipiendo. Seruabo autem in his quoque quæ dicta sunt lib: 4. superiore.

Nullam diem facile præteribo absq; lectione alicuius pij libelli, maximeque Thomæ Kempensis de imitatione Christi, etsi non nisi capitulum vnum queam legere. Item de sanctorum historijs, maximeq; sanctorum Sacerdotum, & eorum qui in simili mecum vocatione fuerunt. Sic ea quæ S. Hieronymus, vel alij Patres de instructione clericorum scripserunt. Maxime autem in vigilijs sanctorum, fe-

Itaque ipsis, tali lectioni incumbam. Quin si potero hoc in genere pijsimum illum nostri seculi Episcopum & Cardinalem Stanislauum Hofium bonæ memoriæ imitabor, qui tum quoque cum manè indueretur, cumque exeretur vespere, semper habuit expueris aliquem suis ad manum, qui pium quid legeret, donec indormisset.

Vbi vel *Concio*, audienda erit, vel lectio, sacra quæuis, ea quæ superius lib: 2. cap. 5. docentur eo modo rite audiendi verbum Dei, seruare conabor.

Si nondum expertus fui, ea quæ dicuntur, *Exercitia spiritualia*, quæ tanto cum fructu fieri passim solent; conabor impetrare vt faciam: si feci, conabor aliquando ex professo repetere.

Si quam sciam esse *Congregationem piorum Sacerdotum*, vel aliorum piorum hominum, cui & ego pro conditione mea inscribi possim: ei quoque nomen libenter dabo, leges eiusdem piæ pro commoditate seruabo; Idque partim propter me ipsum, vt eo maiora habeam ad bonum calcaria, partim propter exemplum aliorum. Vbicunque verò sciero Congregationes esse tales, vel pia religiosorum domicilia, vel pauperum etiam piorum contubernia: de ijs pro posse meo bene mereri studebo, idque eo fine, vt orationibus ipsorum, eo sim commendatior, quò tanto facilius à Deo gratiam impetrem, ad satisfaciendum officio meo. Si qua alia etiam occurre-

runt



runt deuotionis meæ erga Deum excitandæ adminicula, neque ea omittam.

Denique *Examen conscientie*, nulla die negligam antequam cubitum eam. Aliquando verò in mente (maximè in festis solenni-  
bus) etiam *particulare examen* faciam circa hæc ipsa varia pietatis exercitia, quæ hic descripta sunt, quomodo ea seruem, &c. vt ita hinc quoque calcar mihi accedat pietatis maius

Atque vt ne tempus mihi desit plerisque hinc tam pijs exercitijs enumeratis aliquando vacandi: eam assumam consuetudinem; vt mane nunquam me, vel conuersationi externorum, vel vllis distractionibus occupationum tradam, (nisi magna necessitas aliud exigat) ante horam 7. vel 8. matutinam, interea scilicet mihi vacans ac Deo.

Vt verò in his omnibus etiam sim perseuerantior, festis omnibus præcipuis, ac solenni-  
oribus vel Christi Domini, vel B. Virginis, vel Sanctorum omnium diebus, quandam renouationem bonorum horum desideriorum mihi indicam. Quæ in eo erit posita, vt hæc omnia & singula, quæ hic mihi propono ad Dei gloriam, relegam attentius, singulaque examinem accuratius, quomodo scilicet seruari ea hæcenus, defecerimue, sicque damnata negligentia præterita, nouum resumam animum diligentiae, commendemque Domino Deo per orationes, rem totam diligentius, aduocata etiam intercessione patroni festiuitatis particulariter, applicatisque eodem tum sacrosan-

Et Missæ, tum eleemolyna aliqua peculiari, orationibusque etiam aliorum piorum hominum, quos habuero ad manus, &c.

*Pia erga proximos meos Exercitia.*

**I**Am verò & in ijs quæ ad proximum meum spectant, non minor mihi profectus occasio proposita est, si uti sciam quemadmodum debeo, cum hæc propria sit sacerdotis vocatio, vt pro hominibus constituatur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt Paulus docet, Heb: 5. egoq; eo etiam ipso, quo ad prælaturam Ecclesiasticam promotus sum, pluribus alijs præpositus sum, quos dirigam ad Deum; multos verò etiam fortè subditos habeam, quibus temporaliter imperem. Vnde tantò maior occasio plures iuuandi.

Possum igitur & in spiritualibus misericordix operibus prodesse proximo, & in corporalibus. Idque studiosè facere conabor; excitans meipsum ad zelum quendam diuini honoris, certoq; mihi persuadens, Deo Optimo Maximo, nihil me posse præstare gratius in hoc mundo, quàm si, post curam meæ ipsius animæ, etiam proximi salutem diligentissimè curauero: quandoquidem ipse Dominus Iesus, non aliam ob causam è cœlis descendit ad homines, & passionem illam acerbissimam subiit, quam vt proximum suum Deo Patri lucraretur. Atq; vt eo sim hoc in genere diligentior, identidem mihi in memoriam reuocabo illam Domini nostri parabolam, qua præ-

lato

lato Ecclesie teruis ijs comparat, quibus singula talenta sua ad negotiandum commiserit Dominus, & à quibus eadem cum fenore sit repetiturus, mercedemq; daturus maximam ijs qui sua talenta benè impenderint, contraq; negligentes, in tenebras exteriores proiecturus, Matth: 25. Ut ergo negociator diligens quotidie intentus est lucris suis, ac tum demum gaudet, dum lucri aliquid nactus est: ita ego eum diem demum foeliciter me locasse indicabo, quando aliquid boni proximis meis fecerim, alioqui diem me perdidisse iudicabo, multò magis quam Titus quondam Imperator.

Et quoniam proximus meus est homo quiuis, quo cum conuersari me quauis ratione contingit, neminem ab hac charitate excludendum putabo, sic tamen vt quibus plus debeam, ab ijs primùm incipiam.

Possunt enim esse 4. generis proximi mei, quos iuuare queam, ex quibus omnibus lucrum hoc spirituale mihi conquiram, & adaugebo.

1. Si qui sint particulariter mee cure commisi in anima, v. g. si sim pastor spiritualis ouium.

2. Domestici mei, qui sunt in familia mea.

3. Subditi mei, in quos fortassis habeo dominium temporale.

4. Denique externi quiuis.

*Incipiam igitur particulariter ab ijs qui cura mea pastoralis commisi sunt, singulorq; iuuabo pro ratione status ipsorum. Erunt enim vel Re-*

ligio-

ligiosi ij vel Ecclesiastici, seculares, vellaici.

*Si Religiosi sunt,* (puta si cœnobium aliquod mihi subsit) elaborabo quantum in me est, ante omnia ne publicorum scandalorum causam habeat, puta in tabernis, in mulierũ consortio, nec publica scandala ipsi præbeant. Contraq; vt instituto suo & regulis satisficiant. Idq; efficere conabor, 1. per me ipsum, Exemplo bono ijs præeundo, instruendo, hortando, corripendo, emendando: 2. Tum per alios conquirendo scilicet ijs virum quempiam aptum & spiritualem (si habere possim) qui suis exhortationibus ad meliora eos excitare queat. Conciliando etiam mihi aliquos ex ijs, qui inter ipsos sint maioris existimationis, qui inde exemplo monitionibusq; cæteros adiuuent. 3. Tum per libellos aliquos pios aptos, ex quorum lectione spiritum salutarem hauriant, quos ijs suppeditabo legendos. 4. Tum ad spiritualia exercitia facienda vel omnes inducendo, vel certè aliquos, qui exemplo & verbo alijs inde prodesse queant. Tum alijs, si quæ similes occurrerint, rationibus.

*Si Sacerdotes sint vel Ecclesiastici seculares quiuis,* elaborabo æquè vt scandala & ipfis auertantur, ne qua habeant; & aliorum per ipsos, ne scilicet dent scandalum: contraq; vt officium suum sedulò præstent, maximèq; vtrosq; hos, (& Religiosos, inquam, & reliquos Sacerdotes) ad ea omnia inducere conabor, quæ paulò ante mihi ipsi proposui erga Deum exercitia, puta ad orationem, tam  
mentã.



mentalem, quàm vocalem, ad Missæ Sacrificium deuotè celebrandura, communionemque deuotam & frequentem, ad confessionè, ad lectionem piam, ad verbum Dei deuotè audiendum, ad exercitia spiritualia, ad examen conscientix frequens, ad renouationem spiritus aliquando, &c. maximeq; ad congregationes aliquas pias instituendas, ac bonis legibus formandas. Hæcque omnia iisdem medijs conabor efficere, quæ paulò ante diximus, hoc est, per me ipsum, per viros pios & spirituales, per libellos pios, per exercitia spiritualia, &c.

Et quoniam utiq; hi, tam religiosi, inquam, quàm cæteri Ecclesiæ ministri, tal debent esse terræ, & lux mundi, Matth: 5. conabor eos præ cæteris inducere ad zelum animarum, vt luceat lux eorum coram hominibus, tam exemplo bono quàm verbis, imprimiq; in omni Ecclesiastico apparatu, vt omnia niteant in templis, omnia decenter & suo ordine fiant. Quandoquidem vulgus ferè ex diligentia ista externa, internum etiam statum Ecclesiasticorum metitur.

*Si denique sint laici quibus, quos curare debeam, intendam & ijs pro conditione ipsorum. Dabo omnem operam, vt Sacerdotes habeant Catholicos, à quibus ritè doceantur, nec feram, quantum in me erit, hæreticos in ijs concionatores. Prouidebo scholis de præceptoribus bonis & Catholicis. Conciliabo mihi præ reliquis animos eorum omnium qui*

aliis

alijs præfint, puta nobiles magistratus, Iudices, Scribas, eosq; vt sint quàm optime pietati affecti conabor efficere. Omnes denique quacunque ratione potero, & à malis auocare studebo; & ad meliora impellere, maximeq; ad frequentem Sacramentorum confessionis & Eucharistiæ vsum. Porrò hæc quoque, quantum potero, iisdem, quibus cætera, medijs, vt dictum est procurabo, puta vel per me ipsum, vel viros pios & spirituales, vel per libellos pios, vel per exercitia spiritualia, &c.

*Iam quod ad domesticos meos attinet & familiam*, pro quibus rationem Deo reddere debeo maiorem: iis ita intendam præ cæteris, vt ne scandalosi sint, ne lasciuui, ne ebriosi, ne hæretici. Curabo vt me comitentur ad diuina officia, maximè festis, vt iis in locis vbi communiter adesse ociosi solent, puta ante conclaue meum, vel in hypocaustis communibus, &c. libros semper bonos aliquos & aptos habeant, quos legere possint si libuerit, & hortabor aliquando nominatim ad lectionem piam, ad Conciones, ad Confessionem festis sollennioribus, ad exercitia pietatis, quibus ipse delector. Insuper dabo operam, vt singuli aliquid habeant honestæ semper occupationis, ne ocio diffluentes in vitia dilabantur.

*Si subditos forte habeam*, vt si sim in officio aliquo Ecclesiastico ex maioribus, & pagos possideam mihi commissos, vel simile quid; ante omnia induam eum animum quem Pau.

MEDIT. PRO SACER. ET RELIG. 717

lus vult dominos erga seruos suos induere, E-  
 phel: 5. *Et Vos domini, inquit, eadem facite*  
*illis, remittentes minas, scientes quia & illorum*  
*& Vester Dominus est in cælis, & personarum ac-*  
*ceptio non est apud Deum.* Tum verò & eorum  
 animabus libenter & ex animo consulari, pu-  
 blica etiam in iis scandala inhonestatis non  
 ferens, non hereses, quantum in me erit, non  
 huiusmodi: contraque enitens quantum po-  
 tero, vt parochos bonos eosque Catholicos  
 habeant, vt ludirectores probos, vt præfectos  
 non solum Catholicos, sed & mites, quiq; non  
 grauent subditos, vt Scribas pios, vt Sculte-  
 tos similes, &c. quandoquidem ab istis reli-  
 quum ferè vulgus dependet. Ideoq; & per me  
 & per alios aliquando nominatim hos omnes  
 examinare conabor quales sint, & excitare ad  
 meliora. Prouidebo & iis, si tulerit occasio,  
 in locis publicis de bonis libellis, puta in ta-  
 bernis, similiter de imaginibus, vt dum ociosi  
 conueniunt, aliquando cum pietate tempus  
 fallant, &c.

*Denique præter hos, etiam alios quosuis homi-*  
*nes, quibus cum quauis ratione conuersari*  
 continget, vbicunque potero pari charitatis  
 significatione promouebo, ad meliora; v. g.  
 hospites qui me visitabunt, Amicos & cogna-  
 tos, Notos, & alios quosuis. Videbo quomo-  
 do etiam ex ijs fructum aliquem Deo eliciam  
 bono exemplo, bonis colloquijs, libellis pijs,  
 quos etiam dono ijs offeram vt legant. Si  
 hæretici sint obstinatiores, hortabor ante o-

omnia ut peccata omnia fugiant, ebrietatis, v-  
surarum, Inimicitiarum &c. contraque in o-  
peribus Eleemosinæ se exercent, ne scilicet  
Deo pulsanti, cor peccatis obstruant, quin  
potius sese aperiant; ut legant libros aliquan-  
do pios, si non de religione ipsa tractantes,  
saltem qui ad pietatem excitent, ut mittant  
filios suos ad studia Catholica.

Hæc, inquam, vel omnia, vel quæcunque ex  
ijs præstare potero exercitia, aliæque similia  
ad lucrum animarum vndique conquirendum  
pro gloria Christi, in viâ habebō pro virili  
mea.

Conabor autem ea quoque præstare, pri-  
mum quidem & maximè per me ipsum, dein-  
de verò etiam per alios quoscunq; familiares  
habuero, qui zelum aliquem animarum ha-  
bebunt. Neq; solùm præsentēs ita iuuabo, sed  
absentes etiam, notos familiaresq; meos, per  
literas extimulabo ad similia, vel horum ali-  
qua, ut vndique mihi fructus laborum meo-  
rum constare possit.

Ut verò hæc omnia eo facilius in praxim  
redigam, primum quidem aliquando vacuum  
mihi aliquod tempus sumam, quo mecum  
ipse disquiram, omnesque partes circumspi-  
ciam vel officij vel charitatis meæ, atque in  
tabellam quandam referam quosnam vel  
quales habeam, quos iuuare maxime vel de-  
beam vel possim, v. g. Quosnam & quales  
religiosos, quos & quales Ecclesiasticos, ali-  
os, quos & quales laicos. Tum quos & qua-

les do-



les domesticos, quos & quales subditos. Quos denique & quales notos, aut vicinos quibuscum vel contingat me sæpius conuersari vel contingere possit.

Hos ubi omnes considerauero, & in tabellam retulerò, tum secundo, qui sint in singulis his potiores & à quibus plures dependeant siue etiam per quos plures iuari queant inquiram, vt ab ijs incipiam, in omnibus maiorem Dei gloriam semper ob oculos habens. Hinc iam & inuestigabo, quibus singuli medijs iuari queant, num per me ipsum, num per alios, aliquos, num ore tenus, an per literas, an per pios libellos, an per exercitia spiritualia, an alijs rationibus. Atque ita demum rem ipsam aggrediar excitato animo ad zelum debitum, vt initio diximus. Sed ante omnia, quos mihi ita designauerò, frequenter & libenter Deo per orationes commendabo, gratiam ijs petens vt iuari & emendari queant. Maxime verò id in sacrificio Missæ faciam, quandoquidem hoc proprium est officium Sacerdotis, ad altare pro proximis Deum exorare. Hebr. 5.

Atque hæc quidem in Spiritualibus misericordix operibus præstabo pro viribus meis. Inde verò etiam ad corporalia me conuertam, necessitatibus pauperum subueniendo.

*Opera misericordix Corporalia.*

Similiter igitur & in corporalibus misericordix operibus videbo quid possim, excita-  
to ali-

to aliquando ad hoc animo meo, lectione pij illius libelli de varijs Eleemosinæ fructibus.

Mihi igitur putabo dictum illud, Tob. 4, *Quo modo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurisas in die necessitatis* Hic vero i. mihi cura erit religiosarum familiarum, si quas sciam subsidio meo egere, aut subleuari posse: quandoquidem, præter omnem communem fructum Eleemosinæ cuiusuis, præter orationes etiam talium, sine dubio plurimum apud Deum valentes, etiam particularem illam habet promissionem Christi Eleemosina talis, qua dicit Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine propheta, mercedem propheta accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. &c.*

Sed & præcipue in studiosos pauperes, si boni sint, ero misericors, vt & ipsi aliquando euadere in seruos & sacerdotes Christi possint, quandoquidem etiam talis Eleemosinæ collatio longè omnium est utilissima. Nam & omnem fructum eum habet ac promissiones Christi, quas quæuis Eleemosyna alia, & præter hæc etiam preces pro benefactoribus feruentiores, ac demum (quod Maximum est) si qui ex talibus euadant aliquando in viros bonos & Ecclesiæ vtilis, (vt sæpè fit,) partem & ego, qui promouero studia eorum, merito

merito apud Deum sperare potero, ex fructibus illorum, &c.

*Ad hac hospitalia & infirmos, curabo & visitare ipse aliquando, & ut alij visitent instigare, subleuaboq; pro posse meo eorum necessitates libenter, adiuncta aliqua instructione etiam spiritali pro egenis, ut patientes sint & Deū timentes, ut confiteantur frequenter, &c*

Simul & magnam rationem habebō, *pauperum eorum, qui mihi fortè subditi sunt, utq; me amore Christi, patrem quasi suum experiantur præstabo.* Ut verò ne materia mihi desit beneficentiæ, & Eleemosynarum variarum, rationem aliquando quiete ac coram Deo, apud meipsum inibo status mei totius. Examina- bo primo quidem, quinam sint & quot, quos alere ex officio debeam, qua & quanta mihi familia opus sit, pro decencia status mei (nihil autem alam in ea superfluum) Deinde verò quosnam toto anno ad hanc rem reditus habere queam. (Quos quidem ut patrimonium Christi curabo tractari ac colligi diligenter, iustè tamen): Tum quanta eorum pars in sumptus necessarios necessaria sit. Sic- que demum intelligam quantum mihi super- esse possit ad eleemosynas varias faciendas, easq; faciam alacriter, non nimium sollicitus in crastinum, memor illius Christi: Matt: 6.

*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi arugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, vbi neque arugo, neque tinea demolitur, &*

*Sibi fures non effodiunt, nec furantur: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Considerabo autem hæc omnia mihi tanto diligentius debere cordi esse, meque tanto ad Eleemosynas promptiorem esse debere, quanto ego ipse ex piorum Eleemosynis & dotatione fortè fuero locupletior: cum omnia Ecclesiæ bona Eleemosyna sint fidelium.

Denique ut in his omnibus vndique mihi crescat bonorum operum fructus, non ero contentus sola meipsum liberalitate in Christi egenos: sed & alios quoscunque familiares habuero homines pecuniosos; ad eadem opera charitatis extimulare conabor, maximeque vel hæreticos, si fortè hac ratione eos ad gratiam Dei disponere queam: quandoquidem & Phariseis olim dixit Christus immundis licet: *Verumtamen quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc: 11. Vel Ecclesiasticos quosuis, cum & ipsi præ cæteris obligati sint, ex iis, quæ supersunt, Eleemosynas dare.

*Pia erga meipsum Exercitia.*

**A**D extremum in iis quæ ad meipsum pertinent; conabor animum meum omni virtute excolere, bonum exemplum præbere in omnibus, ne mihi id contingat, quod communiter malis Sacerdotibus, qui bene docent contingit, qui scilicet, quod verbo docent, exemplo destruunt; similes iis, qui canes allicere conantur pane ostenso vna manu, sed

bacu-



baculum tenentes altera.

Sed præcipua mihi cura in affectionibus meis sensualibus compescendis erit. Cauebo igitur mihi quàm diligentissimè, ab omni etiam suspicione libidinis & incontinentiæ, castigans corpus meum, quando necesse fuerit, cū S. Paulo, & in seruitutē redigens. 1. Cor. 9.

Cauebo à gulæ & ebrietatis occasionibus, ideoq; mensa mihi nunquam vnius horæ, vel paulò fortè longiùs, in necessitate aliqua, spacium excedet, in nullius gratiam; condieturq; semper lectione aliqua commoda, saltem pro parte, &c.

Cauebo ne desidia & somno tempus, quod preciosissimum est, perdam. Ideoq; si septem mihi horas sufficere sensero, octauam somno non dabo, nec pomeridianum tempus facile perdam inaniter.

Cauebo & alias vel superbiæ, vel avaritiæ, vel inuidiæ, vel iracundiæ commotiones. Et prout ad quamuis harum me natura ipsa magis procliuem sensero, ita diligentius occurrere ei conabor.

Sic de cæteris quæ occurrerint imperfectionibus meis.

Omnia autem hæc non in meipso confisus, sed in gratia Christi saluatoris; qui scio, libenter dabit spiritum bonum petenti se, &c. Luc: 11. Ideoq; etiam eo diligentius, quæ initio diximus, pietatis exercitia erga Deum seruabo, vt tantò faciliùs gratiam eius consequar.

Postremò, vt hæc omnia seruem diligen-

tius, iuuabit primùm habere me ea descripta, tali in loco, vbi frequentius mihi memoria eorum refricetur, v. g. in loco orationis quotidianæ.

Iuuabit maximopere, quod initio dictum in iis quæ ad Deum, de examine conscientie, itemq; de Renouatione in Festis.

Iuuabit habere virum aliquem spiritualemente circa me familiarem, qui conscius sit tot tamq; bonorum meorum desideriorum, quicq; ius habeat, à me hoc sibi concessum, vt me de iisdem moneat, reuocetq; ea in memoriam frequenter.

#### CAPVT IV.

PRÆPARATIO AD MISSAM  
pro opportunitate sacerdotis facienda, vna cum Gratiarum actione  
post Missam.

Vide ante Missam orationes duas supra lib. 3. cap. 4. initio

Vide ea, quæ lib: 5. toto passim de digna Eucharistia: communionem diximus.

Antiph: *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

Quæ in duplicibus tantum duplicatur.

PSAL. 83.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea

mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

Etenim passer inuenit sibi domum, & tur- tur nidum, vbi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine Virtutum: rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensionem in corde suo disposuit, in valle lachrymarum in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atriis tuis super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

*Psalmus 84.*

**B**enedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira, indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irasceris nobis? aut extends iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: & in eos, qui conuertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia & veritas obuauerunt sibi: iustitia & pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: & iustitia de cœlo prospexit

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

*Psalmus 35.*

**I**nclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Custo



Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; saluum fac seruum tuum, Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Quoniam tu Domine suauis, & mitis: & multę misericordię omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe orationem meam: & intende voci deprecationis meę.

In die tribulationis meę clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & gloricabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me: & Synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & miseri-

cors : patiens , & multæ misericordiæ , & verax.

Respice in me , & miserere mei , da imperium tuum puero tuo : & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum , vt videant qui oderunt me , & confundantur : quoniam tu Domine adiuuisti me , & consolatus es me.

Gloria Patri , &c. Sicut erat , &c.

*Psalmus 115.*

**C**Redidi propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam : & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

O Domine , quia seruus tuus , ego seruus tuus , & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea , tibi sacrificabo hostiam laudis : & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius : in atriis domus Domini , in medio tui Ierusalem.

Gloria Patri , &c. Sicut erat , &c.

*Psalmus 129.*

**D**E profundis clamaui ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

Fiant

MEDIT. PRO SACER. ET RELIG 729

Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine : Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius : sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël : ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Antiph : *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum ; neque vind. Etiam sumas de peccatis nostris.*

Deinde Sacerdos dicit :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. ✠. Et ne nos inducas in tentat.

℞. Sed libera nos a malo.

✠. Ego dixi Domine miserere mei

℞. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

✠. Conuertere Domine aliquantulum,

℞. Et deprecare super seruos tuos.

✠. Fiat misericordia tua Domine super nos,

℞. Quemadmodum sperauimus in te.

✠. Sacerdotes tui induantur iustitiam,

℞. Et sancti tui exultent.

✠. Ab occultis meis munda me Domine,

℞. Et ab alienis parce seruo tuo.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam,

Rz. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

Rz. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**A**Vres tuę pietatis mitissime Deus, inclina precibus nostris, & gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: vt tuis mysteriis dignę ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

**D**EVS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri: vt te perfectę diligere, & dignę laudare mereamur.

**V**Re igne sancti Spiritus renes nostros & cor nostrum Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

**M**entes nostras, quęsumus Domine paracletus, qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem.

**A**Dsit nobis, quęsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quę & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis.

**D**EVS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

**C**onscientias nostras, quęsumus Domine, visitando purifica: vt veniens Dominus noster I E S V S Christus Filius tuus, paratam

fibi



sibi in nobis inueniat mansionem Qui tecum  
 viuit & regnat, in vnitae Spiritus sancti De-  
 us, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## ORATIO ANTE MISSAM.

*Gregorius XIII. Pont. Max. concessit cuiuslibet Sa-  
 cerdoti dicenti infra scripta Verba, quinquaginta annorum indulgentiam.*

**E**GO volo celebrare Missam, & conficere  
 Corpus, & Sanguinem Domini nostri Ie-  
 su Christi, iuxta ritum sanctæ Romanæ Ec-  
 clesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusq;  
 Curie triumphantis: ad vtilitatem quoque  
 meam, totiusq; Curie militantis, pro omni-  
 bus, qui se comendauerunt orationibus meis  
 in genere, & in specie, & pro felici statu san-  
 ctæ Romanæ Ecclesiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ,  
 spacium veræ poenitentiae, gratiam & conso-  
 lationem sancti Spiritus, perseverantiam in  
 bonis operibus, tribuat nobis omnipotens &  
 misericors Dominus.

## EX B L O S I O.

**A**Doro te, & gratias ago tibi, amantissime  
 Domine I E S U Christe, pro innumeris be-  
 neficijs donisq; tuis, mihi indignissimo præsti-  
 tis: omnia in te refundo, & tibi offero in lau-  
 dem æternam. Gratias ago pro Incarnatio-  
 ne, Natiuitate, infantia, pueritia, adolescen-  
 tia, laboribus, ærumnis, passione, morte, re-  
 surrectione, & ascensione tua. Gratias ago,

quòd me vilissimum peccatorem admittere dignaris ad splendidum viuificumque sacramentæ tuæ conuiuium. Bone IESV, per illum amorem, qui te incarnari, pati, mori pro me cōégit, rogo te, vt ab omni peccato me planè emundes, & tibi per omnia placentem reddas. Exorna egenam animam meam meritis & virtutibus tuis. Perficiam hoc purissimè ad laudem & gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ Virginis Mariæ, ad honorem omnium sanctorum tuorum, omniumque bonorum Angelorum: ad salutem meam, ad salutem N. ad salutem omnium fidelium viuorum & defunctorum. Miserere Domine, miserere Ecclesiæ tuæ: adesto omnibus pro quibus preciosum sanguinem tuum fudisti. Da viuis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem, lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe IESV, in secula seculorum, Am.

ALIÆ ORATIONES PRO OPPORTUNITATE Sacerdotis ante celebrationem & communionem dicendæ.

*Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi precatio prima præparans ad Missam.*

Die Dominico.

Svmme Sacerdos & verè Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri Hostiam puram, & immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, quiq; dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem

tuum

tuum ad bibendum, & posuisti mysterium illud in virtute Spiritus sancti, dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo te per tuum sanguinẽ pretiosum, magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatẽ tuã, qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me seruum tuum indignum, quem inter cætera dona tua, ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ. Doce me, quæso, per Spiritum sanctum tuum, tantum mysterium tractare, ea reuerentia & honore, eaque deuotione & timore, quibus oportet, & decet. Fac me Domine Iesu Christe per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quid tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono & sine strepitu verborũ, loquatur omnẽ veritatem tantorum mysteriorum. Profunda sunt quippè nimis, & sacro tecta velamine, propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & semper, Missarum solennia puro corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & obnoxijis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida tutela, atq; fortissima custodia, vt hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterij, & per manum

manum sancti Angeli tui. Repelle à me, Domine Iesu Christe, & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbix, cenodoxie, inuidie, iracundix, fornicationis, & immunditix, dubietatis & blasphemix. Confundantur qui me persequuntur, pereant illi, qui perdere cuncta festinant.

*Fer. 2.* Rex virtutum, castitatis, & integritatis amator Deus, coelesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis; vt maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos, omnesque libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt sacrificium laudis casto corpore & mundo corde quotidie valeam tibi offerre. Quanta enim, Domine Iesu Christe, cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate & animæ puritate istud diuinum & coeleste sacrificium est celebrandum: vbi caro tua in veritate sumitur: vbi sanguis tuus in veritate bibitur: vbi summis ima coniunguntur: vbi adest sanctorum præsentia Angelorum: vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter constitutus.

*Fer. 3.* Quis dignè hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio, & verè scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter  
nimia



MEDIT. PRO SACER. ET RELIG. 735

nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter, & credo ex toto corde meo & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus iustos facis & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, vt concedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarum fonte, cum lætitia spiritali, & cœlesti gaudio. Sentiat meus mea dulcedinem beatissimæ præsentis tuæ, & excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo:

*Ter: 4.* Ego enim Domine memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, vt offeram tibi sacrificium, quod tu instituiti, & offerri præcepisti in commemorationem pro salute nostra. Suscipe ergo istud, quæso Iunne Deus, dulcissime Iesu Christe pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo pretioso. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus salutaris dignatus es esse redemptio Profero ergo Domine (si dignaris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorū, captiuorum gemitum, miseriam orphano

rum.

rum, necessitates peregrinorum, inopiam debiliū, desperationes languentium, defectus senum, suspicia iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum.

*Fer: 5.* Tu enim misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates nostras, & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat & honorificet, te delectetur, te sequatur, & te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, vt sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris. Et vt nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire delecteris. Rogamus etiam te sancte pater pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis sacramentum, Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum gaudium de te pane viuo & vero, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo, de carne sancta & benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccatum mundi.

mundi. Et potari de fonte pietatis tuæ qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi Domini nostri, vt consolati exultent in laude & gloria tua sancta.

*Fer. 6.* Peto Domine clementiam tuam, vt descendat super hunc panem & calicem istum, plenitudo tuæ diuinitatis. Descendat etiã Dñe illa spiritus sancti tui inuisibilis forma & incomprehensibilis maiestas, sicut quondã in patrum hostias descendebat: qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficit, & me indignum sacerdotem tuum docet, tantum tractare mysterium: ita vt placidè & benignè suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium, tam viuorum, quàm defunctorum. Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur atque vnus tuæ summeque diuinitatis participes efficimur: quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita vt hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: &, Qui manducat me, viuet propter me: ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis viuus: qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

*Sabbatho.* Panis dulcissime, sana palatû cordis mei: vt sentiam suauitatem amoris tui. Sa

na illud ab omni languore, vt nullâ præter te sentiat dulcedinem: nullum præter te querat amorem: nullam præter te amet pulchritudinem. Panis candidissime, habens in te omne delectamen tû & omnis saporis suauitatē: qui nos sēper reficis, & nunquā in te deficis: comedat te cor meū: & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus pleno ore in patria: manducat te peregrinus homo pro modulo tuo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis Sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo, & das vitam mundo: veni in cor meum & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus. Intra in animam meam: sana & sanctifica me interius, & exterius. Estō tu tamen & perpetua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi: hostes recedant procul, à præsentia tua: vt foris & intus per te munitus recto tramite ad regnum tuum perueniam: vbi non mysterijs sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate mirifica vt neque esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre & spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

*Alia oratio sancti Ambrosii.*

**A**D mensam dulcissimi conuiuij tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator de proprijs



prijs meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia. & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum: mentem & linguam non cautè custoditam. Ergo o pia Deitas, o tremenda maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro: ad te festino sanandus: sub tuam protectionem fugio: & quem iudicem sustinere nequeo saluatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, & magna pro quibus timeo. Spero misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae. Domine Iesu Christe, Rex aeternae Deus, & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni meritis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & preciose sanguis de vulnere us crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti: poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me clementissime pater omnes iniquitates, & peccata mea: ut purificatus mente & corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum: & concede ut sancta prælibatio corporis & sanguinis tui, quam

ego in-

ego indignus fumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, si turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, anime quoque & corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio, Amen.

*Oratio sancti Thomae Aquinatis.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo imuentiæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare sæditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: vt panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti anime meæ. Da mihi quæso, Dominici corporis & sanguinis, non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem & virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere: vt corpori suo mystico merear incorporari: & inter eius membra connumerari. O amantissime

tissime pater : concede mihi dilectum filium  
tuum , quem nunc velatum in via suscipere  
propono , reuelata tandem facie perpetuo  
contemplari : Qui tecum viuit & regnat &c.

ALIAS ORATIONES ET EXER-  
citia varia ante Communionem, vide  
supra l. 5. c. 2. & 3.

*Orationes dicenda cum Sacerdos induitur sacer-  
dotalibus parametis.*

Cum lauat manus.

**D**A Domine , virtutem manibus meis ad  
abstergendum omnem maculam : vt sine  
pollutione mentis & corporis valeam tibi  
seruire.

*Ad amictum.*

Impone , Domine , capiti meo galeam sa-  
lutis , ad expugnandos diabolicos incurtus.

*Ad Albam.*

Dealba me , Domine , & munda cor me-  
um : vt in sanguine Agni dealbatus , gaudijs  
perfruar sempiternis.

*Ad cingulum.*

Præcinge me Domine Cingulo puritatis , &  
extingue in lumbis meis humorem libidinis ;  
vt maneat in me virtus continentiae & casti-  
tatis.

*Ad Manipulum.*

Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris : vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.

*Ad Stulam.*

Redde mihi, Domine, stulam immortalitatis, quam perdi in prauaricatione primi parentis : & quamuis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

*Ad Planetam seu Cassulam.*

Domine, qui dixisti : Iugum meum suaue est, & onus meum leue : fac, vt istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam, A.

### GRATIARVM ACTIO

post missam.

Antiph. *Trium puerorum cantemus Hymnum : quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.*

Quæ Antiphona in duplicibus tantum duplicatur.

Canticum trium puerorum.

**B**enedicite omnia opera Domini Domino : laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Angeli Domini Domino : benedicite coeli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super coelos sunt, Domino : benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino : benedicite stellæ.



te stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & super exaltet eum in secula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuersa germinantia in terra Dño.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestix & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet & super exaltet eum in secula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite serui Domini Domino.

Benedicite Spiritus & animæ iustorum Domino: benedicite Sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate & super exaltate eum in secula.

Benedicamus Patrem, & filium cum sancto spiri-

cto spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in secula.

*Psalms. 150.*

**L**AUDATE Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in choris & organo.

Laudate eum in cymalibus benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Deinde repetitur Antiphona.

*Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis benedicentes Dominum.*

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.  
Pater noster &c.

ψ. Et ne nos inducas in tentationem,

℞. Sed libera nos à malo.

ψ. Confiteantur tibi Dñe omnia opera tua,

℞. Et

R. Et sancti tui benedicant tibi.  
 V. Exultabunt sancti in gloria,  
 R. Lætabuntur in cubilibus suis.  
 V. Non nobis Domine, non nobis,  
 R. Sed nomini tuo da gloriam.  
 V. Domine exaudi orationem meam,  
 R. Et clamor meus ad te veniat.  
 V. Dominus vobiscum,  
 R. Et cum Spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**EVS, qui tribus pueris mitigasti flammam  
 ignium: concede propitius, vt nos famu-  
 los tuos non exurat flamma vitiorum.

**A**CTIONES nostras, quæsumus Domine, a-  
 spirando præueni, & adiuuando prosequere:  
 vt cuncta nostra oratio & operatio à te  
 semper incipiat, & per te cepta finiatur.

**D**A nobis, quæsumus Domine, vitiorum  
 flammam extinguere: qui Beato Lau-  
 rentio Martyri tuo tribuisti tormentorum su-  
 orum incendia superare. Per Christum Do-  
 minum nostrum. R. Amen.

## EX B L O S I O.

**A**DORO te, & gratias ago tibi, benignissime  
**I**ESV Christe, qui me vilissimum pecca-  
 torem admittere dignatus es ad splendidum  
 viuificumque sacræ mensæ tuæ conuiuium.  
 Heu mihi, quia nimis indignè compleui hoc  
 sanctissimum sacrificium: miserere mei, igno-  
 sce mihi. Ego quod egi, commendo diuino

cordi tuo emendandum & corrigendum. Suscipe, quæso, hæc sacrosancta Corporis tui mysteria, quæ tibi offero ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ virginis Mariæ, ad honorem omnium sanctorum tuorum, omniumque beatorum Angelorum: ad salutem meam, ad salutem N. ad salutem omnium fidelium viuorum & defunctorum. Suscipe hoc præcellentissimum sacramentum in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro omnibus peccatis & negligentis meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud instaure omnes ruinas meas spirituales, & supple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me quicquid tibi displicet, & effice me hominem secundum cor tuum. Per illud conforma spiritum, animam, & corpus meum, spiritui tuæ, & corpori sacræ humanitatis tuæ, meque totum luce diuinitatis tuæ illustra. Per illud largire ut in te stabiliar, te perfecte & perseveranter diligam, intimè tibi uniar, ac totus in te transmuter ad laudem nominis tui. Conuerte Domine miseros peccatores, reuoca hæreticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes: adesto omnibus, qui in tribulatione & necessitate aliqua constituti sunt. Adesto his, qui se precibus meis commendarunt, aut commendati esse cupiunt. Adesto parentibus, propinquis, & benefactoribus meis. Miserere omnium pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis. Da viuis ve-

niam



MEDIT. PRO SACER. ET RELIG. 747

niam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus Christe Iesu, in secula seculorum, Amen.

*Alia Oratio post Missam.*

**I**neffabilem misericordiam tuam imploro, Domine IESU Christe, vt hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis tui, quod ego indignus peccator sumpsi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicamentum vitæ, sit mihi memoria passionis tuæ, sit diminutio fomitis, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me perducatur, errantem me reducat, reuertentem me suscipiat, titubantem teneat, cadentem erigatur, perseverantem in gloriam introducat, tumq; perseverantia sic immutet palatum cordis mei, vt nullam præter te sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullam admittat delectationem, nullum quærat illicitum amorem, nullam timeat crudelitatem, sed te præ omnibus amet, te sequatur, tibi perenniter adhæreat, & à te nullatenus separetur. Qui cum, &c.

*Oratio ad B. Virginem post Missam.*

**S**erenissima, & inclyta mater Domini nostri IESU Christi, virgo perpetua, quæ eundem creatorem omnium creaturarum in tuo sanctissimo utero meruisti portare, cuius idè veracissimum corpus, & sanguinem ego indignus

dignus sumere præsumpsi. Tuam igitur deprecor misericordiam, vt ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, vt quicquid in eius ineffabili sacrificio ignoranter, vel negligenter commisi, tuis sanctissimis precibus mihi sua pietate ineffabili, atque misericordia inennarrabili dignetur indulgere: Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuus & regnat per infinita secula seculorum. Am̃.

*Oratio post Missam.*

**E**ia nunc gratias tibi ago pijsime DEVS, quod me ad sumendum corpus, & sanguinem tuum pretiosum vocasti. Gratias tibi ago dulcissime IESV, quod me tuo corpore, & sanguine refecisti. Gratias tibi ago clementissime Deus pro deuotione, qua me in hac perceptione specialiter respexisti. Gratias tibi ago benignissime Deus, quod me protegendo à periculis custodiuisti. Mi Domine Deus, ecce pro tam gratisima uocatione, pro tam dulcissima refectione, pro tam pijsima respectione, pro tam clementissima protectione, & custodia, & pro omnibus beneficijs tuis tibi optime Deus gratias ago, te benedico, te glorifico in æternum, Amen.



QVOMODO SINT RE-  
citandæ horæ canonicæ.

Pura mē- tu eleva- tione.	Attendendo quā- stas in conspectu.	} Eterni iudicis, Angeli custodis, Inimici tui perse- quentis.
Perfecta oris pro- nuntia- tione.	Integre profe- rendo, vt nihil.	} Prætermittas dicendum Superaddas inordinatū. Hinc inde transponas.

Cum Domini sacras humilis recitaueris horas  
Dirige cor sursum, bene profer, percipe sensus  
*Hæc sunt septenis propter quæ psallimur horis.*  
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat  
Prima replet sputis, causam dat Tertia moras  
Sexta cruce nequit, latus eius Nona bipertit,  
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

ORATIONES ANTE DIVINUM  
Officium.

*Vide lib. 2. Cap. 4. Fols 99.*

*Alia Communis*

**A**ctiones nostras quæsumus Domine aspi-  
rando præueni, & adiuuando protegere:  
Vt cuncta nostra oratio & operatio a te sem-  
per incipiat, & per te expta finiatur per: Chri-  
stum Dominum nostrum, Amen.

Domine in vnione illius diuinæ attentionis qua ipse in terris, laudes Deo perfoluisti. has tibi horas perfoluo.

### POST DIVINVM OFFICIVM.

**S**acrofanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, Crucifixi IESV CHRISTI D. nostri humanitati, & Beatiss: & gloriosiss: Virg: MARIÆ fecunditati & integritati, ac omnium Sanctorum, sanctarumq; vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum nunc & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

B. Viscera MARIÆ Virg. quæ portauerunt æterni patris filium, & B. Vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum. Diuinum auxilium maneat semper nobiscum, Amen.

### CAPVT V.

#### DE IIS QUÆ AD STATVM Religiosorum propriè pertinent.

*De beneficio Vocationis ad Religionem, quæ  
est pro Religiosis.*

**C**onsidera, si Religiosus sis, aut desiderio ingrediendi religionem tenearis, hoc beneficium quoque esse peculiare, & post diuinam prædestinationem omnium maximum, paucisque concessum, & idè Christus dice

bat de



bat de illo. Matth. 19. *Qui potest capere capiat. Et. Si vis perfectus esse, vende, & vende omnia qua habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Religio enim est status perfectionis, non quod omnes perfecti sint, qui eam suscipiunt, sed quod quotidie perficiendo per observationem non solum præceptorum, sed etiam consiliorum diuinorum, debeant ad vitæ Christianæ perfectionem tendere. Hæc est, dempto Martyrio, angustissima porta, & arctissima via, quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sūt, qui inueniunt eam Matth. 7. In hac, si quis conuenienter suæ regulæ in vita pia, & sancta perseueret, probabilissimum argumentum habet se esse in numero prædestinatorum.

2. Considera causam cur hoc beneficium tanto sit in pretio habendum. Vna est, quia in S. Scriptura etiam sola temporalium facultatum in pauperes propter Christum distributio, amplissimam habet promissionem à Christo, (Matth. 19.) vt quod magnum thesaurum eiusmodi habituri sint in cælo, deinde (Marc. 10.) quod centuplum in hoc seculo accipient, quoad domos, agros, fratres; & in futuro vitam æternam. Quid ergo habebunt, qui præterea se castrant propter regnum Dei, & voluntatem suam, ac iudicium subiiciunt voluntati hominis loco Dei, & hoc palam solemniter vel simplici professione Deo, & omnibus Sanctis vouent, vt faciunt omnes veri religiosi? Altera est quia S. Patres. (Athan. in vita S. Ant. Her. Epist. 25.) comparant ingressum in religio-

ligionem alteri baptismo, eo quod per illum homo, sicut per baptismum, liberetur ab omnibus peccatorum pœnis. S. Gregorius addit, (hom. 20. in Ezech.) sicut holocaustum excedit alia sacrificia, sic ingressum religionis omne genus pœnitentiarum vel satisfactorum etiam publicarum excedere. B. Bernardus vero (ser. 30 in Cant.) & Petrus Blesensis (serm. 8) etiam comparant religiosam vitam & labores, continenti martyrio.

3. Considera, cur S. Patres his comparationibus sint vsi. Prima causa est, S. Thomæ Aquinatis, (22. q. ult. a. 3.) quia paucis elemosynis potest homo satisfacere pro pœnis peccatorum, iuxta illud Danielis 4. *Peccata tua elemosynis redime*. ergo multo magis satisfacit, qui non solum omnia sua dat pauperibus, sed etiam seipsum tanquam seruum offert Deo & religioni, imò vouet se nihil amplius proprium possessurum. Secunda causa est, quia tota professio veri religiosi, consistit in continua deportatione crucis suæ, hoc est, abnegatione proprii iudicij & voluntatis, & mortificatione sensuum, passionum, omniumque cupiditatum prauarum carnis, & mundi, secundum illud. (Luc. 9.) *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie*, & hoc est spirituale martyrium. Vnde sapiens dicit. Prou. 16. *cum, qui dominatur animo suo, meliorem esse expugnatore urbium*. Imò Seneca Philosophus gentilis agnouit, (Epist. 113.) *imperare sibi*.

*maximam esse imperium.*

DE NOVE BONIS RELIGIO-  
nis à S. Bernardo descriptis, hoc  
rythmo.

*In Religione homo, sinit purius, cadit varius,  
surgit velocius, incedit cautius, quiescit securus,  
irroratur crebrans, purgatur citius, moritur confidentius, muneratur copiosius.*

Considera primum, *cur sinit purius*, nempe: 1. ob puritatem intentionis, quia omnia facit ad Dei gloriam, & animæ salutem. *Si oculus tuus fuerit simplex, ait Christus, Mat. 6 totum corpus tuum lucidum erit.* 2. ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ solam animam vere impuram faciunt, quia boni religiosi malunt mori, quàm scienter peccare mortaliter. 3. ob puritatem mentis & corporis angelicam, quia promiserunt Deo & religioni castitatem.

II. Considera, *cur cadat varius*, nempe, 1. quia in ea rara vel nulla sunt offendicula, vel lapides scandali in quos impingat. 2. nulli laquei dæmonis, ratione opum, honorum, vel voluptatum mundi, quas appetat. *Qui enim volunt divites fieri, ait Apostolus. 1. Tim. 6. incidunt in laqueum diaboli.* Hic autem non solum non vult dives fieri, & magni haberi, sed etiam paupertatem amat tanquam matrem, & cupit ab omnibus contemni. 3. quia è contra multa in ea sunt admicula Superiorum,

Confessariorum, & Præfectorum spiritualium à quibus sustinetur ne cadat.

III. Considera, *cur surgat Velocius*, 1. quia lapsus eius ordinariè non sunt, nisi veniales, qui multis modis expiari queunt, oratione Dominicà, aqua benedicta, tunctione pectoris, confessione generali, gemitu, actu feruenti caritatis, &c. 2. quia à multis socijs fratribus potest subleuari. Vnde dicitur: Eccl. 4. *Pa soli quia non habet subleuantem se.* 3. quia angelica ministeria in angelico isto statu ei sunt promptiora, & diuina præsidia nomine *Centupli in hac vita.* Marc. 10. sunt promissa.

IV. Considera bonum quartum. *cur incedat cautius*, nempe, 1. quia sicut Deus nullum relinquit peccatum impunitum, sic religio omnes lapsus expiat per poenitentiam. 2. quia in religionum regulis omnes fere imperfectiones prohibentur, in quas aliquis incidere possit. 3. quia omnes, Superiores, æquales, & inferiores habet suorum morum inspectores, & quasi obseruatores, quibus cauet, vel minimam dare occasionem offendiculi.

V. *Cur quiescat securus*, nempe, quia 1. expers est omnis curæ rerum ad victum, vel amictum necessarium. *Nemo militans Deo*, ait B. Paulus, 2. Tim 2. *implicat se negotijs secularibus.* 2. quia nullum bellum vel exiguum habet cum mundo, quem deseruit, & carne, quam per mortificationis virtutem, crucifixit cum vitijs & concupiscentijs Gal. 5. 3. quia summa fruitur conscientie pace. *Se-*



*cura mens*, ait Sapiens, Prou. 15. *quasi unge  
conuiuium.*

VI. Considera bonum sextum, *cur irroretur crebrius*, nempe, 1. quia in quotidianis exercitijs spiritualibus orationum, meditationum, Sacrificij Missæ, & communionis, sæpè particeps sit diuinarum inspirationum. *Sæpè per quem requiescet spiritus meus*, ait Dominus, (Isai. vlt.) *nisi super humilem & quietum, & contritum corde?* 2. Consolationum cœlestium etiam in medijs afflictionibus, vt ieiunijs disciplinis. cilicijs. 3. Nouarum virtutum, & donorum Spiritus sancti.

VII. Considera bonum septimum, *cur purgetur citius*, nempe, 1. quia in ea vfitatum est quotidianum examen conscientia, tam particulare, quàm generale, in quo inquit in singulos lapsus, dolet, & emendationem proponit. 2. Quia crebrò iteratur confessio sacramentalis, & post illam deuota communio. 3. Quia in ea frequentes sunt satisfactiones pro expiandis poenis peccatorum, tum spontè susceptæ, tum à Superioribus, Confessarijs, vel regula iniunctæ, quas si sedulò seruet, purgatione opus non erit in altero seculo.

VIII. Considera, *cur moriatur confidentius*, nempe, 1. quia scit promissionem generalem, & specialem esse infallibilem. Generalem, (Matth: 10. & 19.) *Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.* Et specialem: *Vade & vende omnia, & habebis thesaurum in celo.* 2. quia scit, prouerbiū esse qui bene vixit.

& angustam viam tenuit, non posse male mori, secularesque solitos sub mortem dicere, Utinam in religione tali, vel tali vixissem. 3. quia, vt supersint adhuc aliqua imperfectio reliquæ expiandæ, nouit se habere in extrema hora ex priuilegio Ordinis indulgentiam plenariam, ac ante & post mortem communionem omnium sui Ordinis precum & sacrificiorum, aliorumque operum bonorum.

IX Considera, *cur remuneretur copiosius*, nepe, 1. quia qui relictis omnibus secuti sunt Christum, Matth. 19. sedebunt super sedes duodecim iudicantes, & centuplum accipient in hac vita, & in futuro vitam æternam. Marc. 10. Centuplum accipiunt, quia pro Patre vno relicto, in religione plures spirituales patres, pro fratre plures fratres, pro vna domo, plura collegia vel cœnobia. 2. quia teste Apostolo, Rom. 2. *DE V3, reddet vnicuique secundum opera sua.* Et 2. Cor. 9. *qui seminauerit in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* at religiosus quotidie vacat operibus vel religionis orando & laudando Deum, vel humilitatis, vel misericordiæ, corporalibus aut spiritualibus. Deinde quæ libet eius opera, etiam adiaphora, vt dormire, comedere, studere, sunt meritoria, tum quia semper ferre est in Dei gratia, tum quia omnia ad Dei gloriam refert, & facit ex obedientiæ virtute. 3. quia præter ea quæ omnibus beatis sunt communia, religiosis maxime competunt tres aureolæ, martyrum scilicet, Virginum & Docto-

& Doctorum, quæ sunt accidentalia quædam præmia.

## C A P V T VI.

### De votis religiosorum.

#### *De præstantia Votorum:*

CONSIDERA, vouere religiosi non esse aliud quam relicto seculo se totum diuino seruitio dedere, & ad perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam in religione approbata obligare. His enim tribus virtutibus remouemus omnia impedimenta perueniendi ad vitæ Christianæ perfectionem, quæ est religiosæ vitæ finis. *Quicquid* namque *est in mundo*, vel seculo, 1. Ioan. 2. *aut est concupiscentia carnis*, quæ tollitur castitate: *aut concupiscentia oculorum*, quæ paupertate: *aut superbia vitæ*, quæ tollitur obedientia & subiectione. 2. considera horum Votorum præstantiam inde liquere, quod nobilissima sint. 1. quia fiunt Deo omnis nobilitatis auctori, & in Diuinæ eius maiestatis gloriam. 2. quia ijs se obligat voluntas nostra, quæ inter animæ facultates tenet principatum. 3. quia vouere est actus religionis inter omnes morales virtutes nobilissimæ. Vnde B. Augustinus dicit, ( Lib. de virg. ) Virginitatem, non quia virginitas est, sed quia per votum Deo dedicata est, honorari. 4. quia sicut vita cor-

poralis pendet ex corde, tanquam à principio, sic vita religiosa, & esse religiosum pendet ab horum trium votorum obligatione.

II. Considera hanc votorum obligationem Deo esse gratissimam. 1. quia illis quasi tribus clavis voluntariè se atfigit cruci amore Dei, non per tres horas tantum, aut dies, sed per totam vitam. Christus latronem in cruce secum pendentem ad breue tempus, & pauca verba pia eloquentem, statim fecit paradisi hæredem, quid ergo faciet tota vita pendenti? 2. quia illis se totum offert Deo, in holocaustum teste B. Gregor. (Hom. 12. in Ezech.) Secularis homo bene agens tantum fructus dat Domino Deo: at religiosus dat arborem cum fructibus idque in æternum quia abrenunciat seculo, & se totum dedicat diuino seruitio. 3. quia perfectissimo modo se donat Deo, vt nullum sibi ius & imperium retineat, paratus Deo parere, & superiori eius vicem tenenti quacunque in re, quando, vbi, & quantum libuerit. Et ideò sine sacrilegio, si religiosus sis, non potes amplius voluntate & iudicio tuo uti, quomodo & vbi libet, sed tantum ad arbitrium Dei, cui es consecratus.

III. Considera, cum religiosi inter omnes Dei seruos sint nobilissimi, vt pote ad perfectionem vitæ sanctæ semper contendentes, iuxta illud monitum Christi. (Matt. 5. & 16.) *Estote perfecti, sicut & Pater Vester celestis perfectus est.* Et illud: *Si quis vult venire post me,*

*abneget*



*abneget semetipsum, &c.* Prorsus conuenit, vt spondeant in tribus illis virtutibus, ducem suum & imperatorem Christum imitatu- ros. Quid enim pauperius, castius, obedientius, Christo? 2. perpende, cum tam nobilis sit religionis status, debere etiam à religioso non vulgaria, sed heroica opera exerceri votis cōgruētia. Vt ratione paupertatis ita contemnere opes vt nec obulum proprium habere velit, & si opus sit, aut regula postulet vili habitu incedere, & necessaria ostiatim emendicare. Ratione castitatis, virginitatem seruare intactam, nec vlli turpi cogitationi, locum dare, ne dum verbis, aut factis. Ratione obedientiæ, non solum voluntatem, sed etiam iudicium in parendo Superioribus quibuslibet in quauis re submittere. Talis enim obedientia gratior est Deo omnibus victimis & holocaustis.

*De Utilitate Votorum.*

CONSIDERA sicut arbor, quo altius humi radices fixerit, & vitis quo rectius stipiti al- ligata est, hoc meliores producere fructus, sic voluntatem humanam quo plus firmata fuerit in bono, hoc præstantiora opera pro- ducere. Vota autem voluntatem in bono o- pere imprimis reddunt firmiorem, ac proinde & opera eius sunt Deo gratiora, & ampli- oris præmij meritoria: haud secus quam opus prauum à voluntate peruersa & obstinata profectum, detestabilius est alijs malis operi- bus &

bus, & grauioris poenę meritorium. Secundò perpende etiã si religiolus per vota sibi imponat necessitatem seruandi castitatem, & alia, non tamen ideò tollere sibi libertatem & meritum, quia illa necessitas non à natura, sed à voluntaria promissione profecta est, & ideo D. Augustinus vocat illam necessitatem felicem, quæ ad meliora compellat. Facit enim opus voluntatis perfectius & magis meritorium. Angeli siquidem natura sunt liberi-ores homine, & tamen eo beatiore sunt, quominus possunt vel ad momentum faciem suam à diuine maiestatis conspectu auertere.

II. Considera, proculdubio homini vtilissimum fore, si Domino vniuersitatis arctissimè esset coniunctus. At qui religiolus per votorum vincula arctissimè alligatur Christo, ac proinde & Christus vicissim ipsi. *Quis autem adhaeret Deo, vnus spiritus est.* inquit Apóstolus 1. Cor. 6. Si autem vnus spiritus est, quomodo non est particeps donorum beneficiorumque eius spiritualium? an potest aliquis os appositum habere fonti & non bibere, manus igni admouere, & non calefieri? 2. perpende, cum per vota nos totos Deo dedicemus, & à Deo possideri incipiamus, fierique filij Dei & hæredes Christi: fieri non posse, quin nobis beneficiat, cum non tam nobis, quàm sibi hoc beneficium debeat.

III. Considera, bona omnia opera ex voto facta plus mereri apud Dominum Deum, quàm quæ non sunt ex voto facta. 1. quia sunt ex affecti-

affectione maiori; maior enim est affectio eius, qui ita quippiam vult, vt sibi fas non sit aliud velle; quam eius, qui vult tantum aliud sic tamen vt liceat contrarium. 2. quia ex duplici virtute procedunt. Qui enim amore Dei seruat castitatem, vnam tantum exercet virtutem, nempe continentiam; qui vero seruat castitem ex voto, exercet duas, continentiam & religionem. 3. Quisquis vouet, vel vouet, vt emittat votum & obliget se Deo, vel vt postea teneatur reddere quod vouit: ratione vtriusque autem maximum sequitur meritum. Primi quidem, quia maximè voluntaria est actio, sic enim vult, vt non possit reuocare ipsum velle. Secundi vero, quia velle reddere est actus patriæ, qui est actus nobilissimus.

*De praestantia paupertatis Religiosa.*

CONSIDERA, paupertatem Euangelicam, qua religiosus diuitias omnes ipsosq; auri montes quali stercora, vt ait Paulus, Phil. 3. abominatur, idq; propter Dei amorem spemq; vitæ æternæ, omnibus virtutibus eminere, & esse, vt Ambrosius loquitur, lib. 5. in Luc. *Ordine primam, & quasi aliarum Virtutum parentem.* Religiosus enim, dum vouet illam, non solum omnibus facultatibus se exuit, & nudus nudum sequitur Christum, sed in eo statu se ponit, vt nihil proprii habere possit. Vnde Cassianus lib. 4. c. 13. dicit, magnum crimen fuisse, si monachus dixisset, codex meus,

meus, tunica mea Quare & Christus Mat. 5. inter octo beatitudines id est, virtutes quę hominem in hac vita beatum faciunt, paupertati principem locum dedit, eidemque summum præmium attribuit *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

II. Considera, præstantiam eius maximè sumi ab exemplo filij Dei, qui, vt ait Apostolus, 2. Cor. 8. cùm diues esset, factus est pro nobis egenus, & ita egenus, vt dixerit. Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & solueres cauinidos, filius Dei sero non habet, vbi caput suum reclinat.* Vnde nec in domo, sed in stabulo, eoque alieno nasci voluit: & licet in manu haberet omnes fines terrę, aliorum elemosynis viuere & stipem mendicatio quę, rero, pauperem habere matrem & Patrem, nempe, fabrum, pauperes item discipulos. In paupertate demum & nuditate vitam claudere. Hunc sanè statum, nisi sapientia Dei te dignum cognouisset, non assumpisset; nisi sciuisset paupertatem esse gemmam, preciosissimam, licet mundo vilissimam, non ad eam quærendam de cœlo descendisset, non per pauperes & nudos piscatores tanta miracula fecisset, & totum mundum conuertisset. Certe aut mundus errat magni facere pergens opes & diuitias, aut Deus eas contemnens. At impossibile est Deum errare, ergo turpissimè errat mundus.

III. Considera, ex iudicio mundi liquere e-



ius præstantiam. Si enim quis ex paupere repente fiat diues, mundus non admodum miratur: at contra, si quis ex diuitiè & copioso sponte fiat pauper, & omnia deserat, agros, vineas, vrbes: summopere miratur, eo quod nihil putet diuitijs esse nobilius, nihil abiectius inopia. Secundò, perpende sedulò, an reuera mundus possit cum opibus, omnibusque deliciis suis ita exsaturare cor humanum vt acquiescat: Non certe, quia mundi sectatores, quo plus habent, hoc amplius habere desiderant, & cum satiari nequeant partis, ad veram animi quietem nunquam perueniunt. At religiosus, qui neq; proprium quicquam habet, neque habere desiderat, victu & amictu modico contentus viuit, eoq; similior est beatis in cœlis. Vt enim hi sua gloria omnes contenti in cœlo viuunt, sic ille paupertate religiosa contentus degit in terras: & ideò fortasè à Christo dictum est, Matth: 5. Pauperum spiritu, non futurum, sed iam esse regnum cœlorum.

*De vtilitate religiosa paupertatis.*

**C**onsidera mirabiles eius vtilitates, nam primò tollit superbiam, & alia multa vitia, quæ homines occasione opum committunt, vel potentia, quæ opes comitatur. 2. valet ad peccata præterita expianda & delenda. 3. Hominem inutili rerum terrenarum sollicitudine liberat. 4. Virtutes ferè omnes inducit, vt temperantiam, modestiam, & maxime

humi-

humilitatem, quæ est eius velut germana soror. 5. Auellit animum ab amore huius mundi, omniumq; eius voluptatum, & transfert in amorem rerum cælestium, vt dicat (Hebr: 13.) *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram, quæ in cælo est, inquirimus.* 6. Hominem perfectum reddit in hac vita, iuxta illud, (Matth: 19.) *Si vis perfectus esse, vende, & vende omnia, & capacem magni thesauri in cælo, vt ibidem additur: Et habebis thesaurum tu cælo.*

II. Considera, qui religiosus voto paupertatis, se & quicquid in mundo habere potuit, tradit Deo, & ne aliquando tergiversari queat, voti vinculo se ad paupertatem obstringit; Deum vicissim se illi consecrare, & omnia ad vitam necessaria spondere, sicut olim in persona Aaronis se facturum recepit, (Num: 18) cum dixit se partem & hæreditatem eius fore intelligens in hoc typo omnes religiosos. Nam si volucres tanto studio necessarium victum suis pullis conquirunt, non putandum est creatorem voluerum & hominum, ac proprium religiosorum Patrem, suorum religiosorum filiorum, qui in cornubijs, velut auiculæ in nidis cibum quotidianum præstolantur, obliuisci. Non credendum est, velle necessaria destitutum eos, qui propter ipsum omnibus corporis commodis se exuerunt, nihil reuinentes proprium. Itaque si tu non desis Deo, nec Deus deerit tibi.

III. Considera, etiamsi religiosus nihil

pre-

Proprium sibi vendicet, omnia tamen necessaria ad victum, amictum, & habitationem, vt cura sit solutior, aliorum studio obtinere, vt verum sit illud Apostoli in eo. *Nihil habentes, omnia possidentes.* 2. Si aliò iter instituat, omnes eiusdem ordinis fratres, licet ignoto, omnia charitatis officia deferunt, eo solùm nomine, quod audiant eiusdem esse matris, id est, religionis filium: & experitur verum esse promissum Christi, de centuplo in hac vita, quia centum, imò mille domos reperit pro vna sua, etiam meliores. 3. Cibus & potus etsi moderata sint, tamen ex amore ei paratur, & ad mensam à seruis Dei defertur. Quicquid apponitur, edit & bibit omni suspitione seclusa, quod nullus potest princeps. 4. In senecta maiori in reuerentia habetur, & tractatur, licet laborare non queat, commodius, perpenditur enim, non quid præstat, sed olim præstiterit. 5. In ægritudine maiori studio, & amore ei seruitur, quam Dominis secularibus. Medici præscripta ibi accuratè seruantur, si periculum vite sit, tempestiuè monetur, & sacramentis munitur, noctu diuq; præsto adsunt custodes & monitores, omnium fratrum precibus commendatur, ac tandem septus orantium corona, cum indulgentia plenaria ordinis concessa in morte, ad cælum transmittitur.

*De præstantia religiosa castitatis.*

CONSIDERA primam eius excellentiam esse, quod hominem, quoad fieri potest, resti-

tuat

tuat in priorem statum, in quo conditus est, eaque puritate ornet, qua claruit in paradiso terrestri, hoc est, vt caro obsequatur spiritui, nec quidquam homo turpe opere, verbo, vel cogitatione designet, & pars inferior quæ dicitur sentiens, non obstrepat superiori, hoc est, rationi. Secunda est, quod reddat secundum omnes S. Patres, simillimum angelis, eo quòd carnis vinculis alligatum esse, & non secundum carnem viuere, sed secundum spiritum, reputent non humanum sed angelicum. Immo S. Bernardus Epist. 42. & S. Chrysostomus de Virg. c. 79. audent affirmare aliqua ex parte maiorem esse laudem hominis casti, quam angeli: huius si quidem castitatem esse feliciorem quidem, sed illius fortiorem, huius naturalem quasi & necessariam, illius vero liberam & voluntariam.

II. Considera & tertiam excellentiam, quod hominem religiosum, vt vult S. Basilius, de Virg. & Climachus, grad. 55. Deo reddat simillimum, quantum quidem fas sit homini. Deus enim natura incorporeus est, incorruptibilis & purissimus. Cum ergo anima ipsa natura incorruptibilis & pura, ipsum corpus ad eandem puritatem & integritatem per castitatem attrahere conetur, non aliud facit, quam quod similitudinem Dei incorruptibilis, in se velut in speculo mundissimo exprimat, & hominem quasi diuinum faciat, in carne carnis quasi expertem. 2. nota hoc bonum tantum, tam fuisse à natura humana de-

sidera.



sideratum, ut antiquus serpens in paradiso nihil aptius reperit ad primos parentes illi-  
ciendos, quam promittendo, Gen. 3. *Eritis  
sicut Dij*, Sed quod fallò promissum est ab  
eo, qui præstare non poterat, & ea via qua  
præstari non poterat, hoc per castitatem re-  
ligiosus verè tenet & possidet: eoque perfe-  
ctius, quo eius castitas est perfectior aliorum  
ut coniugum, viduarum, & virginum ca-  
stitate.

III. Considera quartam excellentiam, eius  
esse quod hæc castitas inter eximia Dei dona,  
quæ non humana sed diuina tantum virtute  
nobis contingunt, numeratur. Vnde Sapi-  
ens (8.) *Sciuit*, inquit, *quoniam aliter non pos-  
sum esse continens, nisi Deus det*. Vnde S. Pa-  
tres docent illam virtutem supra naturam, &  
supra omnem legem, & ideo neq; in veteri,  
neque in noua lege imperatam. Excellentia  
autem huius virtutis nascitur ex summa diffi-  
cultate, quàm anima hominis habet in coer-  
cendis & frangendis importunis hostis dupli-  
cis insultibus, domesticis videlicet, id est,  
carnis, quæ continuò noctu diuq; pugnat  
aduersus spiritum, & pugnabit vsque in finè  
vitæ: Deinde externi, id est, dæmonis, qui  
nullo alio peccato plus gaudere dicitur, se-  
cundum quosdam, quam impudicitæ, ob  
quam pugnam exclamat Apostolus, Rom. 7.  
*Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore  
mortis huius?*

*De Utilitate religiosa castitatis.*

CONSIDERA eo nomine religioso vtilissimā esse, quod eius beneficio infinitis liberetur molestijs, & primo quidem carnis, quæ ubi vel minimum obtinet imperium, etiam sapientes, vt liquet in Salomone, in barathrū vitiorum præcipites agit. Deinde, familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpè difficultates adiunctas habet, v redigant ad desperationem. Patrifamilias enim incumbit curanda vxor, liberorum educatio: collocatio filiarum, necessariorum rerum procuratio, vt famuli & ancillæ officio suo fungantur, vt omnes probi sint & pii; Taceo varia incommoda & infaultos casus, qui quotidie vel vxoris proterux, & litigiosæ, vel liberorum inobedientium, vel cognatorum litigantium causa incidunt. Religiosus autem velut cœli ciuis sua vocatione contentus, aliis necessaria ei curantibus tantum suæ saluti procurandæ vacat.

II. Considera, si quis noctu diuque cum immani fera commoretur, eum, in luculento vitæ discrimine futurum, ne aut morsu, aut veneno conficeretur, nisi os ei occludere possit, ne morderet, aut virus effunderet. Scias ergo feram nullam ferociorem, aut virulentiorē esse carne nostra, cum qua, quoniam continenter versari cogimur, non dubium est, quin anima nostra in magno versetur periculo. At ab hoc periculo eam vindicat castitas. Nam concupiscentiam eius, quæ est

quæ est os belluæ, vinculo voti obstringens, facit vt mordere vel venena fundere non possit. Secundo, perpende castitatem beneficio religionis & alijs præfidijs munitam, vt fortius crucifigere per eam possit religiosus carnem cum concupiscentijs, ac etiam omnia mundi & dæmonum tela ignea ad eandem inflanmandam conici solita auertere. Per votum enim paupertatis omnes rescissæ sunt illecebræ & voluptates, per obedientiam omnis conuersatio cum mundo, mundanisq; hominibus. Facile autem est tueri castitatem inter castos.

III. Considera, castitatem religioso non solum perutilem, sed etiam præ cæteris virtutibus maximè esse necessariam. Nullo enim vitio bona religiosorum fama procliuus obscuratur, quam si contra castitatem vel minimū delinquat. Sit religiosus aliquis paulo tenacior, curiosior, & iracundior, si animo plus æquo elatior: sit durior & asperior, nondum sanctitatis & pietatis iacturam apud homines facit: sed si sinistri quippiam audiatur de castitate, mox famam obscurat, quia non potest esse sanctitas, vbi est incontinentia; non potest esse Dei spiritus, vbi dominatur caro. Cuius ratio est, quod alia vitia facile excusantur: vel quod proueniant à complexione naturali, vt iracundia; vel quod bono fine acciderint, vt parcitas, vel asperitas. Deinde ratione castitatis religiosi habentur purissimi, & speculum virtutum omnium; in puro au-

tem speculo facile apparet macula.

*De præstantiâ religioſa obedientiâ.*

CONSIDERA præſtantiâ eius poſſe cognoſci ex iudicio & exemplo Chriſti Domini. Quicquid enim in hac vita egit, quicquid dixit, & ſi ex omnium aliarum virtutum fontibus flueret, huic tamen fere adſcribitur. Ipſe teſtatur, Io. 6. ſe de cœlo deſcendiſſe, non ut ſuam, ſed patris faceret voluntatem. Apoſtolus quoque, Phil. 2. vitam eius totam, mortem, & mortis genus ad vnam obedientiam refert. *Factus, inquit, obediens & ſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et S. Bernardus ſcribit, ſerm. 46. in cant. eum mori maluiſſe, quam non obedire. Ratio huius eſt, quia per obedientiam voluntas noſtra ſenſuſque omnis cum Deo arctiſſimè coniungitur, in qua coniunctione omnis hominum perfectio & Angelorum conſiſtit. Imò nullæ virtutes, adeoque ipſum martyrium alicuius ſunt prætij vel meriti, niſi ad Dei voluntatem exequendam referantur.

II. CONSIDERA in hanc virtutem omnes fere virtutes concurrere, quaſi ad pulcherrimum opus ex pluribus gemmis concinnandum. Nemo enim ſe alteri homini in omnibus ſubiicit niſi magno Dei amore ardeat, multa item fide in eum & fiducia ſubnixus: deinde profunda humilitate, patientia fortitudine, & conſtantiâ præſtans. Deinde nihil æquè eius dignitatem oſtendit, ac materia ei ſubiecta, que

triplex



triplex est. Prima est executio omnium operum externorum, quæ à superiore imperantur. 2. est, mactatio propriæ voluntatis, ut vocat B. Gregorius, obediens enim non suam, sed superioris quærit facere voluntatem. 3. est abnegatio proprii iudicij, obediens enim id rectum & honestum iudicat, quicquid superior præscripserit, modo non repugnet legi diuinæ. Quid autem præstantius homo habet voluntate & ratione?

III. Considera spiritum sanctum in diuinis literis obedientiam anteferre victimis & holocaustis, (1. Reg. 15.) *Melior est obedientia, inquit, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Nec mirum, quia per victimas, aliena caro mactatur, inquit B. Gregorius, per obedientiam vero propria voluntas, & libertas, qua nihil pluri in mundo æstimatur. Deinde si magnificis paupertatem & castitatem, pluri certè teneris facere obedientiam, paupertatis enim voto tantum obtulisti Deo bona externa, Castitatis tantum bona, & commoda corporis, at obedientiæ voto interna animi bona, quæ longe præstant corporis fortunæque bonis. Denique nullæ maiores victoriæ obtinentur in bello spirituali, quam per obedientiam: *Homo obediens*, ait Salomon Prou. 21. *loquetur & Floris.* Cuius causa est, quia dum sponte se subijcit alieno imperio, vincit se ipsum. *Qui dominatur animo suo*, ait idem Prou. 16. *fortior est expugnatore urbium.* Quæ Victoria tan-

to illustrior est, quanto difficiliore certamine, nempe contra naturam obtinetur.

*De Utilitate religiosa obedientia.*

**C**onsidera, ex præstantia obedientiæ derivari magnitudinem meriti, & copiam fructuum. Nam obedientiæ beneficio non solum omnia bona religiosi opera meliora fiunt, sed etiam quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria, ut ex obedientia comedere, ambulare animi gratia, cubitum ire. Itaque rectè comparatur obedientia virgule diuinæ, quæ omnia suo contactu in aurum conuertit. Copia fructuum autem inde liquet, quod teste Gregorio 35. Moral. c. 10. *Sola Virtus sit obedientia, qua Virtutes ceteras menti inserit, insertasq; custodit.* Cùm enim Deus non patiat̃ur se vinci à nobis officijs, consequens est, ut qui se suaq; omnia Deo donavit per obedientiam eidem, ipse vicissim se suaq; dona spiritualia donet. Custodit autem alias virtutes contra insidias dæmonum, quia nihil sibi confidit, nihil sibi tribuit, sed se suaq; Dei manibus quasi deposita committit, ex quibus nemo quicquam rapere potest. Ioannis. 10.

**II** Considera, quod obedientia religiosum eximat ab innumeris molestijs & curis, quas quotidie experiuntur, qui in seculo suo arbitrato viuunt. Obediens enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorum coniicit, & quasi infans aliorum vlnis se gestari sinit, ac denique quasi dormiendo iter ad cœleste

cœleste regnum facit. Superioris enim muneris incumbit ei omnia necessaria tam intemporalibus, quam in spiritualibus suo tempore loco, & ordine providere. Ille patris, matris, magistri, ducis & procuratoris vices sument: unde rectè Climachus gradu 4. *Obedientia, inquit, est perfecta abnegatio propria anima & corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere alijs imposito, & super aliorum vitas, ne mergaris natare.*

III Considera, quam grata sit Deo obedientia, & contra, quam inobedientia ingrata. Primum patet exemplo Abrahamæ cuius obedientia simplex fecit, ut non solum ipse, eiusque familia tota, sed omnes mundi gentes benedictæ sint in eius semine, ex quo natus est qui sua obedientia portas cœli ob inobedientiam conclusas patefecit, sic ut verè diceat, omnia dona cœlestia, gratiasque & virtutes esse obedientiæ fructus. Alterum liquet ex inobedientis Adami primi parentis exitu. Ille enim non solum ipse è paradiso terrestri exulare coactus est, verum etiam cum tota generis humani posteritate maledictioni factus est obnoxius. Omnes enim huius mundi curæ, anxietates, labores, ærumnæ, morbi, fames, sitis, egestas, bella, dolores, partus, mors, omnis generis peccata sunt huius inobedientiæ effectus & pœnæ. Quæ expiari delerique non potuerunt, nisi secundum Adam Christus I E S U S factus obediens usque

ad mortem ignominiosissimæ crucis , illas sustulisset.

## SENTENTIÆ SEXAGINTA

*Spirituales.*

1. **C**oronam in Religione , labor præcedit , & pugna.
2. Tutus in Religione viuit , non qui sibi , sed qui **D E O** viuit
3. Semper deficit religiosus , qui in sua vocatione non semper proficit.
4. Religiosus , qui aliena curat , sibi suisq; deest.
5. **D E O** seruire non potest Religiosus , qui sibi non dominatur.
6. Non quam diu in Religione fueris , sed quam bene in ea vixeris , refert.
7. Furtum facit , qui sine fructu in Religione viuit.
8. Quomodo morietur in Domino Religiosus , qui in vita pro Domino non laborauit. ?
9. Malè vtitur cella , qui in ea , vel non agit cum Christo , vel non laborat pro Christo.
10. Nescit se amare Religiosus , qui nimium sibi indulget.
11. Vult **D E V S** Seruum suum cordatum , non delicatum.
12. Non **D E O** , sed sibi seruit , qui in Dei seruitio , sua procurat commoda.
13. Væ , væ illi , qui inter bonos malus est.
14. Non



14. Non est humilis Religiosus, qui dedignatur, vel non optat iperni.
15. Non est Pauper, qui paupertatis non sentit incommoda.
16. Non est castus, qui castitatis hostes non illicò fugat.
17. Non est obediens, qui obediendo proprium sequitur iudicium.
18. Religiosum ornat quidem scientia, sed virtus coronat.
19. Væ tibi, qui alios verbo instruis, & exemplo destruis.
20. Venenum religiosi, propria voluntas.
21. Cum per urbem incedis, memento te Religiosum esse, non Pictorem.
22. Væ Religioso, cui cordi magis est fanitas, quam sanctitas.
23. Seruus DEI. non viuit, vt comedat; sed comedit vt viuat & seruiat.
24. Seruus Christi pro Dei amore, non curat propria incommoda.
25. Religiosus negligens, lætitia Dæmonis.
26. Religiosus curiosus, obliuio sui.
27. Quò magis laboras pro Christo, eò plus debes Christo, quia fructus tuus est.
28. Absit pro religioso vocem habere Iacob & manus Esau.
29. Lingua Religiosi cordis mentisq; tuba.
30. Religiosorum exempla, mors, & vita secularium.
31. Quomodo eris lux mundi, si neque tibi luces.

32. Nescit lucrari Christum, qui nescit pati pro Christo.
33. Bonus Religiosus, non minus charus est Deo infirmus, quam sanus.
34. Non erit clamor in valetudinario, si patientia fuerit in infirmo, & charitas in infirmario.
35. Non Religiosè viuit, qui venialia non curat.
36. Si venialia in seculari displicent Deo, num quid placebunt in Religioso?
37. Religiosum otiosum Dæmon venatur, & capit.
38. Religiosus litigiosus, Officialis Dæmonis.
39. Non est familiaris DEO, qui non est amicus Orationis.
40. Extra seculum nondum est Religiosus, quem affinium nimia sollicitudo tenet.
41. Veluti pila ludit Dæmon, Religioso vano.
42. Alijs prodesse, & sibi nocere, stultitia est, non charitas.
43. Bonus Religiosus spernit mundum, & gaudet se sperni à mundo.
44. Seruus Christi studet esse Sanctus, & non cupit videri Sanctus.
45. Nihil Christo dedisti, si ei cor tuum totum non dedisti.
46. Religiosus feruens, flagellum Dæmonū.
47. Religiosus iracundus, fulmen inferni cuncta perturbans.

48. Religiosus manuetus, decentia status, & ornamentum Religionis.
  49. Quid tibi proderit reliquisse seculum, nisi pœnitentiam in Religione egeris.
  50. Seruus Christi patienter tolerat parce loquitur, & multum laborat pro Christo.
  51. Religiosus indifferens, Religionis gemma pretiosa.
  52. Te reliquisse mundum bonum est, sed agere, vt mundus iam relinquat te, melius est.
  53. Ille est verè Religiosus, qui verè dicit: **DEVS MEVS ET OMNIA.**
  54. Religiosus proprietarius plus amittit, quam furatur.
  55. Inquietè viues, si vna in te regnet passio, etiamsi reliquæ mortificatæ sint.
  56. Non superiorem sed se fallit subditus, qui pro nolle, dicit se non posse.
  57. Qui suum superiorem non habet loco DEI, nec DEVS habebit eum loco filij.
  58. Si in Religione inter bonos, non es bonus, quomodo in seculo inter malos, bonus eris?
  59. Qui in Religione pacem vult habere cum fratribus, nemini contradicat.
  60. Ingratus Religiosus est ille, qui putat se plus contulisse Religioni, quam accepisse ab ea.
- AD MAIOREM DEI GLORIAM.**



LIBER NONVS  
 ECCLESIASTICARVM CÆRE-  
 moniarum explicationem  
 continens.

CAPVT I.

*De Cæremonijs Ecclesia Catholica in genere.*

**E**cclēſia Chriſti non ſolūm voce vtitur ad Deum laudandum, ſed etiam externis cæremonijs, quarum multæ ab Apoſtoliſ ac ceptæ ſunt, vt docet B. Baſilius; aliquæ à poſteris vtiliter adiectæ. Cū enim cæremonia ſit externa actio, effectum nullum externum producens; adhibetur tamen ad effectus ſpirituales, eoſque multiplices.

Nam *Primo* cæremonijs proteſtamur fidē noſtram vt ſit dum in ſupplicatione crucem & Eucharistię ſacramentum tanquam Chriſtiani ſequimur: dum Sacramenta in Romana Eccleſia ſuſcipimus: dum Miſſæ ſacrificium audimus: dum imagines Sanctorum honoramus, dum Roſarium geſtamus, &c. His enim externis ſignis declaramus, nos Chriſtianos, Catholicos, ſeruos Chriſti, cultores Beatiffimæ Virginis, aliorumque Sanctorum, &c.

2. Cæremonijs docemur ea, quæ Spiritus Sanctus in anima operatur. Cum enim corpus abluitur aqua Baptiſmi, diſcimus animam  
 ab om-



ab omni forde peccati purgari: quando corpus speciebus panis in Eucharistia reficitur, intelligimus etiam animam ipsam cœlesti pane nutrir: quando frons ab Episcopo Chrismate sacro inungitur, declaratur nobis animam interius spirituali unguento confirmari: atque ita de reliquis Sacramentis.

3. Admonemur eorum quæ nos pro officij nostri ratione agere debemus. Veluti Sacerdos tonsuram gestans, monetur primo, animum ad superiora sic intentum habere, sicut vertex capitis nudatus est & rasus: secundo, superflua hæc terræ omnia contemnere: atque ex animo abijcere, sicut capilli, (qui superfluitatem significant) resecti sunt & rasi: tertio, dominari sibi, passionibusque suis, adeoque vniuerso mundo, cui tanquam Rex spiritualis præpositus est, accepto in capite diademate ut loco Christi peccata dimittat vel retineat, populum doceat & instruat, immo Reges ipsos & principes officij sui moneat & reprehendat: Hier. 1. Idem sacerdos foris utens pulla veste, in templis autem candida, monetur foris cum populis agens, ridere & rideri (ut ait D. Hieronymus ad Demetriadem) secularibus relinquere, sed aliorum peccata lugere, in templis autem non modo puritatem & candorem animi adferre, verum etiam gaudium atque læticiam spirituale, internamque Spiritus consolationem sacris rebus adhibere, atque ex iis percipere. Præterea, is qui orat, dum pectus tundit, dum ma-

nus coniūgit & eleuat, dum humi procumbit, monetur quo animo in oratione esse debeat, nempe contrito, collecto, eleuato ad Deum, & humili atque demisso. &c.

4. Magnam habent mouendi vim cæremoniæ Ecclesiæ. Quis enim Christianus non excitetur ad deuotionem quando festis solenioribus audit sonorum pulsum campanarū, cantumque suauem Ecclesiæ? videt totum templum illustratum luminibus, vestitum tapetibus, ornatum picturis, aliaque pretiosa supellectili: aspicit denique cæremonias Missæ, deuotionem celebrantium, grauitatem & habitum ministrorum: Merito existimare potest homo, eo tempore cælum aperiri (ait D. Chrystostomus Hom. 61. ad popul. Antioch.) & se cum cœlestibus conuersari. Sicut enim milites sonitu tubarum excitantur ad bellum, & sicut is qui Regem conspicit à nobilibus præstantibusque viris regio more colli & honore affici, permouetur ad eiusdem admirationem & venerationem: ita homo fidelis mirum in modum commouetur sacris cæremoniis, & accenditur amore cœlestium rerum.

5. Cæremoniæ, quando debite, atque vt par est, adhibentur, solent in animis efficere gratiam spiritualem, & auxilium cæleste, non tamen vno omnes modo. Primum enim quædam ex institutione Dei producant gratiam, vt septem Ecclesiæ Sacramenta. Secundò, quædam ob preces Ecclesiæ, quæ à Christo

ipson-

sponso semper exaudiuntur. Sic aquæ benedictæ aspersio vim habet vti postea dicemus; & cæremoniæ, quæ in Sacramentorum administratione adhiberi solent, quas Theologi Sacramentales, aut sacramentalia nominant. Tertio, quædam ob deuotionem eorum, qui cæremonijs vtuntur, profunt, veluti, manus in cœlum attollere, pectus cum dolore peccatorum tundere, tres cereos in honorem Sanctissimæ Trinitatis accendere, &c. Tales enim externæ actiones, quando ad Dei gloriam referuntur, non possunt ingrata esse diuinis oculis, sed frequenter efficiunt vt homo voti sui compos reddatur. Quarto, quædam autoritate Ecclesiæ à Deo concessa, spirituales quosdam effectus operantur: vt, exorcismi, & exsufflationes Catechumenorum. Energumenorum, In his enim Sacerdos, pro potestate sibi collata, aduersus dæmones agit.

## C A P V T II.

### *De formando signo sanctæ Crucis.*

**F**ormatio sanctæ crucis antiquissima est cæremonia, ab Apostolis tradita, & in veteri etiam Testamento præsignificata & figurata. Exod 17. eleuatione manuum Moybis contra Amalec, vt ait lib. de exhort. mart. c. 8. & lib. 2. ad Quiren. cap: 21. D. Cyprianus; serpente, Num. 21. Ioan. 3. æneo, vt testis est ipsemet Christus; & signo, Eze. 9. Tau  
 in fron-

in frontibus dolentium atque gementium, sicut ante D. Hieronymum testantur. lib. 2. ad Quir. cap. 21. Cyprianus & homil. 8. in diuer. Origenes. Propterea indignè plerique hodie rem tam antiquam & ab vniuersa Ecclesia usurpatam, tanquam inimici crucis Christi, (Phil. 3. reprehendunt & reiiciunt, apertè se ministros declarantes eius, qui (vt ait B. I. gnatius Epist. 6. ad Philippens.) hoc semper per omnes hæreticos molitur, vt crucis Dominicæ memoria aboleatur.

Rectius illi agunt, qui in alio nullo gloria-ri queant, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, Galat. 6. conantes comprehendere cum omnibus sanctis, Ephes. 5. quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum eius. Hanc enim Diui Pauli sententiam veteres plerique. vt Cyprianus Ser. de Passione Domini. Gregorius Nissenus, Catech. c. 32. & Augustinus. Epist. 112. c. 13. & Epist. 120. cap. 16. de mysterijs sanctissimæ crucis intelligunt. Quia in hoc signo crucis B. Apostoli nobis breuiter, comprehenderunt præcipua religionis nostræ capita, ad quæ credenda, & apertè cognoscenda, Christiani omnes obligantur: vt sunt, sanctissima Trinitas, incarnatio, & passio Christi, remissio peccatorum, denique gloria cœlestis. Quæ omnia tamen si disertè in Symbolo suo explicuissent, voluerunt tamen eadem sub compendio in hoc signo crucis comprehendere: partim propter rudiores, qui tardius memoriæ Symboli

verba



verba mandant: partim vt Christiani tæpius sibi eadem illa omnia ob oculos ponerent, & quasi continuo mente versarent: partim vt in actionibus omnibus suis, eorundem virtute se consolarentur, negotia aggredierentur, demonem profligarent.

Nam quod ad sanctissimam Trinitatem attinet, verba ipsa nobis illam expresse declarant, dum dicimus: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine, non in nominibus: quia vnum est trium Personarum nomen, hoc est, virtus, honor, maiestas, proprietates Personarum in signo ipso indicantur, dum Pater in fronte tanquam Trinitatis principium collocatur, & qui in has terras à nemine vnquam sit missus: Filius in ventre, vt qui ex sinu Patris in ventrem virginis descenderit, adeoque in ventre ipso terre, corpore sepultus anima apud inferos, patres liberaturus. Spiritus sanctus, tertia in diuinis persona, tertio loco nominatur, sed inter Patrem & Filium medius ponitur, tanquam vtriusq; amor & nexus.

Incarnationis mysterium in eo significatur, quòd Filius per medium Spiritus sancti locum ad ventrem collocatur, nempe qui ex coelis per Spiritum sanctum delapsus, hoc est, sola sua charitate, non nostris vllis meritis prouocatus, in utero Virginis Matris, ex purissimis eius sanguinibus corpus sibi optauit.

Passio autem Dominica, cruce non obscure intelligi potest; quæ crux vel tota manu,  
hoc est,

hoc est, quinque digitis, ad quinque vulnera significanda, formari solet: vel tribus, hoc est, pollice, indice, & medio. Quia in hac passione, Christi quidem humanitas sola sustinuit, sed tota Trinitas operata est: Pater qui filio suo non pepercit, (Rom: 8.) sed pro nobis omnibus tradidit illum: Filius, qui dedit semetipsum pro nobis: (Tit: 2.) ut nos redimeret ab omni iniquitate: Spiritus Sanctus, *quia in hoc apparuit charitas Dei: quoniam filium suum unigenitum misit Deus.* (1. Ioan: 4.) Denique duobus digitis, indice & medio, ob duas naturas, diuinam & humanam, in vnica Christi persona, quæ Christi persona sic dolores sustinuit & mortem, ut licet sola humana natura dolores perceperit, & mortem gustauerit, dicatur tamen etiam, Deus passus & mortuus: propter miram vtriusque naturæ in eadem persona coniunctionem. Monophysitæ hæretici (ut refert Nicephorus lib: 8. ca. 53.) quod crederent vnicam in Christo naturam, vno etiam digito docebant formandum crucis signum.

Cæterum. Remissio peccatorum & gloria cælestis indicatur, quando non à dextro humero in sinistrum, sed contra à sinistro in dexterum manus transfertur. Qui enim eramus cum hoedibus ad latus sinistrum, (Matt. 25) peccatorum sordibus foerentes, Dominica cruce & passione transpositi sumus ad dexterum latus cum ouibus, reconciliati æterno Patri, accepta remissione peccatorum, & pi-

gnore leu arrha regis cælestis.

*De Stilitate formationis crucis.*

**H**Oc signum crucis; præter significationem iam dictam, & mysterium fidei, magnas præterea habet utilitates.

Est enim 1. Christianorum sancta oratio, qua Deum sese signantes precantur, vt in actiombus omnibus auxilium eis suum præstare velit, non secus atque si dicerent: Domine, rogamus te, per maiestatem sanctissimæ Trinitatis, per Christi incarnationem, passionem & mortem, per omnia beneficia, quæ meritò passionis Domini accepimus, vt in his, quæ aggressuri sumus, fauorem tuum nobis, exhibeas. Quæ sanè oratio tantò est efficacior, quãtò maiora sunt illa, per quæ fit obsecratio.

2. Est oblatio, qua nos, nostraq; omnia, hoc signo crucis Deo offerimus, iuxta admonitionem B. Pauli: (Coloss: 3.) *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* & alibi, (1. Cor: 10) *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Itaque formando signum crucis, dicere: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, idem valet, atque: Hæc omnia, quæ modò facturus sum, cedant ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, in gratiarum actionem pro Christi incarnatione, passionem, & morte, omnibusq; beneficijs per eum collatis & conferendis. Hinc est, quod

Chri-

Christiani ciuitates suas, publicas vias, & terminos, maximè verò domicilia & loca Deo consecrata, hoc signo crucis munire consueuerint: ad declarandum & profitèdum, in his locis quæcunque agantur, non nisi ad Dei Domini nostri honorem agi debere, vtpote cuius cultui, obsequio, & nomini sunt deputata. Hoc olim prædixit Esaias 33.) *In die illa erit altare Domini in medio terra Egypti, & titulus Dñs iuxta terminū eius: & eris in signū, & in testimoniū Domino exercituum in terra Egypti,* hoc est, Temporibus Messia, erigentur Altaria in Ecclesijs Ægyptiorum, aliorumq; Gentilium, qui nunc more Ægyptiorum persequuntur populum Dei: & cruces constituentur in vijs & finibus eorum, ad palam omnibus significandum, Deum verum & Christum eius, in locis illis coli.

3. Est coniuratio quædam dæmonis, ad eum depellendum, eiusque vires frangendas: quasi dicatur: Per virtutem Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, passionis, mortis, omniumq; meritorum Christi, adiuro te Sathan, ne mihi in vlllo noceas. Sic docet B. Chrysostomus: (hom: 88. in Matt.) Signum crucis imprimendum pectori, ad cohibendos prauos cordis & concupiscentiarum motus, Ita veteres sancti, Antonius, Hilarion, Iosaphat, cæterique omnes, hoc signo crucis aduersus dæmones vti solebant, quemadmodū in eorum historijs scriptum reliquerunt, Athanasius, Hieronymus, Damascenus, Theodo-

retus,



retus, Gregorius Turonensis, & quotquot de vita sanctorum aliquid ediderunt D. Augustinus (lib: 22. de Ciuit: Dei cap: 8.) fatetur, hoc signo frequenter morbos curatos. Eusebius Cæsariensis (lib: 1. de vita Constantini, cap: 22.) autor est, Constantinum hoc crucis signo, quod ei in aère subinde cum hac inscriptione apparuit, **IN HOC VINCES**, hostes omnes profligasse.

Atque hæc res olim tam aperta per vniuersum orbem fuit, vt etiam ipsimet Ethnici, inimici crucis Christi, multum præsidij tum aduersus dæmones, tum ad alias necessitates in signo crucis ponerent. Sicut de Apostata Iuliano Augusto refert D. Gregor. Nazianzenus, ( Oratione in Iulianum ) qui ab impijs idolorum sacerdotibus, ad dæmones contulendos, in specum malignis spiritibus referatam adductus, horrore percussus, pro Christiana consuetudine, quam in Ecclesia didicerat, signo crucis se muniens, dæmones omnes fugauit. Narrat Zonaras (lib. 3. Annalium, in Mauritio) circa annum Domini 596. Turcas, dum graui fame premerentur, à quodam Christiano edoctos, signum crucis sibi impressisse, eorumque neminem fame perijisse.

4. Hac crucis formatione excitatur spes nostra & fiducia in Deum, de obtinenda remissione peccatorum, alijsque bonis. Hinc est, quod in templis & altaribus cruces erigantur, vt sciamus per crucifixum omnia petenda &

dam impetranda. Hinc etiam in Sacramentis omnibus cruces adhibentur, nec sine cruce (ait D. Augustinus, Ser: 19. de Sanctis) quicquam sanctificatur: vt intelligamus, omnia nobis per crucem donata & impetrata, quęcunque à Deo donantur. Hinc rursus in turribus Ecclesiarum, crux gestans gallum gallinaceum collocatur, vt peccatores, dum eminus crucem vident & gallum, memores peccati & pœnitentię Petri, & venię per crucem obtentę, excitentur ad similem pœnitentiam, & in spem erigantur impetrandę gratię. Denique morituris exhibetur crux Domini, vt de suis meritis diffisi, eo potissimum tempore, quo grauius à Dæmone ad desperationem tentätur, spem omnem suam reponant in crucifixo, hoc sæpius repetentes; Christo confixus sum cruci, (Gal: 2.) qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, eiusque passione, sanguine, & morte orantes iuari, & peccatorum omnium remissionem accipere.

5. Excitatur in nobis charitas, dum per hoc signum renouatur in animis nostris memoria passionis Christi, hoc est, tam eximium & immensum beneficium, vt comprehendere à creatura nulla possit. Ita B. Paulus totus in amorem crucifixi raptus non existimabat se aliquid scire, 1. Cor: 2. nisi Iesum Christum & hunc crucifixum: *Mibi autem absit* (inquit Gal: 6.) *gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est.*

Et ego mundo; nempe, quia amoris crucifixi recordatione, vilecebat ei quicquid mundus amat & quærit.

6. Excitatur ad imitationem crucifixi, iuxta Apostoli admonitionem, ( Hebr. 22. ) *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesus, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, & ne fatigemini animis vestris.* Proinde in Sacramento Baptismi frequenter signum crucis imprimitur, ut, qui sunt Christi, carnem suam crucifigant cum vitiis & concupiscentiis: Galat. 5. & in Sacramento Ordinis, ut ait B. Dionysius Areopagita, c. 5. Eccles. Hierar. Presbyteris & Diaconis formatur crucis signum: quò sciant se sacris ordinibus initiari, ut exemplo Domini sui bona multa faciant, & mala multa patiantur. Denique eadem de causa in publicis supplicationibus ( sicut superius dictum est ) crux Christi præfertur, ut recordentur Christiani, se sub crucis vexillo Imperatori crucifixo militare, vitæque & moribus debere hanc crucem profiteri & exprimere. Et Sacerdotes ex officio prædicatores crucis, in pileo crucem gerunt; ut nulla re, nisi cruce, tegantur & muniantur. His enim crux esse debet pro galea in certamine; pro umbraculo in æstu tentationum; pro signo militari in hac militia vitæ humanæ; pro vexillo quod ipsi tanquam duces præferant cæteris Christianis.

Cæterum quàm fuerit usitata veteribus formatio crucis, quantaque deuotione Christi-

ani etiamnum eam vſurpare deberēt, docent omnium Veterum ſcripta, ex quibus pauca ſubijciemus. Tertullianus libro de corona militis: *Ad omnem progreſſum atq; promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad Veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.*

Ephrem Ediffenus libro de pœnitentia c. 3. Nos, fratres, poſtes noſtros præcioſa cruce & viuifica coronemus, dicentes cum Apoſtolo (Galat. 3.) *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Pingamus in ianuis, atq; in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore atq; in membris omnibus viuificum ſignū; armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura. Ea enim victrix eſt mortis, fidelium ſpes, lux orbis terræ, paradifi reſeratrix, proſtigatrix hæreſeon, dæmonum expultrix, Monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna ſalutarisque cuſtodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Chriſtiane armaturam diebus ſingulis & noctibus, horis atque momentis, in omni loco circumferre non deſinas, nihilq; ſine ipſa perſicias, ſed ſiue dormias, ſiue iter agas, ſiue euigiles, ſiue operi inſiſtas, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue maria nauiges, ſiue tranſmittas flumina, hac te lorica circumtege, membraq; tua omnia ſalutari ſigno exorna atq; circumcinge, ne qua accedant ad te mala. Hoc enim ſigno conſpecto, aduerſariæ poteſtates

conter-



conterritæ trementelq; recedunt. D. Hieronymus ad Eustochium : *Ad omnem actum , ad omnem incessum , manus pingat crucem ,*  
 D. Augustinus in Psalm. 73. Iam in frontibus Regum preciosius est signum crucis, quàm gemma diadematis. Idem in Psalm. 39. *veritatem Quoniam brachia peccatorum conterentur ; ait : A locis suppliciorum, fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis. Quid seruat fidelibus suis ? Prudentius in Hymno ante somnum :*

*Fac, cum vocante somno,  
 Castum petis cubile.  
 Frontem, locumq; cordis,  
 Crucis figura signet.  
 Crux pellit omne crimen,  
 Fugiunt crucem tenebrae ;  
 Tali dicata signo,  
 Mens fluctuare nescit.*

## CAPVT III.

DE CÆREMONIIS PROCESSI-  
 onum, Precum horariarum &  
 Sacrificij Missæ.

De Processionibus, Vide, quæ in superioribus dicta, Lib. 1. Cap: 6. fol. 50.

De statibus temporibus precum horariarum, quæ ibidem.

De Cæremoniis Missæ quæ lib. 3. c. 2. f. 129  
 Solum illud hic restat, vt ipsum etiam modum rite ministrandi & respondendi Sacerdoti eti-

doti celebranti Missam videamus.

MODVS MINISTRANDI ET  
respondendi Sacerdoti Missam ce-  
lebranti, secundum vsum  
Romanum.

*In primis Minister sedens super genua à laua  
Sacerdotis manu, respondebit Sacerdoti  
dicenti, et sequitur.*

SACER. Introibo ad altare Dei.

MINIS. Ad Deum qui lætificat iuuentutem  
meam.

S. Iudica me Deus, & discerne causam me-  
am de gente non sancta: ab homine iniquo  
& doloſo erue me

M. Quia tu es Deus fortitudo mea quare me  
repuisti, & quare tristis incedo dum affli-  
git me inimicus ?

S. Emitte lucem tuam & veritatem tuam i-  
pſa me deduxerunt & adduxerunt in mon-  
tem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui  
lætificat iuuentutem meam.

S. Confitebor tibi in Cithara Deus, Deus me-  
us, quare tristis es anima mea, & quare  
conturbas me.

M. Spera in Deo quoniam adhuc confite-  
bor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

S. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto

M. Sicut erat in principio & nunc & semper  
& in secula seculorum, Amen.

Sacerdos

*Sacerdos se benedicens* : Adiutorium nostrum  
in nomine Domini.

M. Qui fecit cœlum & terram.

*Sacerdos se profundè incuruans* : Confiteor Deo  
omnipotenti &c. Vide supra lib. 2 c. 1.

M. Misereatur tui omnipotens Deus & di-  
missis omnibus peccatis tuis, perducatur te  
ad vitam æternam.

*Sacerdos erigens se respondet* : Amen.

*Minister se profundè incuruans*, dicit.

Confiteor Deo omnipotenti, &c.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, &  
dimissis omnibus peccatis vestris, perducatur  
vos ad vitam æternam. M. Amen.

S. Indulgentiam absolutionem & remissio-  
nem omnium peccatorum nostrorum tri-  
buat nobis omnipotens & misericors Do-  
minus. M. Amen.

*Sacerdos paulisper incuruatus* : Deus tu con-  
uersus viuificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostēde nobis Domine misericordiā tuā.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.

S. Kyrie eleison. M. Christe eleison.

S. Christe eleison. M. Christe eleison.

S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.

S. Kyrie eleison.

*Sacerdos ante collectas.* Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

*Sacerdos in fine collect:* Per omnia secula seculorum. M. Amen.

*Lectione Epistola, Graduali & Alleluia, Minister accipiet Missale, & dum Sacerdos benedictionem dicit in medio altaris, portat & applicat ad dextrum cornu altaris lecturo Euangelium.*

*Deinde Sacerdos:* Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

*Sacerdos signat librum cruce se, dicens:*

Sequentia Sancti Euangelij. &c.

M. *Item signat se dicens:* Gloria tibi Domine,

M. *Lectione Euangelio dicit,* Laus tibi Christe.

*Sacerdos pronuntiato Credo (si fuerit pronuntiandum) Dominus vobiscum.*

M. Et cum spiritu tuo.

*Minister post offertorium porrigit Sacerdoti preparaturo Calicem Vinum & aquam, statimq; lauauat illi digitorum extremitates.*

S. Orate fratres pro me, &c.

*Minister retro super genua sedens dicit.* Suscipiat Dominus hoc sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui, ad vtilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesie sue Sancte.

S. Per omnia secula seculorum. M. Amen.

S. Dominus Vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

M. Di-



M. Dignum & iustum est.

*Minister dum ostendit Sacerdos corpus & sanguinem Christi, alleuabit posteriorem cappa partem paululum, super genua sedens.*

*Sacerdos post benedictionem Calicis cum corpore Christi. Per omnia secula seculorum.*

M. Amen.

*Sacerdos in fine Dominica orationis: Et ne nos inducas in tentationem.*

M. Sed libera nos à malo.

S. *FRACTA HOSTIA: Pax Domini sit semper vobiscum. M. Et cum spiritu tuo.*

S. *ACCEPTO OSCULO PACIS: Pax tecum,*

M. *Et cum spiritu tuo.*

*Sacerdos sumpto Calice, porrigit & super altare Ministro, & potius offert manu & vini partem infundat.*

*Sacerdos illa purificatione sumpta, iterum abluit pollices, & indices super Calicem, Ministro reliquam vini partem de super infundente.*

*Minister data & ultima ablutione reportabit librum ad locum Epistola.*

*Sacerdos lecta post communionem: Dominus vobiscum. M. Et cum spiritu tuo.*

*Sacerdos in fine collecta. Per omnia secula seculorum. M. Amen.*

S. *Ite Missa est. & Benedicamus Domino.*

M. *Deo gratias. & Sacerdos in Missa pro defunctis dicit: Requiescant in pace.*

M. *Amen. reportabit librum ad locum Evangelij, quo facto, flectet genua, & recipiat ultimam Missa benedictionem.*

*Minister, finito Euangelio S. Ioannis, vel alio tempore conuenienti, semper dicet clara Voce: Deo gratias.*

C A P V T I V.

DE AQUA LVSTRALI SEV  
benedicta.

**B**Eatus Alexander Pontifex martyr, qui sextus post B. Petrum Romanam rexit Ecclesiam, aquæ benedictæ vsum non tam ipse inuenit, quam ab Apostolis traditum, obseruari ab omnibus iussit. Sic enim scribit Epistola sua prima, circa annum Domini 33. Aquâ liale conspersam populis benedicimus, vt eacuncti aspersi sanctificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat; (Leuit. 10.) quanto magis aqua, quæ sale aspersa, diuinisque precibus sacrata est, populum sanctificat atque emundat? Et si sale asperso per Helizeum Prophetam, sterilitas aquæ sanata est, (4 Reg. 2.) quanto magis diuinis precibus sacrata aqua sterilitatem rerum aufert humanarum, & coluquinos sanctificat atque purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatum versutiis hominem defendit.

Quod dicit, Aquam sale conspersam populis benedicimus, declarat apertè quid tempore tuo

re suo in Ecclesia Romana ex Apostolica traditione obseruaretur. Apostoli enim preces & benedictiones instituerunt, quibus diabolica potestas, quæ creaturas subinde inficit & corrumpit, ab illis eiciatur, & per illas ab alijs depellatur. Constat namque, diabolum, qui in hoc aëre nostro versatur, creaturis inaninis pascim misceri, vt propter ipsius impuritatem non incommodè B. Paulus dixisse intelligatur: (Rom. 8.) *Expectatio creatura reuelationem filiorum Dei expectat: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit & parturit & usque ad huc, nempe ob tantam impuritatem, qua presentia & ab vsu dæmonum inficitur. Sanctificatur autem ait idem Apostolus (1, Tim. 4.) per verbum Dei & orationem, per quam diabolus, & quicquid diabolicum est, à creatura expellitur: tum ne cuiquam in sùptione aut vsu noceat, tum vt aspersione & contactu sui, curationem malis adferat. Sic enim conueniebat dæmonis superbiam deprimi, vt qui se erigere ad thronum vsque diuinæ maiestatis audebät, tanta arrogantia, vt neminem timeret; nunc per leuem aquæ aspersione, hoc est, per vile elementum, cogeretur cedere, & abiectis creaturis imbecillioem se profiteri.*

Habet autem hoc aqua non ex se, sed ex ecclesie tum precibus, tum auctoritate. Si enim sancti multi, etiam non sacerdotes, pre-

cibus suis impetrarunt creaturis vim pellendi morbos, vt Theodoretus in Philoteo, (C. 8. & 26.) & alij Ecclesiastici scriptores referunt: multo magis impetrant preces Ecclesiæ sp̄sæ Christi, super omnes sanctos dilectæ, quæ semper exauditur pro sua reuerentia, & cui data est potestas dæmones euicendi, & calcandi super serpentes & scorpiones. Luc. 10.

Cæterum in hac aquæ benedictione non incommodè miscetur sal benedictum, ad varias significaciones, quas qui intelligunt, non sine reuerentia & deuotione se suaque aspurgunt.

Nam 1. Sal diuinam sapientiam designat, quæ in Christo humanam naturam in vnam personam assumpsit: aqua Dominicam passionem, de qua saluator aiebat: (Lucæ 11.) *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor, donec perficiatur.*

2- Sal, quo solent carnes cõdiri ne corrumpantur, significat in corruptionem nostram, & interitum vermium: aqua ablutionem & munditiam.

3. Sal discretionem, quia præbet gustum: aqua lachrymas & pœnitentiam. Rogatur igitur Ecclesia, vt per passionem veri Dei, concedat nobis Dominus munditiam cordis & animi: integritatem mentis, sanitatem loci, animalium, aliarumque creaturarum: & interitum seu exclusionem infernalium vermium, omniumque, quæ diabolica ars machinari ad hominis exitium potest. Quæ vt com-

modius



modiùs fideles assequantur, petit iisdem concedi vim lachrymarum veram que & discretã poenitentix actionem, ex sapientia & gustu rerum diuinarum profectam.

Effectus istius aquæ multi sunt & varij, vt ex prædictis B. Alexandri verbis & ex ritu benedictionis constat. Quidam spirituales, qui semper sequuntur, quoties qua par est demissione & deuotione aspergimur, nisi ex causa ad maiorem nostram vtilitatem Deo aliud videatur.

1. Itaque profligantur dæmones ex locis & creaturis.

2. Remittuntur venialia peccata.

3. Phantasmata diabolica prauæ cogitationes, & mentis distractiones in oratione, alijsq; temporibus excluduntur.

4. Mens à terrenis rebus colligitur.

5. Disponitur animus ad orationem & deuotionem.

6. Gratia, fauor, & præsentia sancti Spiritus impetratur.

7. Præparatur mens hominis, vt rectiùs diuina mysteria peragat, Sacramentaque suscipiat: Valet enim hæc aquæ aspersio, aduersus omne quòd Sacramentorum effectum impedire potest. Aquæ ideo in altarium & templorum consecratione adhibetur, vt à locis illis omne excludatur orationis, deuotionis, & Sacramentorum impedimentum. Solet etiam ob eandem causam, iuxta fores Ecclesiæ, in promptu semper esse aqua bene-

dicta, vt ingressuri eius asperſione, diuinaque gratia, dæmonem, inaneſque cogitationes & curas excludant, atque ad orandum deuotius ſe parent & colligant: egreſſuri vero, aduerſus omnes occurrentes peccandi occaſiones ſeſe muniant.

Alij effectus ſunt corporales: qui non raro, pro Dei voluntate & beneplacito, quando ad diuini ſui nominis gloriam expedire iudicat, conſequi ſolent. Et ſi iuſtis decauſis non ſequantur, non ob id tamen eſt inefficax Eccleſiæ oratio, vel aquæ aſperſio: quia quod effectibus corporalibus negatur, hoc ſpiritualibus qui præſtantiores ſunt, compenſatur.

1. Curatur ſterilitas, hominum, iumentorum, humanarumque rerum.
2. Impetratur bonorum multiplicatio & vbertas.
3. Infirmities corporum, ne inuadant, præcauentur; & vbi occupauerint, curantur. Conceditur enim ſanitas mentis & corporis.
4. Noxiuſ aër purgatur, depellitur peſtis & omnis contagio.

Denique ſic orat Eccleſia: Virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua, myſteriis tuis ſeruiens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum; vt quicquid indomibus, vel in locis fidelium hæc vnda reſperſerit, careat immunditia, liberetur à noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrupens: di-

cedant

cedant omnes infidix latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inudet, aut quieti, asperzione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus sit defensa.

Conuenit porro, vt is qui se aqua benedicta aspergit, intentionem suam cum Ecclesiæ precibus coniungat: & cum reuerentia, internaque deuotione hac aqua vtatur, vel dū aspergit, vel dum alia de causa sumit, cibisque vel potibus miscet. Qui enim sine reuerentia vel deuotione id agunt, exiguam consequuntur ex eo vtilitatem.

## C A P V T V.

### De Cereis.

**Q**uia cereorum in Ecclesia vsus antiquus est, & varius. ( Prudentius Hymno in Laurentium. ) ideo peculiare quædam orationes & benedictiones adhibentur, vt fideles non ex sola deuotione, sed ex solemnibus etiam & publicis Ecclesiæ precibus, vtilitatem per eos consequantur.

Primò itaque acceduntur ad Christi Domini nostri honorem. ( Ext. de celeb. Missarū ca. sanè &c. fin. ) præcipuè verò coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, à quo nunquam lumen abesse debet: quia ipse est lux vera, illuminans omnem hominem venien-

tē in hunc mundum. Et sicut cereus constat cera, per castas & virgineas apes producta, lychno, & igne: ita Christus carne, ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis Mariæ accepta, anima, & diuinitate, per quam Deus noster ignis consumens est (Hebreorum 12.)

Secundò coram imaginibus, sanctorumque reliquiis: (Sophr. c. 180.) vt significetur, sanctos quos tali lumine veneramus: 1. sanctitate vitæ & doctrina mundum hunc illuminasse: 2. dæmonem superasse, ac de eodem triumphum egisse (est enim triumphantium, luminaribus introduci) 3. eosdem nunc in cœlo glorioso lumine fulgere, sine vllis tenebris vel errorum, vel peccati.

Tertiò, ad lectionem sacri Euangelij. (D. Hieron cont. Vigilant.) 1. quia illud vniuerso orbi verum lumen diuinæ notitiæ præbuit. 2. vt quisquis Dei Verbū audit, viuā illud fide audiatur, quia incredulis, & oculis per peccatum obtenebratis, verbum crucis est scandalum, quod alioquin est in salutem omnium credenti: (Rom. 1.)

Quartò, in Processionibus præferuntur cum crucibus lumina (vt ait B. Gregorius Turonensis de Glor. Confes. c. 20. & 79.) vt in hac militia Christiana, sub vexillo crucis, lumen fidei adhibeamus, vt ex fide, hoc est, iuxta fidei nostræ dictamen viuamus.

Quintò, in Baptismo, cereus nobis datur, sapiusque in vita vlurpatur: potissimum verò

in festo



in festo Purificationis, quo cerei Ecclesie precibus benedicuntur, palamque à Christianis: in memoriam Christi veri luminis, ad reuelationem gentium (quem Simeon vnus suscepit) gestantur: vt lumen fidei, ardorem charitatis, rectitudinem & sinceram intentionem, quam lychnus cera tectus significat, protestemur; declaremusque nos paratos, vt sponso animæ nostræ Christo cum ardentibus lampadibus occurramus. (Matth. 25.) Ita scribit Nicephorus, Lib. 2. c. 21. & 22. B. virginem Mariam, accensis cereis ex hac vita migrasse, & ad tumulum deportatam esse.

Sextò, deferuntur funera Christianorum cum multis luminaribus ad sepulturam, vt est apud D. Gregorium Nazianzenum (Oratione 2. in Iulianum, & oratione 7. in mortem frat) quibus significamus: 1. eos, tanquam inuictos milites, de aduersariis triumphare: 2. nos illis optare perpetuam lucem, & gloriam sempiternam.

Quæ sit igitur utilitas cereorum in Ecclesia, facile cum ex prædictis est intelligere, tum ex orationibus quibus Ecclesia in eorundem benedictionibus vtitur. Orat enim Deum. 1. Vt cerei valeant ad sanitatem animarum & corporum, terra marique. 2. vt de locis, vbi accensi fuerint, dæmon & quicquid dæmonis ars est machinata, depellatur. 3. Vt mentes & corda nostra inuisibili igne & splendore sancti Spiritus illustrentur. Omniumque peccatorum & vitiorum cæcitate careant, vt

cernere possimus, quæ Deo sunt placita, vtilia salutis. 4. Ut ignis charitatis, cum lumine fidei in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.

Qui igitur in honorem Christi aut Sanctorum cereos accendunt, aut deuotè gestant, facto ipso precantur, sibi hæc omnia à Christo, qui est Deus verus, & splendor lucis æternæ concedi, intercessione gloriositque & clarissimis meritis Sanctorum: Defunctis autem quorum exequiis cereos adhibent, lucem beatam petunt, & splendidissimam gloriam in regno cælorum.

## C A P V T VI.

### DE VSV CINERVM.

**A**ntiquissimus est sacrorum cinerum vsus, non tantum in veteri testamento, sed etiam apud Christianos in nouo. (*Petrus Cluniacens. lib. 2. Mtrac. c. 22.*) qui eos ad significandam & excitandam penitentiam, tum in morte, tum in vita adhibere, & caputibus aspergere solent. Nam si humilis abiectusque habitus, ex dolore assumptus magnam habet vim; & ad producendam in hominis animo humilitatem, & ad prouocandam diuinam misericordiam: multo maiorem vim habebit idem habitus, si ex obedientia Ecclesiæ assumatur, quæ cineribus peculiare etiam preces adiungit, quibus animi demissionem, &

Dei cle-

Dei clementiam petit. Constat enim, quod opus ex obedientia susceptum, plus habeat meriti apud Deum, propter obedientiæ virtutem, quam quod sponte arbitrioq; nostro perficimur. Et præterea est indubitatum, non frustra, neque sine fructu Ecclesiam suas preces fundere.

Aspergio igitur cinerum, iuxta Ecclesiæ institutum, tribus ex causis habet utilitatem: 1. ex opere ipso humilitatis. 2. ex obedientia Ecclesiæ. 3. ex Ecclesiæ precibus. Petit enim multis orationibus in cinerum benedictione Ecclesia, ut istos salutes effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus vsuri.

1. Ut iuuetur homo ad internam humilitatem cordis.
2. Ut benedictio cælestis in asperfos descēdat, qua terribè compungantur, & de peccatis doleant; considerantes per peccatum hominis & ipsam terram maledictam fuisse in opere nostro, & nos omnes in cinerem & terram redituros.
3. Ut hi cineres sint salubre remedium ad assequendam remissionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ.
4. Ut detur corporis sanitas, ad pœnitentiam pro peccatis agendam.
5. Ut anima ipsa diuina tutela protegatur.
6. Ut illa à Domino impetremus, quæ ad ipsius voluntatem petimus.
7. Ut in bono, constanti animo perseueremus:

Neque

Neque dubium cuiquam esse debet, quin pius Catholicus hæc bona accipiat, quando sincero animo, in capite Quadragesimæ, cineribus sacris aspergitur, teriò secum statuens, eam quadragesimam in amaritudine animæ suæ, ad peccatorum satisfactionem, traducere.

Quòd porrò fronti ipsi signum crucis cineribus imprimatur, ad hoc fit, vt ne nos pudeat, ad amorem & imitationem crucifixi Dei nostri, publicè pœnitentiam agere: nos, inquam, qui puluis sumus, & in puluerem reuertemur. Sacerdotibus autem non frons, sed caput aspergitur: partim ad reuerentiam sacrificij; ne in eius celebratione aliquid cinerum in altare decidat: partim, vt ipsi, qui cæteros homines dignitate, ordine, & potestate antecellunt, sciant se breui cineribus & terra tegendos.

## CAPVT VII.

### DE RAMIS PALMARVM.

**E**Cclesia Catholica hanc seruat ab antiquis temporibus consuetudinem vt Dominica die, quæ proximè festiuitatem Paschæ præcedit, palmarum, oliuarum similiumque arborum ramos, solennibus precibus benedicat populoque Christiano gestandos, & domi ad salutares effectus conseruandos tradat. Quæ cæremonia duò quæ circa Christi Domini per  
 sonam



lonam gesta sunt, significantur. Alterum insignis ille ingressus in ciuitatem Hierusalem, hoc ipso festo Palmarum. Alterum, triumphus ille gloriosus, quem per passionem & mortem suam deuictis hostibus, de principe huius mundi, vniuersoq; inferno reportauit, idq; in gratiam nostri quos non nostris meritis, sed benigna sua misericordia liberauit. proinde rami Palmarum, victoriam atque triumphum significant: rami autem oliuarum, misericordiam.

Ceterum ne more veteris legis, careat suo fructu ista significatio, accedunt preces & benedictiones Ecclesie, quibus Deus rogatur, vt gestantes hos ramos.

1. Accipiant protectionem meritis & corporis in salutis remedium, & ad gratiam diuinam obtinendam.

2. Vt sicut rami virentibus sunt folijs: ita frondeant opera nostra virore iustitie, & virtutum multarum pulchritudine.

3. Vt sicut hebræorum populus Christo his ramis occurrit, & cum ipso in ciuitatem Hierusalem intrauit: ita nos bonis operibus instructi Domino obuiam procedamus, eiusq; vestigia sequentes, per ipsum, & cum ipso in cœlestem Hierusalem admittamur.

4. Vt sicut Christus de hoste per passionem suam triumphauit: ita & nos sæpe hoc opus misericordie animo volentes, amore Christi accedamur ad pugnam, & ad victoriam de dæmone, carne, & mundo referendam,

5. Vt, in

5. Ut in quemcunque locum importati fuerint hi rami, habitatores Dei benedictionem consequantur, & omnia aduersitate fugata, dextera Dei protegantur.

Dum igitur ex mente ecclesiæ, deuoto animo hos ramos seruamus, gestamus aut ad vsum piuum adhibemus: precamur facto ipso Christum Dominum, vt per Passionem & mortem suam, qua dæmonem superauit & fregit, & per misericordiam suam immensam, qua hoc sine nostris vllis meritis egit, dæmonem, omnemque aduersitatem à nobis & ab ædibus nostris pellat: ne vel aeris tempestate, vel alio incommodo quocunque nobis noceat, quin potius Dei dextera nos protegat, & non solum corpora à malis tueatur, sed animæ quoque gratiam suam infundat, vt multis virtutibus ornati & bonis operibus florentes, Christi vestigia sequamur, hostes nostros omnes visibiles & invisibiles superemus, & ad gaudia cœlestis Hierusalem, ab Angelis cum triumpho introducatur.

## CAPVT VIII.

### DE AGNO DEI.

**S**ummus pontifex. Christi in terris Vicarius primò sui Pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio, consecrare solet, solenni benedictione orbiculos quosdam cereos, quos à figura impressa, vocant agnos Dei, adhibito

adhibito sacro Chrismate, multique insignibus ceremonijs. Multa autem precatur à Deo concedi illis, qui animo deuoto hos orbiculos consecratos penes se habent, aut ijs vtuntur terra mariue. Cuius oratio tanto maioris esse momentū debet, quanto eius officium est in Ecclesia sublimius, Christoq; conuenientius. Vnde non rarò mirabiles effectus non sine miraculo diuino sequuntur, maximè vbi quis eximia fide & deuotione præditus, summi Sacerdotis benedictionem, & Dei promissionem, quæ oranti Ecclesiæ auxilium addixit intuetur. Quæ autem in consecratione petuntur, sunt ista:

Primò quidem in genere, vt ab omninialo liberemur, omniq; bono fruamur, Deinde vero nominatim mala recensentur, à quibus nos rogat liberari: nimirum ab omni tempestate maris, & terræ, à fulmine, grandine, noxijs ventis, pluuia, terræ motu, tonitru peste, morbo comitali, morte improvisa, igne, insidijs inimicorum, malorumque spirituum, denique ab omnibus alijs periculis. Additur etiam, vt parturientibus mulieribus Deus adesse dignetur, & quauis in tentatione demonis, Christi fidelibus animum viresque addere, quibus in trepidè hostes repellant ac superent. Quia igitur experientia frequentissimè docet, ista sæpè à Deo concedi; non sunt temere reiiciendi sed magna deuotione gestandi orbiculi isti, & alijs commendandi.

## DE AGNO DEI, CARMEN

*Andrea Frusij Societatis IESV.*

QVID sibi vult Agni, quæ circumfertur  
imago.

Cerea, mirificis nobilitata modis?  
Haud temerè: neque enim blaterare, aut cre-  
dere fas est.

Catholicis quicquam fraudis inesse sacris.  
Verum quæ species cultus? quæ causa? quis  
auctor?

Quæ ratio talem dat vel origo locum?  
Res quia cera, parum, nimis aut obscura vi-  
detur.

Plerique hanc animo frigidiore colunt.  
Diuinæ propè dant alij virtutis honorem,  
Hisq; superstitio fortè suborta nocet.  
Idolum vocat hæreticus, ridetq; fidelem,  
Hic tacet ignarus, fronsq; plicata rubet.  
Non bene tanta latent fidei munimina sancte  
Tam celebrisq; tui iura sepulta silent.  
Iustè ego cum tales versarem pectore curas,  
Catholica his dictis visa monere fides:  
Non noua, sed nostris sæpe auribus acta que-  
rella est.

Nec de hoc duntaxat munere turba fremit  
Ecquis enim meritum retinet iam ritus ho-  
norem?

Quis nitet intacta religione locus?  
Christi etiam sanctum blasphemata calumnia  
corpus.

Vellicat, & nugas omnia sacra facit.

Sunt



Sunt rursum innumeri voce, haud virtute  
fideles.

Vixq; umbram fidei vel pietatis habent,  
Nec mirum est omnem cultum frigescere,  
quando

Ipse Dei duro corde refrigit amor.  
Irrita sic fieri coelestia dona necesse est,  
Seu dubios ritus inualidosq; putent:  
Siue superstitione externis ita rebus inhærens  
Fascinet, ut spernant nobile mentis opus,  
Quid peccent vtriusq; tibi per singula possem  
Exprimere, ac vltus constabilire pios:  
Verum argumento fiet satis omnibus vno,  
Si satis excussus cereus agnus erit.  
Abdita nonnullos primum quod turbat origo  
Propterea & magnū pondus habere negat  
Ponderis indicium maioris maius idipsum est.  
Sanctorum ad trutinam si reuocare velis.  
Quicquid enim seruat ritus Ecclesia constans  
Principium cuius nemo referre queat:  
Id magis antiquum, certum, ac laudabile  
censent,

Tanquam à primæua religione fatum.  
Hæc siquidem haud scripto, sed factis vsque  
vigeat:

Secula quod statuunt posteriora notant.  
Sic consueta volunt Doctores multa vetusti,  
Ex Christi ac comitum traditione vehi.  
Agni huiuscè refert auctorem nemo recentē:  
Priscus enim priscis Patribus vsus erat.  
Vnde velut de re clara nimis atq; probata,  
Rara per historiam mentio facta patet.

Eiusdem

Eiusdem nec parca minus largitio facta est,  
 Nobilis ut merito semper honore foret.  
 Ante octingentos ferme Leo tertius annos,  
 Optimus exhibito munere testis adest.  
 Carolus hoc magnus magna pietate recepit,  
 Thesaurum ut reputans cœlitus esse datū.  
 Urbanus quintus simile post consecrat agnū,  
 Quem Bizantinus ferre monarcha cupit.  
 Excipitur populi occurſu cum supplice p̄opa,  
 Atque triumphantis mœnia more iubit.  
 Rarius ergo fuit donum, ut preciosius esset,  
 Diuinum plus quam Pontificale quod est.  
 Ah nimia id deinceps vileſcere copia fecit,  
 Vulgare ac leue fit quod leue vulgus habet  
 Omnibus hoc sacris, ipsi hoc cōmune Syna-  
 xi est:

Sic fuit Hebræis nausea manna frequens.

(Num. 21.)

Mentibus at rectis rerum conspecta bonarū.  
 Copia, fit pluris quo magis ampla venit.  
 Prima quidem ratio sacrandi antiquitus agni  
 Exiit, ut signum grande potensq̄ foret.  
 Quippe ut in Hebraicis omnis quondam ho-  
 stia sacris.

Christi aduentantis schema salubre fuit:

Utq̄ redemptoris mores, mortemq̄ notabat  
 Agnus, præcipui creber honore typi: (E-  
 xodi 12.)

Non secus (umbrosū signum componere  
 claro.

Si licet) hic nobis debitus agnus erat.

Si decuit signo speratum attendere munus,

Acce-

Acceptum quanto plus memorare decet?  
 Ignaris obscura leuem ignorantia culpam,  
 Notitia ingratis reddit aperta grauem,  
 Subfidiis nec se externis negat vllus egere  
 Christigena, aut hominem se simul esse  
 neget.

Plus sensu quã mente viget natura biformis,  
 Nec sine corporeo spirituale videt.

Sopitusq; velut paulatim extinguitur ignis,  
 Impigra materiam det nisi sæpè manus:

Sic nisi sensilium virtute subinde iuuetur,  
 Emoritur vacua mente sepulta fides.

Præterea haud signis virtus erat vt vetustis.

Vim tribuit magnam gratia iuncta nouis.

Egregia huic igitur, quo fortius excitet illam,  
 Materix effigies, sanctio visq; datur.

Est agni effigies, quam pura & candida cera,  
 Materies nec non orbicularis habet.

Additur huic etiam mundissima lympha ri-  
 gandæ,

Chriftimatis ac oleum, balsamiusq; liquor.

Sacræ idcirco rei reuerentia maior habenda  
 est,

Nec, nisi sacrata, fas tetigisse manu.

Cera refert hominem intacta de virgine cretū

Et quo purius est, candidiusq; nihil.

Sed purum ne forte hominem tantummodo  
 credas.

Æterni integritas numinis orbe patet

Doctrina eius item sincera, salubris abundet

Apposito viuo fonte refertur aqua,

Chriftimatis est oleum, qua totum immensa

perun-

perunxit.

Gratia, & hinc alijs participata fuit.  
 Balsama significant sanctę benevolentia vitę  
 Munia, & effusam vulneris omnis opem.  
 Vitę assertricem mitis notat hostia mortem  
 Immaculatus ait quod Petrus (1. Petr. 1.)  
 agnus hic est.

Agnus hic est prima iam mundi aborigine cę-  
 sus (Apoc. 5.)

Mortis enim virtus tempus ad omne salit,  
 Agnus hic est, iustus quem primitus obtulit  
 Abel. Gen. 4.

Quem longo innuerat tempore Pascha ve-  
 tus. Exod. 12.

Agnus hic est sacri celebratus nomine iugis,  
 Huius & asperso tota cruore domus.

Agnus hic est, mundi tollens peccata redēpti,  
 Quem digito assignas, Prodrome sanctę  
 tuo, Ioan. 1.

Agnus hic est septem signacula soluere di-  
 gnus, Apoc. 5.

Virgineo superum cinctus vbiq; choro.

Agnus hic est, cui cęlitium infinita propago  
 Elogium pronopectore grande canit.

Talia mille oculis mysteria subdit imago,  
 Ac tepefacta nouo corda calore replet.

Nec solum hæc agni dotes & facta recenset  
 Singula, quod vobis sint imitanda monet.

Fiat ut agnus homo purus, mansuetus, & in-  
 fons,

Seque dicet totum sacrificetq; Deo.

Nec conspecta monet solummodo quid sit  
 agen-



agendum,

Hoc etiam quodam nomine plena mouet,  
Quid mihi nomen, ais, memoras; mihi ce-  
rea uiuit.

Vimque aspectanti spirat imago suam?  
Non ita, sed uirtus dona diuina subhæret.

Fidentemq; annos insinuata iuuat.

Cur potius (dices) uirtus hic illa? quid ob-  
stat,

Quo minus insinuent cætera signa parem?  
Maior ab insigni fiducia munere surgit.

Quum fundat ritus propria forma sacri  
Namq; sacerdotem magnum res magna re-  
quirit,

Legitimas Christi cui dedit ordo uices,  
Nec quoties, uel quando uelit rem condere  
tantam.

Mos ueteri acceptus religione finit,  
Fas duntaxat ei est, quo sedem ascenderit ãno  
Annorum & quoties hebdomas inde redit:  
Sabbata quæ Palchæ uicina uocantur in Albis  
Dant proprium, ut sacret distribuatue diæ.  
Annorum hic obiter quam multiplicatio  
causam.

Nacta sit, oblata sit ratione palam;  
Tempus id est, quod Christigenas à fronte  
recentes.

Matris ad arcanas excipiebat opes.  
Quo magis ergo suæ nosset compedia fortis,  
Moribus & quales exigit illa, forent.  
Iure representant agni pura agmina plures,  
Res quod ibi gestæ, notaq; uerba docent.

Baptizan-

Baptizantur enim solenni hæc signa lauacro  
 Inclytus, & magna voce Minister ait:  
 Ad fontes isti veniunt agni ecce nouelli,  
 Quos lux clara replet, gratia lausq; Deo,  
 Communis fit lætitiæ ratio obuia sanctum  
 Cum populo sancto multiplicauit opus  
 Nunc etiam agnorum numerus dispergitur  
 ingens.

Christigenum ditio, quo pia cunq; patet.  
 Numinis hoc pacto datur omnibus ansa ro-  
 gandi.

Augeat vt foetu semper ouile nouo.  
 Nonne Petro Dominus quos credit, nomi-  
 nat agnos? Ioan. 21.

Inter & immanes quos iubet ire lupos?  
 Sed formam his obiter factis subdamus aper-  
 tam,

Vnde fidele sacro fidere pectus habet.  
 Ampla ministrorum stipat procerūq; corona  
 Pontificem, indutum pontificale decus.  
 Rem gerit hic Domini fretus bonitate mo-  
 nentis,

Et placito certam more ferentis opem.  
 Sat foret auxiliij promissio certa perennis,  
 Dum te Christe tuis semper adesse mones  
 Matth. 28.

Dumq; tuo binis vel ternis nomine cunctis  
 Te medium affirmas vota petita dare. Mat-  
 thei 18.

Inde sacerdoti summo fiducia summa est,  
 Officijs nunquam numen abesse suis,  
 Quodq; petit supplex, Ecclesia tota videtur

Poscere

Polcere, quid sponſæ Chriſte negare potes?  
 Hic ſed energiã propriã diuinitus addi,  
 Propria conditio traditiõq; probat.  
 Longa quoque omnigeni docet experientia  
 fructus.

Exprefſè aut tacitè ſic pepigiſſe Deum.  
 Maximus ergo ſacra cum maiestate Sacerdos  
 Pectore, voce, manu ſingula pronus agit.  
 Expoſitus celebri pompa benedicitur agnus,  
 Magnificiſq; modis vnctio ſancta datur.  
 Ille preces recitat mira pietate refertas,  
 Quas veteris ritus formula certa tenet.  
 Poſtulat in primis, ſacrati aſpectus vt agni,  
 Agnum ad cœleſtem concita corda leuet:  
 Vtq; ſalutiferæ memores vitæq; neceſiſq;  
 Criminis & vitij noxia vincla terant:  
 Hoſtis vt inſidias itygij ac certamina vincant  
 Decipulas mundi, carnis & illecebras.  
 Æternæ vt fugiant discrimina cuncta ſalutis,  
 Et ſupera nunquam deſtituantur ope.  
 Obſecrat, vt donis, quæ gratia fundit, abundet  
 Omnibus omne decus ſpirituale ferant.  
 Omnis vt & virtus & conſolatio iugis  
 Affluat, omne pium ſemper agatur opus.  
 Corporeos nobis morbos caſuſq; repelli,  
 Præſertim horriſcos mortiferõſq; petit,  
 Nam licet accipere hæc ſanctis aliquando ſi-  
 nuntur.

Tela magis læſi numinis eſſe ſolent,  
 Talia ſunt virus, peſtis, morbuſq; caducus,  
 Impetus hoſtilis, parturientis onus.  
 Nec minus & terræ motus, incendia, fluctus,

Fulmina, tempestas, moriſq; repēte vorans  
Hæc procul arceri grauiora pericla precatur :

Prospera ſed vitæ, lætaſq; fata dari.

Poſtremo æthereum ſaluos aſcendere regnū,

Atque agni placido cominus ore frui.

Innumeris liquet exēplis, quæ nemo refellet,

Eximias digno cuique valere Preces.

Dignus at eſt, qui dignum agno, quem geſtat  
honorem,

Tum fidei officiō tum pietatis habet.

Sed quia virtutum ſtudium iam rarius ha-  
rum eſt,

Quid mirum multis irrita ſigna geri ?

Iudaicis neque enim ſunt vtiliora figuris,

Imò etiam pœnas ludificata petunt.

Geſtari ipſa volūt ſimul extra pectus & intra

Sic demum ( vt retuli ) commoda magna  
dabunt.

Catholicę hiſ fidei verbis mihi protinus om-  
nis.

Scrupulus ex animo, mæror & omnis abie.

Pectora iam toto venerandum exoſculor a-  
gnum.

Hortor & hoc, vt idem quiſq; fidelis agat.

Non pudet effigies hominum ſtatuaſq; pro-  
fanas

Mirari, quorum vita fauorq; perit.

Nec miſeris amuleta piget ſuſpendere collis,


Quæ vulgus demens, aut maga finxit anus.

Et pudeat pigeatūe aliquem ſacroſancta co-  
lentem

Stemmata, diuinis ſe cumulare bonis ?



Reijciat spurcosus gemmam perfidus ore,  
 Exerat & sannas ad data sancta canis.  
 Qui variis sordent vitijs gaudentq; ferinis  
 Moribus, his potius symbola digna ferant.  
 Qualia sunt vulpes, tygres, pardi, atq; leones,  
 Congruus aut serpens omnibus ater erit.  
 Dæmonis hæc propria est, quem spontè se-  
 quuntur, imago  
 Insigne hæc domini iure ferunto sui,  
 Iudicij vel si ratio spectanda futuri est,  
 Hædorum effigies hisce ferenda venit.  
 Nos verò ad dextram sessuros iudicis Agni,  
 Ferre agnum, similes cui iuuat esse, decet.  
 Illi (vt Apostolicus vates ait) eius ab ira,  
 Montibus orabūt se caueisq; tegi. (Apoc. 6)  
 Rex Regum ac Dominus dominantium vi-  
 cerit Agnus,  
 Culmina qui montis stat super alta Sion.  
 Viuarum ipse suos ad fontes ducet aquarum,  
 Abstergens lachrymas, & nocumenta fu-  
 gans.  
 Ergo Agnus superi qui templi est vnica lam-  
 pas,  
 Sit nostræ interea fida lucerna vix.



## LIBER DECIMVS.

DE IIS QUÆ PROPRIE AD  
studiosæ Iuuentutis, maximèq; Soda-  
lium B. Virginis institutio-  
nem pertinent.

## P R Æ F A T I O,

QUÆ in superioribus tractauimus, commu-  
nia ferè sunt omni hominum statui, gene-  
ri, ætati, (paucis exceptis, quæ lib. s. descri-  
psimus) neq; quisquam est fidelium omnium  
cui non paucim omnia ea quæ diximus, suo  
tempore vsui esse queant: restat vt nonnulla  
etiam, quæ propria sint piorum adolescenti-  
um institutioni, maximèq; congregationum  
B. Virginis, adferamus. Eo porro in genere  
illud primùm est, vt intelligant studiosi ado-  
lescentes, meritò sibi in eo cum primis elab-  
orandum, vt sincere pietatis studium cum  
literis coniungant: tum quibus à vitijs potis-  
simum abstinere sese debeant: Inde quibus  
maximè virtutibus assequendis intendere:  
Denique quemadmodum ea etiam, quæ ad  
Congregationem B. Virginis matris perti-  
nent, consecrari. De his igitur omnibus eo-  
dem ordine, breuiter agamus.

## C A P V T I.

LITERARUM STUDIA CUM  
pietate Christiana coniungenda.

*Brevis exhortatio ea de re ad studiosos Adolescentes.*

VSV, & auctoritate sanctorum Patrum edocti sumus, optimi adolescentes, ita demum præclare cum illis agi, qui literarum studijs animum applicauerunt, si ea cum Christianæ pietatis exercitatione, veluti vinculo quodam adstricta, complectantur.

Sunt enim omnes artes, atq; disciplinæ, semen quoddam optimum: quæ si menti pietate, ac virtute excultæ mandentur, egregium, ac salutarem ferunt fructum: sin verò in animum à pietatis studio, & charitate Dei alienum inciderint, non solum in steriles culmos exeunt, sed etiam in aliorum damnum, ac perniciem sæpenumerò, conuertuntur. Quapropter idem plurimis vsu venit, quod Apostolus accidisse scripsit antiquis sapientibus, (Rom. 1.) qui, cum cognitione veri Dei ingrati, scelerateque abuterentur, vero sapientiæ lumine priuati, res nefarias, grauissimæque professione indignas perpetrarunt.

Quod ne vobis, Christi tyronibus, vnquam eueniat, sola eruditione contenti esse non debetis: sed multò etiam magis, si salus vestra vobis chara est, contendere, vt cum doctrina, probitatem vitæ: pietatemque, & fidem

coniungatis. Is omnis doctrinæ, ac veræ sapientiæ sit finis vt non ad inanem voluptatē, non ad fictam gloriam, non ad stultam ambitionem, non denique ad turpem, & sordidum quæstum eam traducatis: sed ad religionem & pietatem, & ad Dei cultum, & gloriam, ad communem Reipub. vtilitatem, & priuatam nostrum singulorum salutem referatis.

Porrò inter cætera pietatis veræ exercitia, in nullo vtilius tempus, & operam ponere potestis: quam si vna cum diligenti, & serua peccatorum omnium fuga, ac pia virtutum consecratione sanctam illam consuetudinem exercitationemque adhibeatis, piè, frequenter ac diligenter orãdi Deum, quem bonorum omnium auctorem agnoscimus, & prædicamus, in quem solum spectamus, quod vnum incolumitatis, salutisquè præsidium, atque perfugium habemus.

Vrget vos ad tam eximium opus, præter communem omnium mortalium necessitatem, & inopiam, etiam propria vestræ ætatis egestas, quam præ aliis, multo pluribus iniuriis, & calamitatibus esse subiectam, sensu ipso experimini. Quorsum igitur in tam multis quibus indigetis bonis, ad animum & corpus tuendum necessariis, nisi ad precatiónē, tanquam ad vnã omnium optimam indigentia vestræ interpretem, confugere vos oportet? Animum quæso aduertite ad præclarum illud à Iesu Christo Redemptore nostro datum vestræ ætati testimonium: Mar. 23



*Ex ovo infantium, & lactemum persecisti laudam.* Et cum accedentes ad se pueros complectens aiebat Matt. 19. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum.* O vos beatos & foelices, quibus Dominus ad se tam clementer aditum pate fecit: quos etiam tanti facere visus est, vt non nisi vobis & vestri similibus, gratiam suam obtulerit: nisi, inquit Matt. 18. *efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum caelorum.*


Quæ omnia vos excitare in primis debent, vt ea, qua par est, corporis & animi puritate, ad eius clementiam per orationem sæpius accedatis, atque ex diuino illius fonte timorem Domini, qui initium est sapientiæ, ac cæteras virtutes, ad bene & beate viuendum necessarias, hauriatis.

Hanc in rem edita vobis est, breuis hæc pietatis exercitatio, quæ vti omnibus communiter hominibus cum primis necessaria est, vobis vero etiam Legibus Scholasticis particulariter commendata: ita nunc eius exercendæ modus, & praxis compendiosa exhibetur: quo maiore cum fructu, & sacro quotidie interesse, & Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ percipere, aliaque orationum pensa, commodius, & foelicius absoluere, & omnium denique virtutum Christianarum studio, plenius incumbere valeatis. Quæ si omnia ex animo ad vsum pium reuocaueritis, tantum abest vt literarum iacturam aliquam, propter tempus pietati ac cultui Diuino tribu

tum, patiamini: vt etiam maximè studia vestra promoturi sitis.

Animus enim Deo sapientissimo interdum pia meditatione coniunctus, non mediocri quadam luce inde sic illustratur, vt scientiarum ardua quæque, nullo negotio, penetrare possit. Ergo felices, beatiq; hoc nostro labore fruamini, vt tandem sanctam illam in fide Catholica propugnanda militiam, strenuè exercere, & stipendio, in beatorum animorum cœtu, perfrui possitis. Quod futurum non diffidimus, si hæc vestra tyrocinijs dicata ætas, in eiusmodi sanctis, pijsq; exercitijs, fideliter, & ex animo fuerit à vobis traducta. Valete.

PVERIS ET ADOLESCENTIBUS maximè conuenit Deuotio,  
Et qui sint illius effectus.

 Ea de re vide supra lib. 3. c. 7. pag. 60.

*Quo sine literis incumbendum, ex Sancto Bernardo, lib. Medit. Cap. 3. & serm. 36. Cant.*

**M**ulti multa sciunt, & seiplos nesciunt: alios inspiciunt, & seiplos deserunt, Deum quærunt per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum vt sciant & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est: & sunt

sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: turpis quæritus est. sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent: & charitas est. Et item qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est. Vti ergo cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam quasi artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa, atque digesta, reputabitur in peccatum; tanquam cibus conuersus in prauos obnoxiosque humores. Scienti enim bonum & non facienti, peccatum est ei, Iacob. 4. cap.

## CAPVT II.

DE VITIIS QUÆ DECLINARE  
adolescentes potissimum debeant.

## I. Otium.

PRimum est Otium, atque inertia. *Multam enim malitiam*, ait scriptura. (Eccel. 33.) docuit Otiositas: quam ideo B. Bernard. li. 2. de Consider. matrem nugarum, & nouercam virtutum: alij Benedictus in Reg. 9. fomitem vitiorum; rubiginem mentium, luem pestiferam, morbum lethalem, alij (S. Chryost.)

puluinar diaboli appellant: vnde celebre erat apud SS. Anachoretas Aegypti verbum, laborantē ab vno. otiosum ab infinitis oppugnari dæmonibus ( Calsian. lib. de spiritu acedix, capit. 23. ) Huic tanto vitio occurrendum est honesta & perpetua occupatione. Vnde præclare B. Hieronymus: *semper operis aliquid facito, Si te diabolus inuenias occupatum: non enim facile capitur à diabolo: qui honesto vacat exercitio.*

## 2. *Superbia.*

Huic affine est superbix peccatum. Initium enim omnis peccati est superbia, ait Spiritus sanctus. Primò enim mentem à Deo auocat, fuitq; primum peccatum; tam in cælo, quàm in terra, estq; peccatorum omnium periculosissimum. Cætera enim vitia, ait B. August. in malefactis valent, sola superbia etiam in rectè factis est cauenda. Huius filix sunt præsumptio, hypocrisis, pertinacia, iactantia, ingratitude, aliorum contemptus, inobedientia, ambitio, curiositas in vestibus maximè, & rebus alijs, quas omnes, & singulas filias vnà cum earum matre supra omnia detestatur & punit Deus: ita vt solis superbis, tanquam capitalibus & vnicis suis hostibus peculiari modo, resistere, hoc est, obniti, persequi, dispergere, ac funditus, euertere dicatur

## 3. *Licentia.*



Ex otio & superbia, tanquam impurissimis lacunis, adolescentium pestis summa nascitur libertas, siue licentia pro arbitrato viuendi faciendiq; omnia. Cuius impurissimæ luis studio stolidi, amentes, cœcicq; adolescentes maturè literas & magistros, parentum oculos, monita, imperia, amicorum consilia, decretaque maiorum omnium negligunt, ridet nonnunquam, & exsibilant, omneq; obedientiæ, & subiectionis iugum excutiunt, vt (quod falso credunt & iactitant) sui iuris sint exleges, liberi, & potestatis suæ. At verò, tantum abest, vt libertate aliqua gaudeant, vt durissimam potiùs & vitiorum & cupiditatum, & mulierum, & dæmonum seruiant seruitutem.

#### 4. Gula.

Ex superioribus monstris prodit gula, crapula, ebrietas, vitium ventris, & gutturis, quod castitatem prodigit, nutrit illecebram, & innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum producit, vt docet B. Gregorius & quotidiana experientia.

#### 5. Lasciuiæ.

Gulam affectatur lasciuiæ, & omnis turpitudine. *Semper enim saturitati inuicta est lasciuiæ,* ait B. Hieronymus. Ad lasciuiam, pertinent non modò inordinatus omnis libidinosæ voluptatis

luptatis sensus & actus, sed & quæcunque ad eam viam sternere solent, saltationes inquã, ludi intemperantes, ioci impudentes, adpectus turpes, gestus impudici, impura colloquia, lectio amatoria, cantiones sordidæ, incessus mollis, effœminata vestium, & capillaturæ compositio, comendi corporis cura superflua, oculorum leuitas, & id genus alia, quæ tanquam libidinum faces diabolicę ad omnem turpitudinem arma, & omnis virtutis bonorumq; morum propinqua excidia, ab pijs, castisq; adolescentibus omnino fugienda sunt.

*G. Contentiones &c.*

Consequuntur superiora flagitia, rixę, contentiones, inimiciatę, pugnæ, homicidia, & alię eiusmodi Christianę caritatis pestes. Si quis contentiosus est inter vos, ait B. Paulus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Seruum enim Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Si hoc B. Apostolus de contentioso dicit, quid de iis dicet, qui ad ipsas pugnas, ad cædes, ad homicidia prouolant? qui inimicitias capitales suscitant, fouentq;?

*Imprecationes, maledicta, &c.*

His finitimæ sunt calumnię, contumelię, imprecationes, maledicta, irrisiones, detractiones, & id genus portenta, nequitię, ac

vera o-

vera opera diaboli, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur.

8. *Mendacia, iuramenta, blasphemie.*

Addi his debent cætera linguæ vitia; mendacia, iuramenta, periuria, blasphemie, adulationes, doli & fraudes, quibus ficto sermone proximum circumuenimus, quæ omnia ex superioribus, tanquam putidissimis fontibus, aut sentinis verius proficiuntur: A quibus omnibus, ceu certissimis veræ pietatis naufragijs abstinendum est semper studiosis adolescentibus; quod ea sensim excipere soleant obliuio Dei & salutis propriæ, ac tandem contemptus Ecclesiæ ipsiusq; Dei, induratio sui ipsius, infernus deinde, gehennæq; æterna-

CONTRA CAPITALIA, ET  
cætera iam allata vitia, insigne an-  
tydotum.

Contra omne ferè genus huiusmodi vitiorum; iam congeimus varia remedia in superioribus, lib. 4. cap. 10. Iis tamen breuiter nunc addamus & sequentia. Nam vir quidam deuotus contra hæc vitia & peccata, frequentes sententias & decreta breuissima quasi antydotum quædam expendere, & usurpare solebat.

*Contra superbiam, Vbi cognoui Deum altissimi.*

tissimum pro me extremè humiliatum, nunquam adeo me deprimere potuit homo, quin maiori me vilipensione dignum iudicarem.

*Contra auaritiam.*) Vbi cognoui animam meam nulla re posse satiari, præterquam solo Deo meo; miratus sum, si aliud præter ipsum querere debeam.

*Contra luxuriam.*) Vbi cognoui corporis mei nobilitatem, & quod mihi conceditur purissimum corpus Christi sumere in os meum: dignum duxi omnibus modis laborare pro perpetua cordis, & corporis puritate.

*Contra iracundiam.*) Nulla hominum infidelitas me perturbare potuit, dum perpendere, quàm infidelis Deo meo fuerim ego. Et quoniam hic motus plerunque infixus est naturæ ac moribus, vt euelli ac vinci nequeat, si præuidere hunc possum, ratione reprimō: Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici, aut proiuderi potuerit ne occuparetur; meditor quomodo animi mei motum vincam, iracundiam temperē, ac iuxta D. Ambrosij præceptū, resisto iræ, si possum, cedo, si non possum.

*Contra gulam.*) Vbi gustavi cœlestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulii me seducere potuit ingluuies.

*Contra inuidiam.*) Vbi cognoui quod Deus me tantum peccatorem in gratiam receperit: non potui aliquem hominem odisse, propter ipsius iniquitatem.

*Contra accidiam.*) Vbi perpensi quod poss  
breuif-



breuissimum laborem æterna conquiratur de  
atitudo, nimis exiguum arbitratus ium, quæ-  
cunque ego tolerauero laborem.

*Contra vitium linguae.*) Complures vidi lo-  
quendo in peccatum incidisse, vix quenquam  
tacendo; Sapientem ergo esse iudicavi, qui  
nouit tacere. Hinc iuxta D. Ambrosij moni-  
ta, linguæ me præcepi, vt proferat sermo-  
nes libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in  
sensu, in sermone pondus, atq; in verbis modus,  
vt fiam mitis, mansuetus, atque modestus.

*Contra iniurias.*) Quando aliquis mihi con-  
uitiatur, laeessit, ad violentiam prouocat, ad  
iurgium vocat; tum silentium exerceo, tunc  
mutus fieri non erubesco. Peccator est enim  
qui me prouocat, qui iniuriam facit, & me si-  
mitem sui fieri desiderat. Si retulero contu-  
meliam, dicetur, ambo conuitiati sunt: vter-  
que condemnatur, nemo absoluitur: Iusti  
esse iudicio dissimulare, nihil loqui, tenere  
fructum bonæ conscientiae; plus committere  
bonorum iudicio, quam criminantis indul-  
gentiae, contentum esse grauitate morum  
suorum. Hoc enim est scire à bonis. Occur-  
rit mihi exemplum Dauid, quando male-  
dixit ei Semei. Impium, sibi ipsi pœnam esse,  
iustum vero sibi ipsi gloriam, ac vtrique aut  
bonorum, aut malorum operum mercedem  
ex se ipso solui.

*Contra omnia vitia.*) Cum Dominicæ Pas-  
sionis, & mortis amaritudinem ad memori-  
am reuoco; nihil adeò est asperum, quod non  
æquamiter portem.

CAPVT III.  
DE VIRTVTIBVS  
Adolescentum.

*Virtutes qua maximè adolēcentes decent.*

I. Timor Dei.

**A**Nte omnia se offert Dei Timor, non tam virtus, quàm virtutum omnium fons, & principium. Initium enim sapientiæ, ait Dauid, Timor Domini. Quàm sit hic omnibus necessarius, innumeris propè locis sacra Scriptura docet. Si non, inquit Sapiens, in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua.

Timor autem hic duplex est: Seruilis, pœnæ scilicet, ideoq; imperfectus & aliquando desiturus, & Filialis, culpæ nimirum, perfectus, & perpetuus.

Priorem excitant tria potissimè. Vindicta quam exercuit Deus etiam in hoc mundo in peccatores: Meditatio mortis & iudicii, & considerata pœnarum gehennæ æternitas.

Filialem tria similiter animæ ingenerant; admirabilis Dei potestas, & imperium in omnes singulos homines: ipsorumque penitiores conceptus & cogitationes; inæstimabilis precij gratiæ Dei vera cognitio, à qua excidere supra res mundi omnes extimescere debe-

mus.

mus. Verum enim est illud B. Thomæ pronuntiatur; bonum gratiæ vnus, maius est quam bonum nature totius vniuersi: Postremo, peccati horror, & deformitas, & quod nihil magis eo oderit Deus, cuius vel vmbra in filio suo vnigenito animaduersam Pater æternus, ad ipsam vsque Filij eiusdem sui dilectissimi mortem persecutus est. Odium id peccati agnoscens Dauid; (Psal. 5.) *Mane, inquit, adstabo tibi & sidebo, quoniam non Deus solens iniquitatem tuas.*

## 2. Humilitas.

Ex hoc Dei timore nascitur summa in hominibus cura bonæ conscientiæ, sui cognitio, ipsaque omnium virtutum origo & custos humilitas: ad quam via, teste D. Bernardo (serm. 34. in Cant.) est humiliatio, & depresso. Vnde qui non potest humiliari, non poterit vnquam ad humilitatem prouehi. Alij cum rancore humiliantur, alij patienter, alij libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxij, tertij iusti. Qui autem dicere potest: Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, is verè humilis est. Non potest id dicere, qui inuitus tolerat, multò minus qui murmurat. Hęc sanctus vir omnia.

## 3. Obedientia.

Humilitatem sequitur obedientia, ipsius  
Princeps

Princeps filia, de qua vnicam tantum veri obedientis descriptionem ex Diuo Bernardo adiiciemus. Verus obediens, ait, mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis; neque attendit quale sit, quod præcipitur, sed hoc solo contentus est, quia præcipitur,

#### 4. Patientia.

Obedientiam comitatur Patientia, altera humilitatis filia, ad quam egregia est B Augustini exhortatio, ( Super psal. 99. ) *Fili, si ploras, noli cum indignatione, noli cum typho superbia. Vnde plangis? Quod patris medicina est, non pœna; castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non Deus repellit ab hereditate; noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.*

#### 5. Sobrietas.

Superiores sequitur sobrietas, corporis tutela, pudicitiae munimentum, magistra ingeniorum, vitiorum profuga, virtutum omnium singulare subsidium.

#### 6. Castitas.

Sobrietatem consequitur Castitas: cuius pulcherrimæ virtutis conseruandæ studio, in-

numeri



numeri utriusque sexus, viri & foeminae, pueri & puellae, non modo corporis voluptates, mundi que delicias auersati sunt, sed etiam familiae generisque propagationem, quae tanti apud homines ducitur; immo vitam ipsam, qua nihil carius homini, contempserunt, immo leonibus, flammis, gladiis, horrendisque cruciatibus non libenter tantum, sed alacriter etiam obiecerunt.

Castitatem autem sex conseruant, ait Casiodorus, super psalmos. Sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis, euitatio opportunitatis, personae loci, & temporis. Eandem iuuant, & augent oratio, Meditatio nouissimorum, cultus B. Virginis, Mortificatio interior cogitationum & affectionum, Mortificatio externa corporis asperaque ipsius tractatio per ieiunia, vigiliis, cilicia, verbera, &c. & frequens sacramentorum usus.

### 7. Mansuetudo.

Maximè illustrat, & hominibus gratos efficit omnes sui studiosos Mansuetudo. Mansueti autem siue mites sunt, Ait B. August. qui cedunt improbitatibus, & non resistunt in malo, sed vincunt in bono malum. Et B. Hieronymus: Mitis est, quem non rancor, vel ira afficit, sed omnia æquanimitè sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat.

8. *Charitas.*

Has perficit omnes Caritas Dei & proximi quæ vniuersæ legis est plenitudo; in qua commendanda totus est Christus; S. Ioannes Euangelista. S. Paulus cæteriꝫ Euangelistæ, Apostoli, Doctores, *Sola enim est*, ait B. Augustinus, lib. de laude caritatis, *quæ vincit omnia, & quæ ubicunque fuerit, trahit ad se omnia. Scientia si sola inflat, quia vero caritas adificat, scientiam non permittit inflari. Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed maior caritas, meliorq; voluntas auget meritum. In caritate pauper est diues, sine caritate omnis diues est pauper. Hæc omnia B. Augustinus. Videant ex his quam cœci, & amentes, infaniquæ sint, qui caritatem Dei vel proximi tam facile lædunt, lacerant, violant.*

9. *Modestia.*

Omnes has virtutes ornat, & decorat Modestia, vox quædam corporis & animi motus, ait beatus Ambrosius 1. offic. 18. & ex motibus externis homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Immodestia malam naturam indicat, naturam bonam corrumpit.

Adolescentes autem maximè decet & ornat modestia, quibus, etiam si pauperes & abiectæ con-

iectæ conditionis sint, plurimum ornamenti accedit ex benè compositis moribus. Contra, quoscunque etiam diuites & nobiles deformant argumenta omnia immodesti, & incompositi animi, qualia sunt contentiones, maledicta, conuitia, responstationes aduersus imperata maiorum, iniuriæ in alios irrogatæ, arrogantia, contumacia, quæ omnia modestiæ contraria, B. Paulus dicit. Maximè autem omnium modestiæ aduersantur verba, aut gestus turpes, quos interturpissimus, & modestiæ inimicissimus, ludus desultorius, siue saltatio, viua imago leuitatis. *Vbi saltatio* ait B. Chrysof. *ibi diabolus*. In vestitu denique non minus necessaria est adolescentibus modestia. Nam S. Hieronymus iuuenes nimium ornatos, comptolos, pestes vocat, & venena pudicitie. Quòd si periculum tale in vestitum cultu tibi non adsit, perpetuum certè est, vt peccatum adsit inanis gloriæ, sine qua S. Gregorius (Hom. 40. in Euan.) delicatas & sumptuosas vestes nunquam, esse cõfirmat.

10 *Constantia & perseuerantia.*

Has omnes coronat Constantia, ipsiusque teste D. Bernar. filia perseuerantia. Sicut enim væ his dicit Scriptura, qui perdiderunt sustinentiam, ita beatus à Domino dicitur, qui perseuerauerit vsque in finem. *In cassum ergo bonum agitur*, ait D. Greg. (lib. 1. Moral. c. vi.) *si ante vitæ terminum deseritur*. Et B. Hieronymus,

mus, ad Furiam. *Non quaruntur in Christianis invidia, sed finis; non inchoasse, sed perfecisse virtus est.*

Danda igitur enixè adolescentibus opera est, vt in bono, quod per Dei gratiam inchoauerunt, ac in pietatis exercitiis, quæ piè semel susceperunt, in ijs constanter vique ad finem perseuerent.

*Qui mollis, & dissolutus est in opere suo,* ait Sapiens Prou. 8. *frater est sua opera dissipantis.* Molles sunt ac flaccidi, qui ad primam temptationem succumbunt, qui quamcunque in partem à prauis sodalibus trahi se sinunt, quos statim laborum tædet, qui minimo negotio à bono proposito resiliunt, qui denique manum mittentes ad aratrum, statim respiciunt retrò; ac propterea, teste Deo ipso & iudice summo, (Luc. 9.) apti non sunt regno Dei.

Quapropter qui perseuerare vult in finem: opus in primis habet animo alacri, generoso, constanti in Dei timore, cultu, & obsequio, ac bonis operibus exercitato, & assuefacto, qui vim sibi nonnunquam afferat, qui nec impiorum impropriis, nec multitudine peccantium, nec dæmonum fremitibus, nec mundi carnisque blanditiis, nec denique molestiis, ac difficultatibus vllis fatigatus, acceptum semel sanctæ vitæ propositum deserat; obiciatque illud Saluatoris oculis suis perpetuo: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti (non molles, non dissoluti, non inconstantes) rapiunt illud. Deinde vtile ac necessarium est: vt



est : ut quo propius ad metam accedit, eo cursum intendat magis, nunquam verò remittat, ne fortassis in tam propinqua victoria alius brauium auferat. Hinc B. Franciscus post stigmata dominicæ crucis in corpore accepta, post multorum annorum labores maximos, paulò ante mortem dicebat fratribus, (In vita eius cap. 14.) *Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus.*

### ADIVMENTA OCTO AD virtutes comparandas.

Sicut sola apud Deum libertas est, ait B. Hieronymus ad Celantiam, non seruire peccatis : ita summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Scientia ergo & omnis eruditio, generis & familiæ splendor, honores & diuitiæ, & quicquid in mundo magnum est & excellum, magno illi excelsoque Deo, & Angelis eius foetet, si à vera virtute destitutum sit.

Quocirca Christianorum omnium prima, & postrema cura, industria, sollicitudo, studium in vna virtutis exercitatione collocari debent : ut nimirum quotidie eant de virtute in virtutem, (Psal. 84.) donec videatur Deus Deorum in Syon. Ea est scientia, ea veritas, quam per coæternam sibi sapientiam, Christum Iesum, dedit Deus in salutem plebis sue cuius scilicet beneficio, sine timore, de manu inimicorum nostrorum (dæmonum, &

vitiorum) liberati, seruiamus illi omnes in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ. (Luc. 1.)

*1. Adiuumentum, Maturum Virtutis studium. Thren. 3.*

Adiuumenta autem ad harum virtutum acquisitionem opportuna non pauca sunt.

1. Est, maturum earum studium, à primis ipsis (quod fieri potest) annis. Mollis enim & flexibilis adhuc ætas, antequam flagitijs prauisq; moribus corrupta sit, ad virtutem, & omne bonum est aptissima. Propterea propheta Hieremias, bonum est, inquit viro, cū portauerit iugū Domini ab adolescentia sua.

*2. Assidua eorum exercitatio.*

2. Assidua virtutum exercitatio & cultus. Quocircà quoties datur occasio, & datur ea sepe, & propè quotidie) aliquos virtutum harum actus facere adolescentes pij debent, vt longo earum vsu, & frequentatione actuum, sensim habitus quidam virtutis comparetur; quem consequi & excipere solet oblatio quædam, & facilitas cuiusq; virtutis exercendæ.

*3. Vsu & consuetudo bonorum.*

3. Vsu quidam & consuetudo bonorum virorum, quorum exemplis, monitis, & reprehensionibus nonnunquam, ad virtutis perpetuum studium inflammemur. Ea fuit sanctorum quotidiana praxis veluti simulacra quædam

dam inspirantia, & actuosa, proborum virorum  
sive superiorum & magistrorum, sive sibi æ-  
qualium, ac etiam inferiorum mores obser-  
uarent, & ad eorum normam suos postea  
componerent.

4. *Privata Consuetudo alicuius amici.*

4. Privata consuetudo, & usus amici alicuius intimi, virtute & moribus conspicui, qui sincerus sit, & fidelis, ac egregie in Domino amicus. De quo Spiritus sanctus (Eccl. 9.) *Amicus fidelis, protectio fortis, qui invenit eum, invenit thesaurum.* Inter duos ergo amicos lex sit & vinculum mutuò sese observandi, notandi, admonendi, reprehendendi; ac singulis septimanis præstituto die aliquo sincere, & candidè aperiendi, si quid præter virtutem & officium in gestu, verbo, opere ab alterutro factum sit, quovis loco, & tempore. Incredibile est, quantæ eius intimæ & sanctæ amicitie utilitas sit, & voluptas. Tali inter se amoris vinculo nexuque coniuncti fuerunt olim duo illa orientis lumina, S. Basilii, Gregorius.

5. *Quotidiana sui profectus discussio.*

5. Quotidiana sui sub vesperum discussio; quantum scilicet singulis diebus in virtutis operatione promovimus, vel recesserimus.

6. *Novissimorum meditatio.*

6. Stimulos mirabiles ad virtutum cultum

sufficit crebra nouissimorum meditatio ; vt nimirum quas tunc optabimus virtutes, & earum multiplicata opera, iam nobis hoc tempore conquiramus, & amplificemus. Propterea de iis egimus lib. 7. c. 4. & 5.

7. *Exempla Christi, B. Virg. & SS.*

7. Vitæ Christi, & B. Virginis, Sanctorum que exempla tanquam perfectæ virtutum omnium idæ perpetuo oculis nostris propofita esse debent.

8. *Oratio.*

8. Denique frequens SS. librorum lectio, verbi Dei auditio, Sacramentorum frequentatio, & oratio, eximia sunt ad virtutes omnes comparandas vel conseruandas præsidia. Præclara est, & plane aurea B. Thomæ Aquinatis oratio, cuius initium est: *Concede mihi misericors, &c.* ad virtutes propè omnes obtinendas aptissima. Eam in superioribus lib. 6. c. 5. inuenies, sed tu quotidie & verbis & factis eam exprime. Ibidem verò etiam alias orationes breues pro singulis ijs virtutibus, quas hic paulò antè enumerauimus, impetrandis reperies: Quibus vtiliter, & opportune præmittes, vel Hymnum de Spiritu sancto *Veni creator, &c.* (lib. 6. c. 1.) vel certe, *Aue Mariæ stella, &c.* ad B. Virginem (lib. 6. c. 3.) vt eius intercessione eas virtutes facilius consequi & exercere possis.



## OPERA MISERICORDIÆ.

**A**D exercitationem virtutum, quibus Adolescentes studiosos par est excellere, etiam opera Misericordiæ pertinent, tam Corporalia, quam Spiritualia, ut dicere possint cum B. Iobo, (Iob. 31.) *Quia ab infantia mea, crevit mecum miseratione, & de utero matris meae, egressus est mecum.*

## De corporalibus misericordiæ operibus,

**M**isericordiæ opera ad corpus ipsum spectantia, sunt: Esurientes pascere. Potum dare sitientibus. Operire nudos. Captiuos redimere. Hospicio peregrinos excipere, Ægros inuisere. Mortuos sepelire. Omnibus denique miseris pro facultate, & necessitate subuenire. De horum singulis in particulari non est, quod agamus, sola ea quæ ad infirmorum, Defunctorumque charitatem pertinent, habere videntur peculiarem præ cæteris considerationem. De ijs igitur, vide quæ ante disseruimus, libr. 6. cap. 5. in fine copiosè satis.

Propria autem Christianorum sunt hæc officia, quibus proinde à Christo Domino dicitur: Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater Vester misericors est.* Et iterum: (Matt. 8.) *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Nam in primis misericordię opera alumnis suis vitam æternam conciliant, sicut colligitur ex vltima magni Iudicis sententia. Matth. 25.

2. Per ea satisfacit homo pro peccatis suis, & ab igne purgatorio liberatur.

3. Augetur per eadem fiducia in Deum, ac internum animi gaudium. *Elemosina*, ait Tobias cap. 4. *ab omni peccato liberat, fiduciaq; magna erit coram summo Deo omnibus facientibus eam.*

4. Consequitur per ea sepe homo bonorum temporalium copiam, quod in numeris exemplis probari potest.

*Conditiones ad opera misericordia requisita.*

Cæterum vt tantos fructus ea pariant, debent primum præstari ex vnus Dei amore, siue propter Deum, non ob humanum aliquem respectum cognationis, affinitatis privati amoris, &c.

2. Abundanter, secundum cuiusq; facultates & proximorum necessitates.

3. Alacriter: hilarem enim datorem diligit Deus.

4. Cum magna humilitate. Diues enim dat rem vilem, & accipit regnum cœlorum. Vnde non est, quod pauperibus se præferat, quia plus ab illis accipit, quam donet.

5. Ex bonis propriis, non alienis; secus si fiat (ait B. Isidorus) non est officium miserationis, sed emolumentum magnum sceleris.

Sine spe-

6. Sine spe remunerationis sibi à proximo faciendæ: alioqui mutuū esset, non eleemolyna. Potest tamen à paupere sperari oratio. Utile autem est ad has conditiones exactè seruandas, nos in quouis paupere quantumuis vili & lacero, Christum Dominum mentis oculis intueri; qui dixit, iuramento etiam interposito, ad fidem magis omnibus faciendam: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

*De spiritualibus misericordiae operibus.*

Ignorantes docere, peccantes corrigere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, mortuos consolari, ferre patienter iniurias, offensam remittere: opera sunt misericordiae ad salutem animæ pertinentia, quæ eò prioribus excellunt, quo anima corpore præstat, & quo animarum salus curæ Deo magis est quam corporum.

Et quidem si ex penuria & paupertate excusari nonnulli possunt, ab executione corporalis misericordiae: à spirituali tamen præstanta misericordia vix possunt vlli excusari, & minimùm certè apud Deum excusabuntur adolentes studiosi, literatique viri, si cum facultas datur (& datur ea sæpè) eam præstare omiserint. Quocirca ingenij, iudicij, memoriæ, eloquentiæ, scientiæque munera, tanquàm credita sibi à Deo talenta, ad suam & aliorum salutem expendere debent; nunquam verò in terra defodere, occultare eū, nisi plagis vapulare multis velint, multò verò minus

in tuam, aliorumue perniciem, (quod diabolicum plane est) conuertere.

Duo autem potissima sunt spiritualis misericordiae officia: Ignorantes docere, & Peccatores corrigere: hoc est, ab errore ad veritatem, & à peccato ad virtutem proximos inducere. Primum fit exponendis Christianae fidei elementis, siue catechizandis rudibus in ijs quae ad fidem de mysterio S. Trinitatis, de Incarnatione filij Dei, de peccato originali de generis humani, per Christum mediatorem redemptione, de animae immortalitate, de gloria aeterna promissa bonis, & aeterna gehenna praeparata malis. Item de reali praesentia Christi Iesu in Eucharistia, & alijs id genus ad fidem & salutem necessarijs. Secundum verò declarandis Decalogi, & Ecclesiae praecipis, Sacramentorum Pœnitentiae, & Eucharistiae necessitate, usu & fructu, operibus iustitiae Christianae, quatuor nouissimis, &c.

Ad hæc autem alacrius obeunda, in memoriam reuocanda est. 1. Dignitas animarum. 2. Christi Iesu vita & labores, & mors pro earum salute suscepta. 3. Gloriam magnitudo proposita ijs, qui hæc charitatis officia proximis detulerint. *Qui docti fuerint, ait Daniel cap: 12. surgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudierunt multos, quasi stella, in perpetuas aeternitates.*



## CAPVT IV.

DE IIS QUÆ PROPRIE AD  
Congregationem Beatæ Virginis  
pertinent.*Et primum de institutione eiusdem.*

DE ea potissimum nos congregatione agimus, quæ in omnibus propè Societ. Iesv Collegijs vnus eiusdemq; formæ erecta est, ac maximo fructu pietatis inter studiosos Adolescentes & viros literatos toto palsim iam orbe propagata. Primum autem de Institutione atq; Approbatione eiusdem Congregationis per Summum Pontificem facta agemus: Deinde vtilitates varias, quas ea annexas habet, adferemus. Tum leges ipsas eiusdem explicabimus. Denique nonnulla quæ partim ad pleniorum huiusmodi legum observationem conducere possunt in singulis, partim ad ipsius congregationis meliorem conseruationem in vniuersis, adducemus.



ERECTIO PRIMARIÆ CON-  
gregationis in Ecclesia Annunciatæ beatissi-  
mæ Virginis Mariæ Collegij Romani Societatis Iesv, cum Indulgentijs, & cum facultate aggregandi qualuis alias congregaciones similes pro Generali Præposito.

GREGORIUS EPISCOPVS SER-  
uus seruorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.

Omnipotentis Dei Saluatoris nostri, qui ex pietatis suæ superabundantia, fidelium mentibus cœlestis inspirationis gratiam, & deuotionis ardorem, ad Diuinę Maiestatis obsequia, & piorum operum exercitia salubriter peragenda, continuo infundit, exemplo adducti, in eam pastoralis officij curam cogitationemq̃ sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium fructuosis huiusmodi operibus, & exercitijs vacantium, religio, & deuotio continuum sulcipiat incrementum: ijsque votiuâ salus proueniat animarum.

Alias siquidem per nos accepto, quod plerique probi & pij adolescentes bonarum literarum studiis in Collegio nostro Societatis IESV de vrbe insistentes, singulari erga beatissimam Mariam Virginem Dei genitricem affectu ducti, ac etiam Lectorum, & Magistrorum suorum spiritualibus cohortationibus ad id accensi. Ecclesiam Annunciationis eiusdem Beatę Marię in corpore ædificiorum dicti Collegij consistentem, certis statutis diebus & horis frequentare, & cum eximia deuotionis sinceritate, cordisque contritione conscientiam suam per Confessionis, & sanctissimę Eucharistię ministerium expurgare, ac diuinis officiis, colloquijs, & exhortationibus spiritualibus, aliisque pijs & salutaribus

taribus operibus vacare soliti erant, factoque inde ad illorum exemplum maiore aliorum concursu, mutuis studijs se inuicem confocauerant. Nos, ut pius hoc institutum per amplius coalesceret, iisdem & aliis Christi fidelibus huiusmodi spiritualibus operibus & exercitijs pro tempore, addictis, nonnullas indulgentias, & peccatorum suorum remissiones concessimus: prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti Filij Præpositi Generalis dictæ Societatis petitio continebat in diuersis Mundi partibus, & præsertim insignioribus Europæ ciuitatibus, eiusdem Societatis Collegia ad Iuuentutem bonis moribus & virtutibus ornandam, ac vera pietate sacræque doctrina imbuendam propagare, illorumque externi scholares ibidem studiorum causa confluentes, optima deuotionis, & piorum operum huiusmodi exercitia feruenti studio imitari: & exinde multiplices fructus ad Dei solius gloriam, ipsiusque Diuini Nominis cultum, ac beatæ Mariæ Virginis honorem, nec non publicam salutem & spiritualem consolationem prouenire cœperint, & operæ precium sit, ut quemadmodum piarum, & fructuosarum exercitationum huiusmodi institutum à Scholaribus dicti Collegij de Vrbe, quod nostris auspicijs, & impensis magnifico ædificiorum & structurarum opere, à fundamentis innovatur, & extruitur, primordium suum in di-

cta Ecclesia Annunciationis beatæ Mariæ habuit: ita quoque inibi eorundem scholarium primaria Congregatio, seu primarium Sodalitium, sub titulo eiusdem Annunciationis beatæ Mariæ ad laudabile eorum in piis operibus, & officiis huiusmodi studium nostris beneficiis, & indulgentiarum præmiis conservandum ac augeendum, stabiliatur, & instituitur: pro parte ipsius Præpositi nobis fuit humiliter supplicatum, ut præmissis annuere, & desuper oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur religiosum ipsorum scholarium, & in his spiritualibus exercitiis studium piæ voluntatis affectu prosequi volentes, ipsumq; Præpositum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & à pœnis à Iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum seriè absolventes, & absolutum fore censentes; Necnon literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem Ecclesia vnam seu vnum externorum Scholarium dicti Collegii nostri, ac etiam aliorum Christi fidelium Societati prædictæ deuotorum primariam Congregationem seu primarium Sodalitium, sub titulo Annunciationis B. Mariæ huiusmodi, quæ seu quod per prædictum & pro tempore existentem Præpositum



positum Generalem dictæ Societatis, seu illo defuncto, donec alius ad officium præpositi Generalis huiusmodi Canonicè assumatur, per Vicarium etiam Generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò, sine tamen ipsius Societatis præ iudicio, erigimus & institui-  
mus.

Vt autem primaria Congregatio, seu primarium sodalitiū huiusmodi per gratiarum & munerum cœlestium largitionem, deuotionis, ac pietatis iugiter proficiat incrementis, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritatē confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui deinceps in Sodales eiusdem primariæ Congregationis, seu primarij Sodalitij recipiuntur, tam die receptionis eorum, si sanctissimū Eucharistiæ Sacramentum in prædicta Ecclesia, aut vbicunque potuerint, eo die sumpserint, quam in mortis articulo, nec non ipsis, ac omnibus & singulis aliis vtriusque sexus Christi fidelibus etiam verè pœnitentibus & confessis, sacraque Communionem refectis, qui Ecclesiam prædictam die Festiuitatis eiusdem Annunciationis beatę Marię à primis Vesperis vsque ad occasum Solis ipsius festiuitatis deuotè Visitauerint, & inibi pro Reipub. Christianæ conseruatione & augmento, hæresum extirpatione, Principumque Christianorum mutua & vniuersali Pace, ac

nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, pro ut vniciuque suggeret deuotio, ad Deum deuotè effuderint.

Insuper iisdem Sodalibus similiter verè poenitentibus, & confessis, qui in Natiuitatis & Ascensionis, Domini nostri Iesu Christi, ac Annunciationis, Assumptionis, & Conceptionis: Necnon Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis Festis diebus prædictum sanctissimum sacramentum, ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem Apostolica auctoritate, & tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus, & elargimur, ipsi que Sodalibus, qui de eorum numero existentium, vel aliorum Christi fidelium defunctorum corpora ad sepulturam Ecclesiasticam associauerint, aut infirmi, vel impediti, audito signo campanæ, genu flexi, si per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pro salute animæ defuncti, vel corporis infirmi, recitauerint; nec non qui Congregationibus tam publicis, quàm priuatis ac Diuinis officiis spiritualibusque colloquiis, exhortationibus, & alijs pijs officijs etiam in Sodalis, seu aliorum Christi fidelium defunctorum suffragium per primarium Sodalitium ordinandis, & ab ipso Præposito seu Vicario Generali approbandis: quique diebus feriatis Missæ sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore antequam cubent, Con-

scienti-

scientiam suam diligenter examinauerint, seu pauperes infirmos tam sodales, quam alios in Hospitalibus, vel priuatis domibus, necnon carceratos visitauerint, aut pacē inter inimicos conciliauerint, quoties horum quoduis fecerint vnum annum de ijs iniunctis vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis Apostolica auctoritate & tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus; Quasunque alias præsentibus non expressas indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenarias, & relaxationes Scholaribus, & aliis prædictis ratione dicti eorum instituti, vel alias in communi per nos, & sedem Apostolicam quomodolibet concessas, reuocando & abrogando.

Insuper ne præfati Sodales, si aliquando eos ab ipsa vrbe abesse, vel alibi commorari contingat, huiusmodi indulgentiarum spiritu alium effectu, & fructu frustrati remaneant, iisdem sodalibus extra urbem vbiuis locorum pro tempore commorantibus, vt in locis vbi eos pro tempore residere seu cōmorari, contigerit, opera prædicta, quæ ipsa sodales in vrbe præsentibus, pro singularum indulgentiarum remissionum & relaxationum huiusmodi consecutione obseruare deberent, apud Ecclesias eorundem locorum, aut alibi prout poterunt obseruando, & exequendo, omnes eadem Indulgentias, remissiones & relaxationes habeant, & illæ ijs pariter suffragentur, nec non tam in Vrbe præsentibus, quam alibi vbiuis

vbius locorum commorantes, Sodales primarie Congregationis, seu primarii sodalitiū huiusmodi, qui singulis Quadragesimalibus, & aliis anni temporibus, ac diebus stationum Ecclesiarum dictæ vrbis, & extra illius muros, quæ à Christi fidelibus pro consequendis Indulgentiis, & remissionibus visitari solent dictæ societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam seu Capellam in locis vbi eos pro tempore residere seu morari conuerit, vt præfertur deuotè visitauerint, & ibi, septies Orationem Dominicam, & septies Salutationem Angelicam recitauerint, tot, & eadem Indulgentias consequantur quas consequerentur, si iisdem temporibus & diebus singulas Ecclesias dictæ vrbis, & extra illius muros huiusmodi, pro iisdem stationibus & indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitarent, ac omnia & singula, quæ pro huiusmodi gratiarum consecutione, quomodolibet requiruntur, plenè adimplerent.

Præterea iisdem Præposito, seu Vicario Generali, pro tempore existenti, vt in quibusuis aliis dictæ Societatis Collegiis extra urbem prædictam per vniuersum orbem nunc, & pro tempore erectis, seu eorundem Ecclesiis, pro eorundem piorum operum incremento, quascunque alias, seu quęcunque alia Scholarium ibidem literarum studiis insistentium & aliorum Christi fidelium ipsi Societati deuotorū congregationes, seu Sodalitia, sub eo titulo



ria congregatione, seu primario Sodalitio, tanquam membra à capite dependeant, Autoritate nostra, sine tamen Societatis, aut Collegiorum, & Ecclesiarum huiusmodi præiudicio erigere, & instituere, illatq; seu illa eisdem primarię congregationi, seu primario Sodalitio, aggregare, ac eis sic erectis, institutis, & aggregatis, eorumq; Sodalibus prædictas, ac omnes & quascunque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias & facultates tam spirituales quàm temporales à nobis dictaq; sede primarię congregationi, seu primario Sodalitio de cætero concedendas, ita vt Sodales aliarum Congregationum seu aliorum Sodalitiorum, huiusmodi obseruantes, & exequentes ea, quæ ipsius primarię Congregationis, seu primarij Sodalitij Sodales pro indulgentiis, remissionibus, & relaxationibus huiusmodi, consequendis obseruare, & exequi debent, easdem Indulgentias, peccatorum remissiones, & relaxationes pariter consequantur, facultate aggregandi, & gratias huiusmodi alijs concedendi duntaxat excepta. communicare.

Nec non tam primariam, seu primarium, quam omnes & singulas ei aggregandas Congregationes, seu omnia & singula ei aggreganda Sodalitia huiusmodi per se vel alium, seu alios eiusdem societatis Presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos visitare, & pro earum felici statu, regimine, & directione, quęcunque statuta, constitutiones, & decreta, licita tamen

tamen, & honesta, sacrilq; Canonibus, & cō-  
ciliū Tridentini decretis non contraria, nec  
non ab ipso Præposito, seu vicario, si per ali-  
um, vel alios deputandos huiusmodi fiant,  
examinanda & approbanda edere; ac post-  
quam edita fuerint, quoties pro eorum & tē-  
porum qualitate, aut alias expediens ei vide-  
bitur immutare, corrigere, moderari, & re-  
formare, aut alia ex integro condere liberè,  
& licite valeat, eadem auctoritate Apostolica  
& tenore perpetuò concedimus, & indulgemus;  
decernentes statuta, constitutiones &  
decreta huiusmodi postquam edita, immuta-  
ta, correctā, moderata, reformata, & condi-  
ta fuerint, ab omnibus localibus prædictis in-  
uiolabiliter obseruari debere, ac præsentis  
litteras sub quibuscunque similium, vel dissi-  
milium indulgentiarum, & aliarum gratia-  
rum reuocationibus, suspensionibus, limita-  
tionibus, derogationibus, & aliis contrariis  
dispositionibus, etiam in fauorem Basilicæ  
Principis Apostolorum de vrbe, seu Crucia-  
tæ sanctæ, aut alias per nos, vel alios Roma-  
nos Pontifices successores nostros, aut dictā  
Sedem, etiam motu proprio, & ex certa sci-  
entia Apostolicæ potestatis plenitudine, seu  
ad quorumuis etiam Imperatorum, Regum,  
Reginarum, Ducum & aliorum Principum  
instantiam, pro tempore quomodolibet fa-  
ctis, minime comprehendi; sed semper ab il-  
lis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties  
in pristinum statum restitutas, repositas, &  
plena-

plenariè reintegratas, ac de nouo concessas esse & censeri; Nec non omnibus quos illæ concernunt, suffragari debere. Irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus præmissis, & nostra de indulgentiis, ad instar non concedendis ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Volumus autem vt eorundem præsentium transumptis etiam impressis Secretarij ipsius Societatis vel Notarii publici manu, & personæ alicuius in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel pro tempore existentis Præpositi, aut Vicarij Generalis eiusdem societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides, vbiq; locorû in iudicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc propaginã nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ ad Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1684. No- nis Decembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

*Pro Reuerendissimo D. Summatore A Iustiss,  
Registrata apud Ioan. Baptist. Secretarium.  
Ioan. Baptista Canobius.  
Alex. de Alexys.  
Iacobus Ximenez Secr.*

## CAPVT V.

UTILITATES VARIÆ CON-  
gregationum B. Virginis.

*Non esse nouum institutum erigendi Sodali-  
tates in honorem Virginis Maria.*

**V**T de religiosis ordinibus, quos propè o-  
mnes Beatissimam Dei parētem pro Do-  
mina, patrona, parenteque etiam sua af-  
ficiuisse constat, nihil adferamus: variæ inter  
Christianos maiorum nostrorum seculis, ere-  
ctæ fuerunt, sub auspiciis D. Virginis Sodali-  
tates.

Hungarica inprimis gens vniuersa, à bea-  
to Stephano primo eius gentis rege Christia-  
no, D. Virginis, cui admirandæ operæ Basili-  
cam in regia Albanensi vrbe erexerat, tutelæ  
ac potestati addicta, & consecrata est, ex eo-  
que tempore Hungaria tota Dei parentis fami-  
lia appellata est. *Vide Laurent. Sur. in Vita S.  
Stephani, & Gerardi Episcopi.* Et sane Beatif-  
simæ Virginis apud eam gentem tam eximia  
fuit veneratio, vt non ausi præ reuerentia,  
Mariæ nomen pronunciare, eius loco Domi-  
næ vo-



næ vocabulum passim usurparent: Quod si contigisset Mariæ nomen pronunciari, actutum flexis genibus, demissisq; capitibus illud venerabundi exciperent.

Huic amplissimæ Hungarorum olim pietati, ac familiæ virginæ succedere possunt innumeræ per Europam excitatæ Sodalitates eorum, qui religionis, cultusq; Deiparæ gratia, ad sacram illi Lauretanam ædem peregrinati sunt.

Sunt & alia in Hispaniis, Gallijs, & Germania, Belgioq; in variis ciuitatibus, & vrbibus instituta sub augustissimo Mariæ nomine sodalitia, in quibus vtriusq; sexus fideles Deo Domino, parentiq; eius deseruiunt.

De Italia id dico tantum: beatissimæ virginis tam sacram propè & deuotam fuisse, quam tota olim fuerit Hungaria. Priuata autem ante annos prope ducentos, & quidem celeberrima, in vrbe Senensi fuit sodalitas, quæ vulgo Confraternitas bene disciplinatorum, siue benemeratorum B. Virginis dicebatur, in domo Hospitali, quæ à scala nomen habet: ad quam sodalitatem, non admittebantur, nisi quorum fama esset integra, bonaq; existimatio. Ex hac vnica sodalitate abeuntibus per omnes propè Italiæ vrbes confratribus, vbiq; eiusmodi benemeratorum sub auspicijs B. virginis Congregationes excitatæ sunt. Et ex eo quidem Sodalitio prodire complures viri sanctitate & eruditione clarissimi, Ioannes imprimis Columbinus Iesuatorum institutor:

Franciscus Vincentinus Montis Oliueti cum Bernardo Tolemero fundator: D. Bernardinus ordinis Minorum decus egregium, a liisq; permulti, siue Ecclesiastici, siue laici spectata probitate viri. (vide vitam S. Bernardini apud Surium Tom. 7.)

*Sodalitas Rosarij.*

Sed omnes hasce Sodalitates, sui dignitate, fructuq; superauit nobilissima sanctissimi Rosarii sodalitas à B. Dominico ordinis prædicatorum fundatore, circa partes Tolosanas, primum instituta, ac deinceps per Europam vniuersam egregiè propagata. Cuius id fuisse refertur initium. Cum Italiae, & Galliarum finitimæ partes, hæresum nebulis, & Albigensium maximè in ditionibus Tolosanis, & circumcirca positis Prouincijs miserè corruperentur, ad eas excidendas B. Dominicus Spiritu Sancto afflatus ad eam, quæ cunctas hæreses (vt canit Ecclesia) sola interemit, mentibus, animisq; confugiendum credidit. Itaq; piæ per calculos aut orbiculos orandi modum (quod Rosarium dicimus) omnibus etiam ignaris, ac rudibus peruium instituit; quo noua hac precandi forma, pulsatis hæresum tenebris noua lux Catholicæ fidei aperiretur, ipsiq; fideles in alios quasi viros euaderent. Nec eum fefellit opinio: Ita enim obuiis omnium vlnis exceptus est hic precandi ritus, ita eo contriti Albigenes, ea excitata quam primùm vtriusq; sexus pia sodalitia, vt

maximo

maximo Christianæ religionis bono, quod Sanctus vir intenderat, & quidem multò opinionione sua amplius, consecutus sit. Quo factum, vt & Rosarii ritum, & mysteria Rosario expressa, & institutas sub Rosarii nomine Sodalitates summi Pontifices, magno sanè numero approbauerint, & indulgentius maximis beauerint.

*Sodalitas Annunciata Virginis.*

Hac celeberrimam Rosarii Sodalitatem cepit Annunciatae Virginis congregatio, ad illius imitationem, in singulis propè Societatis Collegiis, non per Europam modò, sed & per Americam, nouum Orbem, & Indias, tum quæ ad Orientem, tum quæ ad occidentem spectant, instituta studiosos inter & literatos, vt plurimum viros siue Ecclesiasticos, siue seculares: cuius erectionis diploma proximo capite descripsimus. Quantos autem fructus ea sodalitas vbius locorum protulerit ipsa satis indicat: vt meritò vsurpare illud psalmistæ liceat: *A Domino factum est istud; & est mirabile in oculis nostris.*

Sed ad huiusmodi sodalitatum bona particularia, vtilitatesq; eximias veniamus,

**Bona, & vtilitates Sodalitatum beatissimæ Virginis Mariæ.**

3. *Confirmatio quadam & similitudo vite perfectioris & religiosa.*

Primum

PRIMUM Sodalitatis bonum esse potest conformatio quædam, & similitudo vitæ perfectioris & religiosæ, quam sancti Patres tantis laudibus extulerunt, & vitæ Christi, ac discipulorum eius conformem iudicauerunt, in qua etiam figuram & imaginem vitæ illius cœlestis ac beatæ adumbratam esse tradiderunt. Cum verò non omnibus liceat esse Religiosis; in hac Sodalitate umbram aliquam & similitudinem perfectioris eius vitæ habent & Ecclesiastici, & seculares, vt ex sequentibus elucescet.

2. *Patrocinium B. Virginis.*

Nam in primis Sodales in clientelam se potentissimæ maximeq; Virginis matris Dei tradunt, sub eius alis delitescunt, illi sacri & dicati sunt, deniq; ita se ei committunt, vt omnia non modo tacta, sed etiam cogitata per eam Deo sincere consecrent. Quid autem non sperare, non impetrare possunt tantæ Principis, tam potentis Dominæ, tam benignæ parentis fulti præsidio?

3. *Suavis & pia Sodalium Societas.*

Prætereà non exiguum bonum est sodalitatatis suavis, ac pia sodalium societas. Nihil certè ad vitam, cum virtute transigendam homini magis conferre potest, quam in bonorum societatem coire: quod pluribus postea demonstrabitur.



4. *Communicatio mutua precum cum vniuersis per orbem Sodalitatis.*

Quartum Sodalitatis bonum, summa est inter Sodales omnes coniunctio bonorum operum ac orationum, quæ tum ab vniuersa Congregatione; tum à singulis Sodalibus sunt: quarum siue præsentibus, siue iuxta ex causa absentibus; siue domi, siue foris negotiorum causa agentes, siue integri, siue ægri, participes sunt, si modo sodalitatis non mortua, sed viua membra sint. Quin etiam cum Congregationes singulæ ad Romanam, reliquarum omnium primariam, & caput aggregatæ sint, eademq; sit capitis, & membrorum ratio, vita, sensus; quis non videat eadem sodales Poloniæ, vel Germaniæ, omnes bonorum operum, precum, orationum, meritum, sacrificiorum communione, gaudere cum Romana, ac per consequens, cum cæteris omnibus, quæ ab illa tanquam à fonte, & origine profluunt, illiç tanquam capiti, vt membra coniunguntur?

5. *Scripta Regula.*

Quintum sibi locum vendicant scriptæ regulæ. Quoniam enim nihil tam sanctum, nihil tam studiosè, & diuinitus institutum est, quod non statim diffluat, & dilabatur, nisi quibusdam legibus, ceu propugnaculis, & vallibus muniatur, ac confirmetur: propterea hæc Congregatio suas leges, ac Regulas, ab

Romana Sodalitate, omnium primaria & principe ad cæteras per Christianum orbem missas; quæ etsi neminem sub peccato obligent, quia tamen adiumenta quædam sunt, quibus Deo, parentibus eius Dominæ nostræ magis placeamus, satis apparet, parum de B. Virginis honore & gloria, deq; salute propria sollicitum esse, qui eas faciliè neglexerit.

*6. Frequent confessionis & communionis usus.*

Sextum congregationis bonum, frequens est Confessionis & sacrosanctæ Communionis usus, quo potius nihil est ad bene, beateq; viuendum, vt suo loco pluribus ostensum fuit, lib. 5. c. 1.

*7. Indulgentia.*

Adiici ad hæc bona debet, quod ex Indulgentiis huic sodalitati concessis colligitur, adeò vt nullum ferè virtutis opus ab Sodalibus præstetur, quòd remissione, relaxatione q; pœnarum aliqua non fructuosius fiat. Et quidem vt in hanc Sodalitatem ingredientem indulgent. plen. excipit: ita hinc ad aliam morte commigrantem prosequitur. Sed de his paulo post plenius seorsim videbimus.

*8. Frequentes exhortationes.*

Non omittendæ sunt crebræ ac frequentes exhortationes, quæ in Congregationibus habentur, quæ ad currendum alacrius stimulos admoueant; quæ torpentem in nobis charitatem

ritatis ignem, exuscitent, quæ denique nos doceant, illustrent, moueant, ad ea, quæ & salutis & sodalitatis sunt, nauiter omnino ac ferutè constanterq; obeunda.

6. *Cura infirmorum.*

Excipit bona hæc, maximè necessarium in morbis ac infirmitatibus, extremisq; vitæ angustis adiuuentum. Infirmum enim Sodallem, cæteri publicis priuatiscq; precibus impense Deo, Beatæq; Virgini commendant; inuisunt solanturq; aliqui, ac donec vis se morbi remiserit, aut feliciter hinc demigrauerit, non cessant eum habere sibi commendatum.

10. *Cura Defunctorum Sodalium.*

Nec modo ad viuos extendit se Sodalitatis huius beneficium, sed vita quoque defunctos prosequitur. Si enim facultas aliqua offeratur, defuncti Sodalis corpus, cæteri ad sacram sepulturam deferunt; animam vero precibus communibus, officio defunctorum, Missæ sacrificio, priuatiscq; aliis precibus, meritis, suffragiiscq; comitati, ad Deum attollere contendunt.

Quam igitur & felix, & expetenda sit Sodalitas, quantis ad verissimè pietatis prosequendum cursum facultatibus abundans, ex his decem illius bonis & vtilitatibus, sat demonstratum credimus.

*Indulgentia varia Congregationi huic B.  
Virginis concessa.*

**I**Nter alias Sodalitatis vtilitates, etiam Indulgentias numerauimus, paulo ante. Ex verò longe maximè sunt, vt ex sequentibus apparebit.

**BREVE COMPENDIUM INDVLT-  
gentiarum Congregationis ex Bul-  
la Erektionis eius proximo capite  
posita, excerptum.**

*Indulgentia plenaria.*

**I.** **Q**uo die in Sodalitatem quis recipitur, si verè pœnitens, & confessus fuerit, eodemq; die sanctissimum Sacramentum sumpserit, in Ecclesia vbi prædicta Sodalitas fuerit, vel vbi potuerit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem consequitur.

**II.** Item in articulo mortis.

**III.** Quicumque Sodales; aut qui sunt extra Sodalitatem Christi fideles; vtriusq; sexus verè pœnitentes & confessi, ac sacra Communionem refecti. Ecclesiam seu Capellam, oratorium seu locum vbi erunt, in die Annunciationis B. Mariæ, vel alterius solennitatis, inuocationis seu tituli, sub quo vna quæq; sodalitas erecta sit, à primis eiusdem diei vespere usq;



ris vsque ad solis occalum eiusdem festiuitatis pie visitauerint ; & ibidem pro Reipub. Christianæ conseruatione & augmento , pro hæresum extirpatione , Principum Christianorum mutua & vniuersali pace, ac Romani Pontificis prosperitate orauerint, vel alias preces pro sua quisque deuotione effuderint, Indulgentiam plenariam consequuntur.

IV. Item Sodales qui festis diebus Natalis, & Ascensionis Domini nostri IESU Christi, & Annunciationis, Assumptionis, Conceptionis & Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, verè pœnitentes & Confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ibidem vel alibi sumserint.

*Indulgentiam vniuersi anni consequuntur Sodales toties quoties.*

**C**orpora Sodalium, vel aliorum Christi fidelium ad Ecclesiasticam sepulturam profecti fuerint.

II. Item infirmi vel impediti, qui audito signo campanæ, genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pro saluatione animæ defuncti, vel corporis infirmi, recitauerint.

III. Qui coetibus tum publicis, tum priuatis interfuerint.

IV. Qui diuinis officijs interfuerint.

V. Qui spiritualibus colloquijs & exhortationibus interfuerint.

VI. Qui pijs officijs etiam in Sodali um,

vel aliorum Christi fidelium defunctorum per ipsam congregationem ordinandis, & à R. P. Generali Societatis IESV, vel eius Vicario approbandis interfuerint.

VII. Qui Missæ sacrificio diebus feriatis interfuerint.

VIII. Qui conscientiam suam diligenter examinauerint vesperi antequam cubitum eant.

IX. Qui pauperes infirmos tam Sodales, quam alios in Hospitalibus, vel priuatis domibus visitauerint,

X. Qui carcere detentos visitauerint.

XI. Qui pacem inter inimicos conciliauerint.

*Indulgentia Stationum Urbis Romæ.*

Omnes præterea Indulgentias consequuntur Sodales Stationum Ecclesiarum urbis siue intra, siue extra muros illius; si diebus Quadragesimæ, & aliis anni temporibus: ac diebus stationum huiusmodi, Ecclesiam Societatis IESV, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Capellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, deuotè visitauerint, & ibi septies orationem Dominicam & septies Angelicam Salutationem recitauerint.

Has vero omnes indulgentias consequi poterunt Sodales etiam vbiuis locorum commorantes, si apud Ecclesiam eorundem locorum aut alibi, vt poterunt, opera præstabunt, quæ sunt seruanda ad huiusmodi Indul-

genti-

gentias consequendas, prout in singulis a nobis notatum est.

Porro quod ad indulgentias Stationum Urbis attinet, quoniam eæ & plurimæ sunt, & paucis satis notæ: operæ precium facturi videmur, si earum etiam breue Compendium, in gratiam Sodalium, his subijciamus.

COMPENDIUM STATIONVM  
Urbis Romæ, cum ipsarum  
Indulgentiis.

*Longum esset singulas Stationes, earumq; Indulgentias sigillatim persequi: paucis itaque eas comprehendemus.*

**D**ominicis diebus. Singulis Dominicis Adventus, Septuagesimæ, Quadragesimæ.

Item, secundis Dominicis singulorum mensium: singulis quoque Dominicis mensis Maij Stationes aliquæ habentur & amplissimæ feræque semper plenaria Indulgentia.

*Festis diebus*, Vigilia, & die Natiuitatis Domini in singulis Misis. Item festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschæ, ac per totam Octauam Ascensionis die, Vigilia, ac festis Pentecostes, totisq; Octauis Trinitatis: Venerabilis Sacramenti, ac per Octauam: Festo deniq; Transfigurationis, *Indulgentia semper plenaria*, aliæq; plurimæ & maximæ.

*Festis B. Virginis*, Festis Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis

ciuitatis, Conceptionis B. Virginis, ac singulorum horum octauis: & festo Præsentationis eiusdem Stationes; *Variæq; plenariæ Indulgentia* in variis illic sacris ædibus habentur.

*Festis Sanctorum.* Mense IANVARIO. Festis SS. Marcelli, Antonij, Cathedræ sancti Petri, Sebastiani, Agnetis, Conuersionis S. Pauli S. Chrysoft. *Indulgentia, maxima, ac serè semper plenaria* aliquas Ecclesias Romæ visitantibus conceduntur.

FEBRVARIO. Festis S. Agathæ, Cathedræ S. Petri, S. Mathiæ, *plen. Indulgentia.*

MARTIO. Festis. SS. Thomæ, Gregorij, Ioseph. *plena Indulg. S. Benedicti magna.*

APRILI Festis S. Georgij, & Marci. *Indulgent. plenaria.*

MAIO. SS. Philippi & Iacobi, S. Monicæ, Inuentionis S. Crucis, Ioannis ad portam Latinam, Apparitionis S. Michaëlis, *Indulg. plenar*

IUNIO. SS. Barnabæ, Ioan. Baptist. Petri & Pauli, & Com. S. Pauli, *Indulg plen.*

IULIO. Octaua S. Ioannis, S. Alexij, Magdalencę, Iacobi, Annæ, *Indulgentia Plenaria,* S. Margarethæ 100. annorum.

AVGVSTO. Ad vincula S. Petri, S. Domini, S. Mariæ ad niues, S. Laurentij *plen. Indulg.* Per totam octauam S. Laurentij quotidie 100. Annorum & totidem quadragenarum, & remissio tertix partis peccatorum. Item festis SS. Bartholomęi, Augustini, S. Ioannis. *Indulg: plen.*

Septem-



SEPTEMBRI. SS. Aegidii, Nicolai Tolent. S. Crucis, Matthæi, Michaëlis, Hieronymi, *Indulg. plenar.*

OCTOBRI. SS. Francisci & per octauam Lucæ, Simonis & Iudæ, *Indulg. plen.*

NOVEMBRI. SS. Omnium, & die Animarum, dedicationis basilicarum saluatoris, & SS. Petri & pauli, SS. Martini, Cæciliæ, Chrysofomi, Catharinæ, Andreæ. *Ind. plen.*

DECEMBRI. SS. Barbaræ, Nicolai, Thomæ, Stephani, Ioannis, Innocentium Siluestri, *Indulg. plen.*

**F***eriatibus diebus.* Die Cinerum, ac singulis ferijs Quadragesimæ semper stationes, ac Indulgentiæ sæpe plenariæ, alias per magnæ.

Item diebus Rogationum, feria quoque 4. 6. & sabbato singulorum quatuor temporum amplissimæ Indulgentiæ: ac ferè semper plenariæ.

Item à 25. Martii vsque ad 1. Augusti, quotidie indulgentia 12000. annorum totidem Quadragenarum, & remissio 3. partis peccatorum ad S. Petrum.

A 20. Maij vsque ad 1. Augusti, magne quotidie Indulg. ad S. Ioannem Lateranensem.

A 25. Augusti vsque ad 3. Sept. quotidie Indulg. 12000 ad S. Mariam maiorem.

Singulis diebus Sabbati Indulg. plen. ad S. Mariam de populo.

**L***iberatio animæ è purgatorio.* Dominica in septuagesima feria 3. Dominicæ 1. in quadrages. Sabbatho Dominicæ 2.

Dominica 3. quarta & 5. Quadragesimæ.  
Feria 6. & Sabbatho Dominicæ 5. In Qua-  
drages.

Feria 4. Paschæ. Feria 5. & Sabbatho post  
Pentecosten.

Item Sabbatho 4. Temporum in Septemb.

Item festo. S. Ioan. Chrysof. 27. Ianuarij,  
& festo S. Ioan. ad portam Latinam 6. Maij-  
præter Indulgentias maximas liberatio est v-  
nius animæ è purgatorio.

Item eiusdem B Ioan. festo, 27. Decemb.

*Excerpta sunt ha Indulgentia, partim ex quodam  
libello Roma impresso anno 1580. sub Gregorio 13.  
& approbato per Sixtum V. 7. Ianuarij anni 1588  
partim ex alijs chartis & tabulis Neapoli, & in  
Hispania, deinde in Belgio & alibi impressis, ap-  
probatisq.*

*Hæc autem indulgentias consequuntur Christi  
fideles, qui visitant Ecclesias, Sibi eiusmodi stati-  
ones & indulgentia habentur, intra vel extra mu-  
ros Urbis Roma. Et quicumque privilegium ha-  
bent & facultatem à S. Sede Apostolica eas alibi  
consequendi; modò ea dicant, & faciant, qua in  
gratijs à Papa concessis præscribuntur.*

*Opere precium autem est, antequam quæ eas In-  
dulgentias obrinere velit, excitet in se contritionem  
peccatorum suorum, eaq; confiteri pro ijs satisfacere  
proponat. si enim in gratia Dei non sit, non pote-  
runt esse earum Indulgentiarum particeps. Ideoq; &  
similiter præmittet Confessionem Generalem, dicendo:*

Confiteor Deo omnipotenti, &c. Mi-  
sereatur nostri omnipotens Deus &c. Et ab-

solutio-

*olutionem quoque Generalem; Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens. & misericors Dominus, amen. Tunc recites orationes prescriptas in Bulla Pontificia, de quibus paulo ante diximus.*

## C A P V T VI.

## LÉGES CONGREGATIONVM

*B. Virginis, quam Collegijs Societatis IESV instituta, atque à Sede Apostolica approbata, Varijs Indulgentijs, & gratijs exornata sunt, ex Romano exemplari paucis comprehensa.*

I.

CVM beatissima Virgo Dei mater huius Congregationis patrona, illam defendere ac fouere existimanda sit, quippe misericordiae mater, quæ se diligentes diligit, & ad eam piè ac religiosè confugientes tueatur, ac protegat; propterea par est in primis, vt eiusdem Sodales non modo illam præcipua veneratione atque honore prosequantur; verum etiam vitæ morumq; integritate, virtutum illius præstantissimarum exempla imitari conentur, atq; vt sæpius inter se agentes mutuo se ad eius amorem & cultum studeant impellere, & ardentem quandam in suis animis excitare cupiditatem sanctissimi illius nominis extollendi.

II. Sodalitatem administrabit vnus ex Patribus Societatis IESV, & præfectus ipsius

Congregationis duorum assistentium ope atque consilio. Accedet his præterea Secretarius vnus, aliique duodecim, vbi sit numerosa Sodalitas, vel sex; vbi fuerint pauciores, quorum erit officium ac munus Præfecto in consultationibus, & in administranda Sodalitate præsto esse. Quare debitum illis omnes honorem deferent pro cuiusque dignitate, & in rebus ad sodalitem pertinentibus obtemperabunt.

III Quoniam huius Congregationis finis est virtus, pietasq; Christiana, & in Literarum studiis progressio; ad quem finem assequendum, Sacramentorum sanctissimorum frequentia perutilis est: ideo quicumque dare nomina Sodalitati voluerint, antequam recipiantur; Generali confessione, totius vitæ delicta expiabunt, si id nunquam egissent antea; vel certè, quæ à postrema generali confessione peccata cõmiserint, confitebuntur: Nisi tamen confessio huiusmodi iustis de causis ommittenda vel differenda, confessarij iudicio, videretur. Deinde Sodales omnes confitebuntur peccata, & sacram Eucharistiam sument primo quoque Dominico cuiusq; mensis: Præterea verò idem agent certis quibusdam Domini nostri, eiusq; sanctissimæ matris Festis diebus atque solemnibus; Natali videlicet Christi die, Circumcisionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Domini: die immaculatę Conceptionis B. V. sacro, itemq; eiusdem Natali, & Annun-

ationis >



ationis, festo, die Purificationis & Assumptionis; die autem Natali vel sancti Ioannis Baptistæ, vel sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; dieque Sanctorum omnium Solenni. Potest tamen aliquis ex diebus his Festis enumeratis, loco primæ cuiusque mensis diei Dominicæ, sumi; si quando in eandem Dominicam Festus ille dies incideret, aut ab illa certè non procul abesset, Officiales tamen præcipui qui supra recensiti, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta plus aliquanto quàm alij frequentabunt, si illorum Patri spirituali videbitur.

III. Dominicis diebus unà omnes conveniant; ac horam circiter in agendo de rebus spiritualibus ponent, ea ratione quam Pater Societatis, qui sodalitatem administrat, & Præfectus Sodalitatis præscribent.

V. Antequam agendi quicquam in conventibus initium fiat; pronuntiabitur hymnus sancti Spiritus, cum eiusdem Antiphona, versiculo, & oratione; item aliqua recitabitur ex Antiphonis cum versiculis, & oratione beatæ Virginis earum, quas in extremo eiusdem officio Ecclesia sacrosancta pro varietate temporum adhibere consuevit. Congregationem verò concludent vel eiusdem Virginis Litanie vel hymnus, Ave Maris stella, cum oratione, Defende quæsumus, &c.

VI. Quotidiè quoad licebit, Missæ sacrificio interint sumpta vero dictis supra diebus sacra Eucharistia, quartam horæ partem in præ-

catione mentali seu vocali, pro sua quisque commoditate ac deuotione collocabit.

VII. Quotidiè manè, vbi è lectulo surrexerint; posteaquam Deo pro acceptis ab eius diuina maiestate beneficijs, tum generalibus, tum præcipuis ac propriis gratias egerint; ter orationem Dominicam, & Angelicam salutationem, in honorem sanctissimæ Trinitatis pronuntiabunt, semelq; symbolum Apostolorum, & Salue Regina, præter alias pias preces quibus vti quisque de confessarii consilio poterit. Vesperi autem antequam se ad quietem, somnumque conferant, primum quidem conscientiam, examinabunt, deinde verò ter Pater, ter, & Aue, ac semel Psalmum, De profundis, pro defunctorum animabus pronuntiabuntur.

VIII. Suadent autem omnibus; quoniam ipsi maiorem quandam perfectionem quam cæteri profitentur; vt maius quoque studium in actionibus piis & Christianis adhibeant; cuiusmodi essent: sepius peccata confiteri, crebriusque ad sacram Christi corporis mensam accedere, Officium beatæ virginis, aut Rosarium recitare, mentali orationi non nihil temporis tribuere, die Sabbathi Litanias beatæ Virginis recitare: carcerem itidem nosocomia siue hospitales domos visitare, Christianæ doctrinæ elementa rudibus explicare, aliaque id genus pia obire munera, in quibus vel pro sua quisque conditione, & pietate separatim, vel cuncta simul Sodalitas poterit exerceri:

ceri : quemadmodum Pater qui Sodalitati præest, instituerit, atque suaserit, superiore Collegii approbante.

IX. Cum è Sodalibus aliquis ægrotauerit, eum tum Præfectus inuisendum, & sanctis Ecclesiæ Sacramentis muniendum curabit : tum omnes Domino suis precibus commendabunt. Quod si eum contigerit è vita discedere, Sodales illius funus ad sepulturam prosequantur. Deinde quò primum die commodum fuerit, mortuorum officium pro eodem, vel simul omnes in oratorio, si fieri possit, recitabunt; vel certè per se vnusquisq; separatim. Per octo autem dies Psalmum De profundis cum oratione pro defunctis pro illo dicent semel quotidie singuli. tota denique Sodalitas Missæ defunctorum sacrificium pro eius anima semel saltem offerendum curabit.

X. Si quem à loco, in quo Sodalitas est, recedere contigerit Patrem admoneat, aut Præfectum : quod si commodè possit : à tota quoque Congregatione aut Præfecto litteras patentes poscat, vt ab aliis quoque Sodalitiis, quò se fortè sit collaturus, tanquam vnus è Sodalibus recipiatur. Et quoniam velut vnus è Sodalium numero, etiam absens, meritorum Sodalitatis est, particeps : æquum erit, vt interdum de se, suisque rebus faciat reliquos certiores, ac sese Sodalium precibus commendet.

XI. Se inter se omnes vera, & sincera caritate diligant, curentque vt pacem, fraternam-

que

que concordiam tueantur; atque ut indies in veris Christianisq; virtutibus progressum faciant. Ut hoc autem facilius assequatur, plurimum proderit Sodalitatis conuentus frequentare, eiusdem exercitationes non prætermittere, cum ijs crebrò versari à quibus iuuari possint, improborum consuetudines, & quascunque occasiones vitare, vnde illis detrimentum aliquod posset adferri: (quales ludi sunt, fixe, contentiones, murmurationes aliaque incommoda, quæ bonum Sodalitij nomen & existimationem labefactant: ) Sed enitantur potius ut in consuetudine, morum honestate, in actionibus denique omnibus ita se gerant, ut eos dignos esse quilibet arbitretur, qui sint in beatissimæ Virginis tutela, in cuius Congregatione versantur.

XII. Quò faciliùs hæc statuta legesq; seruentur; non modò quisque eas apud se domi habeat & subinde legat; sed quoties Præfectus nouus ac reliqui officiales deligentur, publicè in Oratorio recitentur. Conetur porrò quisq; illis parere quàm diligentissimè.

## CAPVT VII.

DE IIS QUÆ AD CONGREGATIONIS  
*totius conseruationem & augmentum faciunt.*

**E**O pertinet in primis, ut singuli Sodalium, rite suo munere fungantur, in exacta legum  
 suarum



luarum omnium obseruatione. Sed & illud maximè conducit, vt Gubernatio congregationis vniuersim ritè instituat. Eo verò ipse stat potissimum secunda legum antepositarum. Cuius duæ sunt partes. Prima præfides ipsos congregationis constituit & informat, Altera quomodo singuli Sodalium erga eos se habere debeant, docet. Ad vtrâq; ista seruiet plurimum, benè expendere & executioni mandare quæ sequuntur.

*Considerationes aliquot administratoribus Sodalitatis perutiles, ad cultum B. Virginis promouendum.*

Sicut Filiorum est, parentis sui vtriusq; gloriam & vilitatem quærere, indiesq; se, si possint, augere; ita Sodalium omnium est, beatissimæ Virginis in se, aliisq; cultum promouere. Hoc si Sodalibus incumbit omnibus, certè vel maximè ijs incumbit, quibus commissæ est Sodalitatis gubernatio.

Existiment ergo ij primum, delectos se esse à D. Virgine, vt ipsius Sodalitatem & familiam curent.

Deinde inducant animum, nihil posse se dignius, & salutis suæ conuenientius facere, quàm si eius promoueant cultum, & gloriam, quæ Dei ipsius mater est optima, iuxta & potentissima, ac plane carissima.

Ad hæc sibi persuadeant: Sodales omnes Deiparæ virginis esse proles, & pignora quibus consulere, est ipsi eorum parenti & Do-

minæ

minę eximię gratificari, & placere.

Pręterea certo certius credant, nihil se facturos pro Sodalitatis bono, quod non sibi factum arbitretur B. Virgo. Itaque si diligentes se diligit, multo magis eos, qui alios tecum ad amorem ipsius alliciunt, diligit.

Postremò intelligent, ex his omnibus sequi dandam esse sibi operam, vt nauiter partes suas sustineant; vt in cętibus Sodalitatis, quantum per occupationes licet, sint assidui, raro absentes: vt cęteris omnibus vitę Christianę insignisq; modestię, exemplo pręluceant; vt in frequentatione Sacramentorum crebri sint vt in Regularum obseruatione cęteris diligentiores; vt Sodalitatis progressum quotidie Deo, Parentisq; eius in precibus, & sacrificijs commendent; vt denique cum egregia caritate; & diligentia commissum sibi munus obeant, non dubij accepturos se à beata Virgine dignam laboribus industriaq; sua mercedem.

*Qua plurimum facere possunt ad bonam Sodalitatis administrationem.*

**Q**uatuor pertinere videntur ad bonam Sodalitatis gubernationem. Primum est, si Officiales crebro inter se conueniant, agantq; de recta Sodalitatis, tum generatim, tum in propriis, ac peculiaribus rebus progressionem.

Secundum: Si Sodales singuli in certas classes distribuuntur, quarum singulas Officiales singuli inter se patiantur, vt consistere possit qua quisque diligentia partibus suis satisfaciat.

ciat.

ciat; qui infirmi sint, qui cæterorum precibus commendandi; qui vita defuncti, qui alio commigrarint, &c.

Tertium: si non multi nimis, & plus quàm decet, facilius admittantur. In multitudine enim multa sæpè confusio; & qui faciliè & cito admittuntur, facile etiam refrigescunt, & sodalitatæ exercitia, conuentusq; negligunt. Expediit ergo & Sodalitati, & illis ( de viris potissimum agimus ) vt non sine præuia consideratione, lectione regularum, obseruatione instituti sodalitatæ, eorumq; exculsione, quæ ad sodalitatem pertinent, admittantur.

Postremum: si annis singulis semel animorum, & Sodalitatæ, insigni ritu, & præparatione instituatur renouatio: qua sese omnes confessione præmissa, & Communione, beatissimæ Virgini rursus offerant: vt sic & totius anni admissæ in Sodalitati officio negligentæ benignè à benigna matre remittantur; & nouis quasi animi & corporis viribus ad eam solito alacrius, & diligentius colendam aggrediantur.

*Quanta solitudine parere debeant Sodales  
Præfatis & officialibus Sodalitatæ.*

**I**Nter omnes virtutes, quæ nos Duo gratiores, Christiq; Iesu similiores faciunt, est obedientia, cuius exercendæ potissimum causa, instituti sunt in terris sacri religiosorum hominum Ordines; vt nimirum in terris similitudo aliqua esset eius perfectissimæ obedientiæ,  
quæ in

quæ in cœlis est. Quocirca beatos se, & felices existimare debent Sodales, quòd tantæ virtutis exercendæ occasionem aliquam in Sodalitate habeant.

Sed & persuadere sibi debent; Obedientiam se præstare Dei matri, Domine, & Parenti suæ, quando eius locum in sibi sacra hac familia tenentibus obtemperant. Postremò magni meriti est, tam nobilem exercere virtutem, & voluntati aliquando suæ (cuius homines natura tenacissimi sunt) reluctari, vt alterius voluntati morem gerat. Qui verò dedignantur parere maioribus suis, & quæ sibi proponuntur in Sodalitate, pro virili sua exequi: sat ostendunt non esse se filios Mariæ, cui obedientia nihil fuit gratius; sed inobedientis Euc proles; non Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem, seruus; sed demònis, qui primus inobedientiæ auctor fuit, mancipia; ac propterea periculum esse, ne in ruinam & exitium præcipites abeant.

Orationes aliquot ad hunc locum  
facientes.

*Oratio quæ recitari subinde potest ab quouis  
Sodalitatis administratore.*

**O**Mnipotens, & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur, largire mihi indigno famulo tuo, vt omnes affectiones, & cogitationes meas in te dirigam. Illumina cor me-  
um gratia



um gratia Spiritus sancti; intelligentiam, memoriam, & eloquium ignitum dona, vt omni repulsa negligentia, officium meum bene prosequi, fructum efficaciter consequi, in cunctis tibi placere, & per omnia dignè laudare merear; quatenus & ego, & Sodales mei, (quorum aliqua mihi cura concredita est) in virtutibus ita proficiamus, vt ego cum illis, & ipsi mecum destinata laborum nostrorum æterna præmia simul percipere mereamur; meritis & intercessione præsidis, & Patronæ nostræ Mariæ, matris vnigeniti filij tui, Domini nostri Iesu Christi, cui laus, honor & gloria in secula seculorum Amen.

*Oratio ad Deum pro congregatione, & ijs  
qui illi præsunt.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende tu, per famulos tuos, & super Congregationes illis commissas, spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

## C A P V T VIII.

DE IIS QVÆ AD SINGVLARVM

Legum Congregationis exquisitam  
observationem conferant.

*Lex prima.*

**P**rima lex porissimum quem cultum B. Virgini tanquam Patronæ singulari debeant Sodales explicat, eumque tum in omni debito honore eidem exhibendo, tum in præstantissimarum virtutum eius, exemplis imitandis situm docet. Ad utrumque horum conferent plurimum, quæ in superioribus, lib. 6. c. 3. allata sunt, & lib. 7. c. 6. Nam quod ad honorem attinet B. Virginis; decem is officiorum generibus contineri priore illo loco docetur, idemque & ratio commendandi se eidem traditur, & modus recitandi Rosarij, Coronæque, & orationes variæ ad eam deuotissimè describuntur. Quod verò ad imitationem eiusdem spectat, ibidem eum ad finem particularis catalogus amplissimarum virtutum eius, ex D. Ambrosio recensetur secundò verò loco Meditationum etiam materia de iisdem proponitur.

*Lex secunda.*

Secunda lex de ipsa Sodalitatis administratione tractat; de qua nos capite proximo superiore satis.

*Lex tertia.*

Tertia, de Pœnitentia atque Eucharistiæ Sacramentorum vsu frequenti, agit, De ijs nos copiosè egimus in superioribus, de Pœnitentia quidem lib. 4. toto, vbi etiam de confessione

fione Generali fusè actum: de sacra verò communione, quidque ante eam, quid in ipsa, quid post pie præstandum, lib. 5. toto.

*Lex quarta.*

Quarta, dierum Dominicorum Fæstorum-que exercitia continet, Sodalitati propria. At id breuissimè Nam explicite solum publicum Congregationis conuentum commendat: de reliquo spiriualium rerum tractationem tum consuetam, magis innuit, quam explicat. Solet autem tum & de omni genere pietatis disceri & Sanctorum, etiam suis temporibus electio fieri. Ad huius ergo legis obseruationè, illud cum primis faciet: si & cœtus publicos illos diligenter frequentare discant sodales, & quid sibi vellent illa sanctorum electio intelligant. Eo verò conducet ritè expendere, que de vtroq; hoc genere hic subiiciuntur.

*Vtilitates & bona cœtuum publicorum.*

**M**erito Sodalitatis regulæ publicos sodalium cœtus frequentes constituunt. Nihil enim huiusmodi conuentibus vtilius.

Primum enim ad sodalitatis oratorium cõuenire aliud nihil est, quàm præsentia aliqua B. Virginis perfrui. Ipsa enim cum Sodalitati præsideat, haud dubiè singulariter in illis cœtibus præsidet, præsentiam suã alumnis suis exhibet, bona tunc sua omnibus maximè impertitur & communicat, eosdem filio suo commẽdat, & tanquam delicias suas ei offert, cui scit delicias reputari esse cum filiis hominum.

Dein

Deinde in publicis illis cœtibus sodales mutua societate, adpectu, & præsentia gaudent, quibus procul dubio bonū & iucundū est, si non habitare sæpè tamen cogi in vnum; quoniam scilicet, mandat illic Dominus benedictionē.

Præterea cū inter se sodales conueniunt, mutuo quasi sibi bona opera, virtutesq; communicant. Quicquid singuli habent boni affectus voluntatis sanctæ ac meriti in commune, quasi spirituale aliquod symbolum conferunt. Non defuerunt sæpè, qui confirmauerint ipso solo ingressu in Sodalitatis Oratorium, vel cū frigidi essent, calefactos, vel cū tepidi, confirmatos se fuisse. Sicut enim si quis in aulam, in qua luculentus focus est, ingreditur non potest non calefieri; ita qui in oratorium B. Virg: & illius præsentia illustratum, & tot propè ignibus, quod Sodales sunt, calefactum pedem infert: non potest non Dei amore inflammari, & spiritualis ignis scintillas persentiscere.

Adhæc quotiescunque Congregationibus intersunt, quoties exhortationem audiunt: vel alicui pio officio, quod in defuncti alicuius gratiam exercetur, præsto adsunt, toties pro singulis eiusmodi operibus, vnus Anni Indulgentiam Sodales obtinent.

Postremò, vt alia ommittamus, exhortationis alicuius pię, & ad institutum fructumq; sodalium accomodę, beneficio perfruuntur sodales: publicis precibus, quę pro viuis & defunctis offeruntur Deo, Matriq; gloriosæ, inter-

terlunt;



terfunt; seque dignos efficiunt, qui vicissim, quando postulabit necessitas; commendentur & aliorum adminicula experiantur.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, quantum virtutis, pietatis, bonorum exemplorum, meritorum, subsidiorum, patrociniij virginei, ac cæterarum salutem promouentium rerum iacturam faciant, & quam se indignos sodalitate constituent, qui facile ab eius modi cœtibus absunt, & minima seculari occasione congregationes negligunt.

*Quid sibi velit Sanctorum electio, & sententiarum distributio, qua in sodalitate fieri solet.*

**S**odalitas in primis ad augendum in alumnis suis sanctorum cultum, & honorem ad perfentiendam ipsorum meritis & iustitij opem Dei efficacius; mensibus singulis vnicuique sanctum aliquem designat, quem quisque toto mense colat; cui se crebro, mane potissimum, & vesperi commendet, quem sacris ille ferijs peculiari studio, cultuque obleruet, & veneretur; in eius scilicet honorem diuinam rem audiendo; vitam eius, si possit legendo; recitando aliquas illorum laudes, ut sunt hymni, psalmi, aut id genus alie orationes; faciendo aliquos deuotionis actus, ut sunt genuflexio, iunctio pectoris, refrenatio lingue, fuga dissolutionis, carnis castigatio, & his similes mortificationes voluntarie. Opus etiam aliquod misericordie obeundo; insignē aliquā eleemolynā faciendo, &c. Denique

nique virtutē eius aliquā ad imitationē sibi proponendo. Rectē enim B. Chrysoſtomus: *Quē delebas Sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium.*

Deinde, præter sancti electionem, adiungitur singulis sententia aliqua, vel ex scripturis sacris, vel sanctis Doctoribus deprompta, eam ut obseruent & quod monet, aut postulat, exequi studeant. Eundemq; ad finem etiam virtutum Christianarum aliqua ascribitur, ut in ea se particulariter exercent.

Præterea nominatim certus aliquis ex Confratribus commendatur, pro cuius incolumitate & salute, toto mense, peculiari cura, alter Deo supplicet. Quod genus orationis ut Deo est gratissimum, ita & fructuosissimum ob virtutem caritatis, quam ea oratio in se complectitur. Pro se orare, ait quodam loco B. Chrysoſt. necessitas cogit; pro alijs autem, caritas fraterna hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat. Et B. Greg. in Moralibus, *Quis quis pro alijs intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur; & pro semetipso tanto facilius exaudiri meretur, quanto magis deuote pro alijs intercedit.*

Adhæc pro negotio aliquo pio, aut Ecclesiæ necessitate aliqua, vel pro Ecclesiasticis aut politicis magistratibus, principibus, dominis, &c. postulatur oratio. Itaque ea sanctorum electio, auget eorum in sodalibus cultū

mutuam

ipforumque iuffragia facile impetrat; fouet mutuam inter fodales charitatem; facit ad Ecclefie & Prælatorum bonum; aliâq; vtilitates & commoda adfert non mediocria, vt propterea merito non fit negligenda.

Porrò quod ad eam huius Pij Exercitij partem attinet, quæ de certè virtutis exercitatione dicta est, de quæ oratione pro neceffitatibus diuerfis faciendâ; vt ea facilius executioni mandentur, vide lib. 6. cap. 5. orationes varias vtrumque eum ad finem feruientes, hoc est, & ad impetrandas virtutes illas, & ad omnes Ecclefie neceffitates, auertendas.

*Lex quinta.*

Quinta lex de orationibus publicis congregationis agit. Eas inuenies in fuperioribus, vt fequitur: *Hymnum de fâncto Spiritu cum oratione*, lib. 6. c. 3.

*Antiphonas B. V. confuetas* Ibid. c. 3.

*Litanias B. Virg. Aue marie ftella &c.* Ibidem.

*Lex fexta.*

Sexta est de Miffæ facrifício quotidie audiendo, de quæ oratione aliqua peculiari, feu mentali, feu vocali post Euchariftiæ fumpcionem, faciendâ. De Miffa fructuofè audiendâ, liber tertius totus egit, maxime c. 3. De Oratione verò vel Mentali vel Vocali in genere vide lib. 7. c. 2. & 3. in fpecie, quæ ad Euchariftiæ deuotionem pertinent lib. 5. c. 4.

*Lex septima.*

Septima Matutina dum surgimus & vespertina Exercitia commendat. De ijs vide lib. 2. c. 1. & 2. Orationes porrò quarum hic mentio fit inuenies vt lequitur : *Salve Regina*, lib. 6. cap. 3. Psalmum, *De profundis* lib. 4. c. 9. inter septem Psalmos &c. Modum denique *Examinis Conscientia*, lib. 2. c. 1.

*Lex octaua.*

Octaua, varia pietatis officia suadet, de quorum singulis aliquam in hoc thesauro inuenies Instructionem. Sunt enim ea quæ sequuntur.

*Sapientius peccata confitens*, Ea de re lege, lib. 4. cap. 2.

*Cerebrius mensuris Domini accedere*, vide lib. 5. cap. 1.

*Officium B. V. dicere*, vide lib. 3. c. 5.

*Rosarium eiusdem recitare*; vide lib. 6. c. 3.

*Mentali orationi, aliquid temporis tribuere*. De modo id præstandi vide lib. 3. c. 3. De materia librum 7. totum.

*Die Sabbathi Litanias B. V. recitare*, vide lib. 6. c. 3. propè finem.

*Carcerem & hospitales domos inuisere*, vide hoc ipso lib. 10. c. 3. quæ de coporalibus misericordie operibus dicta.

*Christiana doctrina Elementa rudibus explicare*, vide hoc ipso libro 10. c. 3. quæ de spiritualibus Misericordie operibus, Alia id genus pia obi-



pia obire munera. Talia v. g. forent, *Leſio-  
 ni libellorum ſpiritualium incumbere.* Modum  
 ritè id præſtandi, vide lib. 1. c. 1. *Libenter Ver-  
 bum Dei & deuotè audire.* vide cap. eodem,  
*Piè SS. Trinitatem colere.* Vide l. 6. c. 1. ſimi-  
 liter *Pañionem Domini ritè recolare,* Vide ibid.  
 c. 2. *Omnes denique calitum & Sanctorum or-  
 dines piè venerari.* Vide Ibidem cap. 4. Et hiſ  
 familia.

*Lex nona.*

Nona, de infirmis defunctiſque ſodalibus  
 Chriſtiane curandis tractat. Ad ea verò iu-  
 uabunt, quæ lib. 6. c. 5. verſus finem de hiſce  
 pietatis operibus dicta ſunt.

*Lex decima & 12.*

Prior de diſcedentibus ſocijs agit, vltima de  
 legibus, hiſ ſubinde relegendis. De ijs verò  
 nil eſt noui quod addamus.

*Lex vndecima.*

Vndecima, quonianum in virtute omni  
 progreſſum potiſſimum commendat. Ad id  
 tum conuentus, & exercitationes Sodalitatis  
 frequentare ſuadet, vide eius rei vtilitates pau-  
 lò ante c. 1. tum piorum conſuetudinem, à  
 quibus iuuari quilibet poſſit adamarè, impro-  
 borum vitare decet. Vide ea de re, quæ mox  
 hiſ ſubijciemus: tum vitia pleraque quæ fu-  
 gienda ſunt, enumerat. Vide de ijs plenius,  
 quæ hoc ipſo lib. 10. c. 2. tractata ſunt; tum

ad omnem denique morum honestatem, profectumq; in ijs inuitat, vide de ijs quæ copiosius hoc ipso libro 10. c. 3. sunt allata.

*De priuatis Sodalium inter se congressibus.*

Sicut prauorum societate nihil est periculosius, quod facile sit malorum exemplis verbisq; & consuetudine impelli in malum; ita bonorum Sodalium priuatis congressibus, ac societate nihil est melius. Nihil enim perinde ad virtutem excitat, quam quæ ante oculos sunt exempla probitatis. Vt autem hæc bonorum Sodalium consuetudo, & familiaritas periculis vacet, sancta sit, & spiritualis curandû est. Talis erit, si Dei & salutis potissimum causa suscipiatur.

Huius autem amicitie priuatorumq; inter sodales congressuum officia sunt tria potissimè. 1. Vt sele mutuo excitent, & inflamment ad cultum Dei, & beatissimæ Virginis. 2. Vt se inuicem liberè moneant, si quando aliquis à boni sodalis officio alienum quippiam faceret aut diceret. 3. Vt inter se de bonis, & salutaribus rebus colloquantur; qua quidem re nihil Deo, parentiq; eius gratius est; nihil ad virtutem accomodatius.

Materia autem horum colloquiorum esse potest. Qua ratione virtus talis, aut tale vitium declinandum; quomodo augeri possit in sodalitate, & in se, ac alijs. B. Virginis cultus; quo pacto tales vel flagitiosi, vel parû pij adolecentes iuuari, ad bonumq; pellici possint;

Quæ

Quæ virtutes in quibusdam sanctioribus adolescentibus eximie eluceant; quæ impios & pericula & mala maneant, quæ bonos gloriæ spes, bonaq; expectent, &c. Augebunt, & oblectabunt priuatam eam cõsuetudinẽ explorum piorum narratio; eorum quæ audierint vel legerint cõmemoratio: de studiis quoq; & scientijs humanioribus collocutio, omnis denique sermo ex se bonus, ac ad maius bonum promouens.





## C A P V T IX.

### MODVS PIE, ATQVE CHRISTI- ane studendi,

Et monita valde vtilia, vt studentes profi-  
ciant in literis.

#### *Premium.*

**C**reatus est Homo ad eum finem, vt do-  
minum Deum suum laudet, ac reuera-  
tur, ei que seruiens, tandem saluus fiat.  
Id autem præstare homo non potest, nisi De-  
um cognoscat. Cognoscitur autem Deus tum  
lumine fidei, Deo sui cognitionem reuelante;  
tum lumine naturali ex creaturis. (Rom. 1.)  
Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea  
quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Ad  
creaturarum autem cognitionem humanis  
scientijs peruenitur; quarum vna quæque  
circa rem aliquam à Deo procreatam intelli-  
gendo, & speculando veritatur. Igitur huma-  
narum scientiarum finis est Dei cognitio. Sci-  
entiæ autem studio acquiruntur. Quare sco-  
pus, ad quem scientiarum studium rectè ten-  
dit, est ex creaturarum cognitione ad Dei co-  
gnitionem, indeque ad eiusdem laudem, reue-  
rentiam, obsequium, amorem venire, vt tan-  
dem homo saluus fiat. Vnde est igitur, quòd  
in nostro studio sæpè contrarium experimur,  
nempe quòd magis in scientiarum acquisitione  
incum-



incumbimus, eò in nobis magis Dei amorem  
 intepescere, inflari animum superbia; deu-  
 tionis pinguedinem exsiccare, in maiora nos  
 amittendæ diuinæ gratiæ pericula incurrere;  
 & quo doctiores euadimus, eo fieri ad nostrâ  
 & aliorum salutem procurandam segniores,  
 & ineptiores? Tantum profecto malum, non  
 alia ex causa videtur posse contingere, quàm  
 ex deprauata aliqua ratione studendi, dirigen-  
 dique studium ad finem. Operæ igitur preti-  
 um fiet, si modus aliquis tradatur ad accomo-  
 date studendum iuxta Christiani hominis fi-  
 nem, & institutionem. Quæ studendi ratio  
 vt facilius exponatur, principio studij natura  
 videtur explicanda; quæ tum ex definitione,  
 tum ex causis intelligetur.

*Studij definitio, atq; causa.*

**S**TUDIUM, siue speculatio, est veritatis inda-  
 gatio, id est, Actio quædam intellectus, quæ  
 tota versatur in apprehendendis mentere-  
 bus: atque ita omnino, vt ipsæ sunt, cogno-  
 scendis, Actionis huius causæ quatuor. Ma-  
 teria, Forma, Efficiens, Finis.

Materia duplex, in qua, & circa quam, Ma-  
 teria in qua, est intellectus ipse, vt subiectum,  
 in quo veritatis indagandæ actio recipitur.  
 Materia circa quam, sunt objecta circa quæ  
 speculatio versatur; inter quæ præcipuum est  
 Deus, reliqua participationes quædam diui-  
 næ bonitatis sunt. Item Materia circa quam,  
 libri dici possunt, qui per scripturas, vt per li-

gna quædam, intellectui obiecta contemplanda proponunt. Item Doctorum voces, eandem ob causam.

Forma, est ipsa nostra speculatio, atque cognitio.

Efficiens, est primo Deus, qui ut agens principale ad speculationis nostræ actionem concurrat, qui per superiores nostros, libros, lumen rationis, & alias vias, studium, studij tempus, modum, & alias circumstantias præscribit. Secundo intellectus noster, qui in veritatem inuestigandam incumbit. Tertio imaginatio, quæ simul cum intellectu operatur. Quarto, sensus externi, qui principium sunt intellectionis, nihil enim est in intellectu, nisi prius aliqua ratione præfuerit in sensibus. Quinto. Quæcunque tum sensus, externos, tum imaginationem, tum intellectum ad cognitionem formandam iuuant, ut voces tum a Doctoribus prolatae, tum scriptæ in libris.

Finis immediatus studij, est ipsa cognitio, & rerum veritas, ad hoc enim dirigitur studiû, ut perfectam rerum cognitionem assequamur: atque ita nostra mens res, omnes apprehendat, fiatq; ut ait Aristoteles, omnia, dum intelligendo, res omnes ad se quasi trahit, earumq; in se similitudinem exprimit,

Finis mediatas, ad quem hæc cognitio ordinatur, est salus, & perfectio tum nostra, tum aliorum, & Gloriæ Dei. Gloria Dei, quia (Prou. 16.) vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus non ad suam utilitatem,

cum sit

cum sit infinite perfectus nulla indigens creatura; sed ut ipsius perfectiones participantur à creaturis, atque ita ipsius bonitas cognoscatur, atque laudetur; quod est glorificari Deum. Quidquid ergo à Deo conditum est, ad eum finem conditum est, ut ex eo creaturæ intellectuales, quales Angeli & homines sunt ad creatoris cognitionem deueniant, & laudem. Creaturæ autem præcipuæ sunt, elementa, & corpora corruptioni obnoxia, cælum cum astris, corpus humanum, hominis animus, & eiusdem operationes, gratiæ mysteria, leges tum diuinæ, tum humanæ: circa quorum cognitionem Physica, Mathematica disciplinæ, Medicina, Moralis scientia, Dialectica, Rhetorica, Metaphysica, Jurisprudētia, Theologia versatur, ex quibus creaturis Dei existentia, vnitas, infinitas, Sapientia, Iustitia, Bonitas, Prouidentia, Maiestas, aliæque Perfectiones intelliguntur; qua intelligentia glorificatur Deus. Illas autem disciplinas, & hanc intelligentiam ut assequamur, opus est studio. Mediatus igitur studii finis est gloria Dei, quæ in eius cognitione posita est. Porro ex Dei cognitione salus, atque perfectio manat in animos nostros. Salus, & perfectio nostra, est charitas, qui enim non diligit, ut ait scriptura. ( 2. Ioan. 3. ) manet in morte, & charitas ( Coloss. 3. ) est vinculum perfectionis. Quia ipsa facit nos adherere Deo summo bono, quo maxime perficimur, omnis autē, qui diligit, cognoscit Deum. ( Ioan. 4. ) qua

enim ratione diligere possumus, quem non cognoscimus? E studio autem oritur cognitio, finis ergo studij charitas est; quæ est salus, & perfectio nostra. Quisquis autem homo Christianus, qui scientijs acquirendis operam nauat, non solum suam, sed aliorum etiam hominum salutem, & perfectionem in studio spectare debet. Cum enim veri Dei cognitionem habeat Creatoris omnium, quem diligit super omnia; optabit omnino eandem cognitionem omnibus hominibus commune in esse, Deumq; ab omnibus sancte coli, atque amari; & quantum in ipso erit, curabit enixe vt omnes homines Deum cognoscant, & colant: Deseruit autem ad Dei cognitionem facilius, & absque errore comunicandam doctrina. Spectare ergo debet in studio, quo sibi quisq; doctrinam comparat, & salutem, & perfectionem aliorum. Quam ab homine Christiano spectandam esse illud etiam suadet, quod qui libet Christianus ratione Orthodoxæ fidei, qua donatus est à Deo, Ecclesiæ membrum est. Debet autem vnum membrum pro altero membro esse sollicitum, & illius incolumitatem, totiusq; corporis bonum curare. Quare Christianus homo inter cætera illud in primis spectare in literarum studio debet, vt ad suorum proximorum, & Ecclesiæ utilitatem literas dirigat. Vtilitas illa à viris doctis Sacramentorum præsertim confessionis administratione, piis colloquijs, exhortationibus, concionibus, lectionibus sacris, Christiana doctrina



doctrina rudibus tradenda, Catholica fide inter Ethnicos propaganda, inter Hæreticos defendenda, procuratur. Ergo ad hæc omnia studium tendat, vt ad finem mediatum.

Iam intellectis causis, & definitione studij, quæ praxis adhibenda fit, facile intelligitur. Quia vero tria sunt tempora, vnum ante studium, alterum in ipso studio, tertium post studium: ideo tota praxis in tres partes diuiditur.

### ANTE STUDIVM.

*Iuuat ad Christiana studendum Oratio.*

**P**Raxis, actio quædam est, quæ vel mente fit, vel verbis, vel opere externo.

Prima praxis, quæ maxime necessaria. Orandus enixe Deus, vt ipse suggerat modum recte studendi, studium dirigat, veritatum cognitionem communicet, & proficere nos faciat ad eius maiorem gloriam, & finem nobis propositum. Recitari posset oratio S. Thomæ: Creator ineffabilis, &c. pag. 104. Præterea tum sanctorum, tum piorum hominum preces, & sacrificia adhibenda.

*Spes in Deum.*

Secunda submisse de propriis viribus sentiendum; spes omnis profectus in Deo collocanda: à quo etiam sperandum auxilium ad Christianè studendum.

*Contemptio aliarum rerum, excepto Deo.*

Tertia. Considerandum, ita vt hæreat animo ea cogitatio, quam pauca sint, quæ in ho-

minum cognitionem cadunt, quam obscura, quam incerta; vt nobis ita cogitantibus vilescant omnia, & non magnifiat nisi solus Deus & diuina. Item quam difficile ad rerum vel vilissimarum cognitionem perueniamus; quā imbecilla vis intelligendi nostræ mentis, quā pluribus rebus quas intelligimus noster intelligendi modus sit in adæquatus; vt ex hac consideratione nunquam super nos ipsos effe ramur, si vel ad Aristotelis, & omnium doctissimorum hominū doctrinam peruenerimus.

*Affectus obedientia.*

Quarta. Intime in corde figendum, Nos esse Dei seruos multis nominibus. Quare quamlibet actionē vel minimam ad Dei obsequium, & ad illius voluntatem exequendam, atque ex ipsius voluntate dirigere debemus. Ergo statuimus ob id nobis studendum esse, quia Deus ita vult; vt ex eius providentia, qua nobis præbet occasionem studendi, præceptis maiorum, & ratione ipsa colligere possimus; Neque quoad studendi modum nobis vel latum vnguem à Dei voluntate deflectendum. Ex quo intelligitur studendum cū diligentia, quia obsequium præstamus Deo; & cum discreuone, ne valetudini noceat studium contra quam Deus vult.

*Affectus Charitatis.*

Quinto. Excitandus ardens charitatis affectus in Deum, & proximos; neque vnquam incipiendum studium, nisi prius intelligamus

vere

vere nos non ob alium finem, nisi charitatis, ad studendum accedere, id est, ad Deum magis amandum, eo magis per scientiam cognito; ad eius gloriam amplificandam, eius voluntatem exequendam; ad Ecclesiæ Catholicæ defensionem, propagationem, profectum, & ad cæteros fines, qui supra ante praxim numerati sunt.

*Familiaritas cum Deo.*

Sexto. Studendum familiaritati cum Deo, præsertim in spiritualibus exercitiis, Familiaritas autem cum Deo erit, vel tanquam serui cum Domino, vel tanquam amici cum amico. Exercitia spiritualia sunt, Meditatio, Missa, Diuinum officium, examen conscientiæ. Ex hac familiaritate orietur ex studio deuotio, affectus iuuandi proximos, & impediatur siccitas, & distractatio, quæ natura sua generat studium. Et quia talis solet quis esse, quales eius familiares: quales nos erimus, si diuinæ familiaritati studuerimus?

*Colloquia spiritualia.*

Septimo. Colloquia cum quibuscunq; sermonesq; familiares sint fere de rebus diuinis, vt nihil aliud in mentem nostram veniat, nisi quod sanctum est; nihilq; cogitare possimus, nisi diuinum, ea ratione litterariæ commentationes redolebunt diuina. Colloquiorum familiarium ea posset esse praxis. Cogitandum quibus de rebus simus loquuturi a-  
requam

tequam ad loquendum accedamus, dicenda, quæ legerimus, audierimus, meditati fuerimus. Cum amicis statuendum, ut aliquis incipiat proponere spiritualia. Insinuandum familiaritati eorum, quos scimus de Deo locuturos. Materia sermonis: de quatuor nouissimis, de virtutibus, & vitiis; de miraculis, de exemplis, & vitis Sanctorum, in primis Christi, & B. V. de gestis in Christi Ecclesia, præsertim à Religiosis, tum præterito, tum præsentis tēpore, præsertim circa conuersionē animarum inter fideles, & infideles; de variis medijs, quibus mundus iuuari potest, & Ecclesia propagari, & exaltari, qui sermo excitet ad auxilium mundo; & Ecclesiæ ferendum per studia. Adeundus crebro Pater spiritualis, qui sit vir doctus, & Sanctus, & cum illo de his rebus, & alijs similibus agendum.

*Lectio librorum spiritualium.*

Octauo. Præparandus animus ad Christiane studendum lectione crebra librorum spiritualium, ea lectio iuuat ad declinandam deuotionis siccitatem, quæ oriri solet ex studio; ad maiorem fructum ex eo percipiendum, cum accedat intellectus plenus cogitationibus pijs. Ideo lectio spiritualis à viris doctissimis, & sanctissimis usurpata, ut à S. Thoma Aquinate. quare deberet illa quotidie semel ante studium præmitti per quartam saltem horæ partem. Circa illam autem, cum sit ad deuotionem nobis excitandam, duo debent

atten-



attendis Materia, & modus. Quod ad materiã attinet, Abstinẽdũ à libris, qui modo loquẽdi nimium aures oblectant, & curiositatem excitant; præsertim si vulgari idiomate scripti sint, legendi libri, qui solidarum virtutum doctrinam doceant, vt charitatis, spei, fidei, mortificationis interioris, obedientiæ; qui agant de Deo, Deiq̃ue cognitionem animis inferant; qui rationem contineant, & modum tradant varias nostras actiones recte, atque Christianè peragendi; qui ad Dei gloriam amplificandam, ad ecclesiæ auxilium, ad religionis Catholicæ propagationem, atq; defensionẽ impellãt. Videntur valde vtiles inter alios libelli spirituales S. Augustini præsertim Soliloquia; Gregorius magnus, Epistolæ S. Hieronymi, Basilii Regulæ, Calsianus, opuscula Spiritualia S. Bonauenturæ, ac S. Thomæ; Aloysij Granatensis, M. Auilæ, Francisci Arias opera; Platus de bono status religiosi, Gerson de imitatione Christi, Vitæ Sanctorũ, inspirationes diuinæ, atque lumina, quæ variis temporibus à Deo recepta sibi quisque ad memoriam adnotarit. legi identidem cum attentione possent præses hic positæ, aut aliquid aliud, quod ad pie studendum conferre cerneretur, vt S. Thomæ opusc. 68. & cap. 30. lib. 5. eruditionis Principum. Modus autem legendi libros spirituales is esse potest. Ante lectionem petendum à Deo lumen ad recte percipiendum ex lectione quæ nostræ salutis, perfectioni que conferunt, & propensio volun-

tatis ad illa. In ipsa lectione videndum, ec-  
quid elici possit ex eo, quod legitur, ad solida  
rum virtutum exercitium, ad iuuandum a-  
lios, ad pietatem augendam, ad Deum glori-  
ficandum. Verum hæc omnia inter legen-  
dum referenda sunt ad profectum nostrum  
spiritualem, non ad concionum, sermonum-  
ue materiam comparandam, quæ cogitatio  
deuotionis spiritum exsiccaret. Post lectionē  
tamen, si quæ in ipsa lectione lumina occur-  
rerint notatu digna, proximis vtilia, notari  
breuiter possēt, & in locos communes referri.

*Animi puritas.*

Nono. Præparatio quoque optima est ad  
studium, ad veritates tum naturales, tum su-  
pernaturales percipiendas, animi puritatem  
procurare. Quoniam, vt dicitur, ( Sap. 1. )  
In maleuolam animam non introibit sapien-  
tia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.  
Procuratur autem animi puritas, Sacramen-  
tis Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ rite frequen-  
tandis, crebro de peccatis admissis, quia per  
ea Dei numen offenditur, dolendo; malorū  
hominum consuetudine, atque familiaritate  
vitanda; piis quotidie meditationibus vtendo,  
quarum materia pen. posset ex hoc libello, si  
alia non habeatur; Verbo Dei quoties occa-  
sio sese obtulerit audiendo; piorum homi-  
num cœtibus atque sodalitatibus adeundis;  
rectam in studiis, & aliis actionibus intencionem  
identidem renouando. Debet enim Chri-

stianus

Christianus homo serio, ac sapius in die cogitare, cur studeat, & alia quælibet agat: non ut pecuniam, ut honores adipiscatur, & fruatur hoc sæculo, quod præteruolat; sed ut Dei voluntatē exequatur, ipsi obsequium exhibeat, ipsum glorificet, animi salutem consequatur.

*In studio.*

CUM Scopus Christiani hominis, qui incubit in litteras, debeat esse pie studere, ac studia Christianè peragere; ut ex ipsomet studio, non solum ex actibus præcedentibus, proficiat animus in pietate, & nihil impediat feruor spiritus; non videtur id alio modo præstari posse, quam si inter studendum actus quidam fiant, qui maxime inferant pietatem in animis nostris. Huiusmodi videntur esse, Petitiones, quibus petatur à Deo lumen ad veritatem cognoscendam; Obsecrationes; Gratiarum actiones; Ratiocinationes, quibus à veritatibus cognitis aliquis, spiritualis fructus eliciatur; Interrogationes, quibus vel Deum, vel cælestes interrogemus de dubiis occurrentibus; Contemplationes, quæ fiant vel admirando ea, quæ specularumur, ut opera Dei, quasi radios à Deo luminum patre profecta; vel cognoscendo Deum ex illis siue affirmatiuè, quod eorum perfectio sit eminentissime in Deo; siue negatiuè, quod Deus non habeat imperfectiones eorum. Hi actus, ut docet experientia, non solum ad pietatem, sed ad ipsam etiam scientiam valent plurimum multo ma-

ro maiorem è studio eliciendam, quam si tales actus non fierent. Ne tamen valetudini nocent, si ab in expertis indiscrete fiant (quamquam ipsi per se nocere multò minus possunt, quam ipsa studia, immo maxime iuuant, ne obsint valetudini studia; quia immoderatum studiorum feruorem temperant) consulendus est Pater spiritualis, aut alius cuius prudens in Domino, & in spiritualibus intelligens, & ex horum consilio seruandus est in his actibus modus. Praxes ergo, quæ sequuntur fere ad aliquem ex his actibus reducuntur.

Prima Praxis ex fine immediato studii, quæ est cognitio rerum. Cognitio est ornamentum, & perfectio partis, quæ est in homine nobilissima, nempe intellectus: proinde cognitiones sunt diuitiæ nobilissimæ, quibus qui caret, etiam si bona corporis habeat, atque externa, mendicus dici debet, quia caret iis diuitiis, quæ propriæ sunt hominis, quatenus homo est. Ex hoc igitur fiat praxis inter studendum. Primo agnoscendo animi penuriam, & paupertatem. Secundo accedendo ad libros, vt accedit mendicus ad diuitem domos petiturus eleemosynam. Tertio petendo à Deo, ab Angelis, à Sanctis, præsertim iis, qui eos libros scripsere, cognitionem quasi stipem. Quarto concipiendo affectum submittendi se magistro, condiscipulis, aliis, vt doceatur, tanquam mendicus viris diuitibus. Quinto agnoscendo tenuitatem doctrinæ, quam quotidie sibi comparat; & quantum sibi deficit.



bi desit; quam parum ea, quæ cognoscit, latent appetitum cognoscendi. Sexto Cogitando futuram in alia vita cognitionē nobilissimam Dei, quæ explebit omne nostrum desiderium, & nobilitabit maxime animum nostrū atque beabit.

Secunda praxis ex alia parte finis, quæ est cognitio Dei. In ea cognitione posuit Aristoteles beatitudinem naturalem. Intellexit enim quam nobilis sit, & quam perficiat animum nostrum, in ea posita est magna pars beatitudinis supernaturalis, qua fruuntur Angeli, atq; homines in cœlo. Praxis esse poterit. Primo inter studendum, petendo ab Angelis, à Sanctis, & ab ipso in primis Deo ut sui cognitionem nobis largiatur: Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Secundo, Quia omnes creaturæ sunt Dei vestigia, & quasi tegumenta quædam, sub quibus latet Deus, quia ipse est intimus omnibus creaturis; dum eas speculamur, petendum à Deo, ut quasi auferat integumenta, & reuelet se nobis. Tertio, Quia Deus est primum principium, & causa rerum omnium, illas producens, conseruans, & mouens, (Actor, 17.) ex iis, quæ speculamur, erigamus nos in Dei cognitionem, vel affirmando aliquid de Deo: v. g. Hęc res est pulchra: quam pulchrior Deus, qui fecit illam? Hęc sapiens: quam sapientior Deus, à quo ea profluxit? Hęc v. g. lex iusta est: quanto iustior Deus, per quem legum conditores iusta decernunt? (Prou 8.)

&c. Vel negando: Non est hoc, quod speculator, Deus; aliud aliquid est, &c. Quarto, admirando, quasi intuitiue Deum videamus in iis creaturis, quas speculamur.

Tertia, Ex fine magis mediato, qui est salus nostra, atque perfectio; quæ res est maximi momenti, quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Nulla cognitio præferenda salutis, ac perfectioni nostræ. Porro salus nostra, & perfectio est charitas: cui adiunctæ sunt aliæ virtutes, vt fides, spes, & aliæ virtutes morales, &c. Quare praxis erit, in eam diligentiam incumbere, vt ex studio aliquis fructus eliciatur, quo augeatur charitas, fides, vnio cum Deo, &c. v. g. augetur fides cogitando, quam congruant ea, quæ docet Ecclesia, cum ijs, quæ lumine naturali cognoscuntur. Augetur charitas colloquendo cum Deo, & illum laudando, admirando ex creaturis, vt faciebat S. Augustinus. Augetur spes cogitando, si Deus mihi nunc has cognitiones tribuit, tribuet & eas, quæ sunt necessariae ad vitam æternam; tribuet cognitionem sui, lumen gloriæ &c. Augetur studium orationis, si ex modo philosophandi eliciamus modum diuina contemplandi in oratione, aut materiam aliquam, ex qua in oratione erigere nos melius possimus in Deum.

Quarta Praxis ex fine vltimo, qui est diuina gloria. Excitandum est desiderium diuinæ gloriæ, & zelus illius ex cognitione diuinæ

Maiestatis, quæ dignissima est omni reuerentia: ex diuinis beneficiis: quia cum quicquid sum à Deo sim, corpus, anima, operationes, gratia, gloria, &c. nihilne conabor Deo retribuere? Nihil autem aliud dari potest Deo, præter gloriam. Gloria vero tribus modis procuratur, & datur Deo, cogitatione, verbis, operibus, quæ fiant tum à me, tum ab aliis. Cogitatione duobus modis: Primo cognoscendo illum per cognitionem naturalem Secundo per cognitionem fidei, quæ cedit in maiorem Dei gloriam. Actus autem fidei tot multiplicari possunt, quot sunt articuli fidei. Atque is, qui cognoscit Deum, cum exprimat cognitione Deum, quasi format in se Deum: quare cum cognoscimus Deum, aut cognoscendum ab aliis curamus, quasi producimus, & damus esse Deo in mentibus hominum. Verbis datur gloria Deo, illum laudando, gratias agendo, recitando preces Ecclesiæ, loquendo de diuinis rebus, concionando. Opera, quibus glorificatur deus, sunt quæcunque fieri à nobis possunt iuxta diuinam voluntatē. Quare S. Paulus nos hortatur, (1. Cor. 2.) vt siue cum manducamus, siue cum bibimus, siue aliud quid facimus, omnia ad Dei gloriam faciamus. Sed in primis glorificant Deū, Primò obseruatio diuinæ legis. Secundo opera misericordiæ spiritualia, & corporalia. Tertio vsus Sacramentorum, & eorum administratio. Quarto diuinus cultus exterior, præsertim Missæ sacrificiū. Huc spe.

genueflexiones, Ceremoniæ Ecclesiæ, Indulgentiarum usus, Coronæ gestatio; Vius aquæ benedictæ, Palmarum, Imaginum, Candelarum, ceræ sacre, Signi Crucis; Peregrinationes; usus doctrinæ scholasticæ, & alia, quæ impugnantur ab hæreticis. Praxis ergo sit. Primo. Colloquendo cum Deo ex occasione alicuius doctrinæ, quæ addiscitur, & illum glorificando per reflexionem ad aliquid ex iis, quæ numerata sunt. Secundo. Post aliquid speculatum insistendo, & videndo, ecquid elici possit vtile alicui rei, ex iis, quæ dictæ sunt, ad Idololatrias, Iudæos, Turcas, Hæreticos, Schismaticos conuincendos; & id, quod elicitur adnotando in libello locorum communium, vt postea vsui esse possit, cum offeretur occasio vel nos, vel proximos iuuant. Multa hoc modo comparari possunt valde vtilia ad concionandum, cum sint lumina diuina. Vtinam omnes concionatores ita se pararent tot annis, quot student scholasticæ: dicerent vtiliora, & loquerentur ad modum sanctorum. Tertio. Scribendo ex ijs, quæ inter speculandum vidimus, tractationes spirituales, quæ vsui esse possint alijs multis, ad quos peruenire non potest nostra vox.

Quinta praxis, ex causa efficiente, quæ est  
 r. Deus, qui omnipotens; ego, qui valde impo-  
 tens; ex causa materiali, quæ sunt res obscu-  
 rissimæ. Ex consideratione enim nostræ im-  
 globecillitatis, non solû in inueniēda veritate, sed  
 in alenda pietate, quod maximi mo-

menti



menti est in studio; & ex cognitione diuinæ potentia, quæ omni imbecillitati potest fortitudinem præbere; & quia res ipsæ, quæ cognoscuntur à nobis, totum intellectum ad se trahunt, vt nullus relinquatur locus affectui: videtur hæc optima praxis elici, quæ maxime confert, & necessaria est. Vt inter studendum rebus difficilibus, & longioris speculationis formemus, Colloquia cum Deo, illum interrogando quasi alium ex nobis, vel ex magistris: Qua ratione hoc, vel hoc, Domine mi, se habet; non videtur habere se hoc modo ob hanc; vel hanc causam: Dicendum ergo hac ratione, vel hac. O quam bene dictum est, Deus cordis mei, te suggerente; & similia, quæ interim pinguem pietatem reddunt: & vberem ad pie reliqua præstanda post studium. Scribenda interdum hæc colloquia, vt plura suggerantur nobis; & deinde vsui esse possint ad pietatem excitandam quando erimus aridi.

*Post Studium.*

PRIMA praxis à causa efficiente, quæ est Deus in primis, à quo omne bonum. Primo. Gratia agenda Deo de cognitione rerum per studium acquisita. Secundo. Inter loque dum cum aliis sermo sit talis, vt omnia in Deum referat, v. g. Hoc intellexi Deo auxiliante: Hanc tractationem, vel quæstionem ipsi adiutore Deo; ita nihil nobis tribuimus, atque hic loquendi modus sentienti et

am modum iuuabit. Tertio. Quæcunque cogitauimus, aut scripsimus, offerenda Deo, auctori, petendum, vt ea ipse benedicat, consecret, ac dirigat in suam gloriam Christi pedibus subiicienda.

Secunda. Ex fine immediato, qui est cognitio veritatis. Primo, non abundandum proprio sensu: cogitandum nos facile potest se decipi in speculatione: quare parati esse debemus ad sententiam mutandam, si quid aliud occurret. Secundo. Audiendi attentius qui sunt contrariæ sententiæ, & cum animo non obstinato, sed humili, ita fiet, vt Dominus magis nos illuminet, qui dat humilibus gratiam: & alij facile nobis aperiant sui animi sensa, cum non inueniant aures obstinatas: & nos multa discamus, cum non sistamus in vna nostra cogitatione, quæ impedit alia cognoscantur.

Tertia praxis ex fine mediato, qui est intra salutem, & profectus in spiritu. Primo. Cui se offert occasio inter loquendum, interdum Preces ad Deum, &c. iuuemur in cognitione hauita ex studijs, vt supra indicatum est. Secundo. Ne cogitemus de speculationibus factis in studio, siue de rebus, quæ spectant ad litteras, dum audimus res spirituales aut dum oramus, aut alio tempore, quod dependendum est rebus pijs. Cogitandum tamen bis est, id futurum contra Dei voluntatem id impedimentum allaturum Diuinis luminibus, & hauriendo affectui, & perfectioni r

